This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Class 2469.02B

Harvard College Library

From the
CONSTANTIUS FUND
Bequeathed by
Evangelinus Apostolides Sophocles
Tutor and Professor of Greek
1842–1883

For Greek, Latin, and Arabic
Literature

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COULOMMIERS
Imp. PAUL BRODARD.

Digitized by Google

DE SERMONE AMATORIO

APVD

LATINOS ELEGIARVM SCRIPTORES

THESIM

PROPONEBAT

FACVLTATI LITTERARVM IN VNIVERSITATE PARISIENSI

RENÉ PICHON

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALVMNVS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1902

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

SERMONE AMATORIO

APVD

LATINOS ELEGIARVM SCRIPTORES

Digitized by Google

~~Lu 321~~
Class 2469.02
E

Harvard College Library
FROM THE
CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Digitized by Google

Digitized by Google

~~L 321~~

Class 5469.02
B

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

HARVARD COLLEGE
APR 15 1904
LIBRARY.
Constantine fund

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
JUN 15 1971

Digitized by Google

ORNATISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO

EIDEMQVE LITTERARVM ACVTISSIMO IVDICI

OCTAVIO GRÉARD

INSTITVTI GALLICI BIS SODALI

ACADEMIAE PARISIENSIS RECTORI

HVNC LIBELLVM

GRATISSIMI REVERENTISSIMIQVE ANIMI PIGNVS

DDD

R. P.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM

Cum hoc mihi proposuissem ut amatorium sermonem inuestigarem, sed in solis elegiarum libris, haud difficile erat eligere apud quos auctores eum quaerere deberem. Nam ut huius generis principes a ueteribus nominantur Gallus, Tibullus, Propertius, Ouidius (Ou., *Trist.*, IV, x, 53-54; Quintil., X, I, 93). Ergo, cum Galli opera non exstarent, Tibulli, Propertii, Ouidii libros ante omnia considerare necesse erat. His tamen addidi Catulli poemata, qui, non modo in elegiis, sed et in heroicis iambicisque uersibus et hendecasyllabis eodem sermone usus est quo posteriores poetae, et iis saepe imitanda praebuit exempla. — Neque aequum erat, cum Tibulli elegias genuinas tractarem (libros I et II, et libri IV elegias XIII-XIV), pseudo-Tibulliana carmina (libros III et IV, II-XII) omittere, quorum oratio haud multum a Tibulli dicendi genere abest. — In *Heroidibus* non necesse duxi a ceteris elegias XV-XX secernere; nam quidquid de earum origine statueris, eadem atque in prioribus uerba, eosdem iocos, inueniri in iis adgnoscendum est; itaque earum uersus sub Ouidii nomine laudaui. — Denique, quia in *Tristibus* et *Ponticis* (praesertim in *Tristium* libro II) saepe Ouidius de amato-

Digitized by Google

riis suis libris locutus est, in *Fastis* autem leues ludicrasque fabulas narrauit stilo erotico magis quam heroico, ex iis operibus nonnulla decerpsi quibus amatorius sermo magis inlustraretur.

Quo facilius uero commodiusque ea quae inuestigaueram explanarem, in duas partes hoc opus diuisi. Quarum prior generales quaestiones ad sermonem amatorium pertinentes continet : primum quae sit huius sermonis natura, quid in eo tractando prioribus poetis seu graecis seu latinis auctores elegiarum debuerint, cuius generis translationes ac similitudines amauerint praecipue; — deinde quid quisque proprii in eam quasi communem linguam inseruerit, quomodo singulorum indoles in amatoriorum uocabulorum delectu aut usu manifesta esse possit; — denique quatenus sermonis amatorii notitia uti queant critici uel ad textum constituendum uel ad orthographiam quorumdam nominum discernendam. — Altera in parte indicem feci in quo conprehendi omnia uerba e quibus amatorius sermo mihi uisus est constare. Huius indicis duplex erit usus : nam et quae in priore parte dixero hic, laudatis omnibus locis quae ad unumquodque uerbum pertinent, confirmabuntur et explanabuntur; et uarii sensus quibus eadem uocabula saepe intelleguntur adcuratius distingui poterunt.

Vsus sum editionibus :

Catulli, Baehrensiana-Schulziana (1893);
Tibulli, Baehrensiana (1878) et Hillerana (1885);
Propertii, Rothsteiniana (1898);
Ouidii Merkeliana (1871) et Ehwaldiana (1897).
Cum autem *Priapea* laudaui, adhibui Riesii editionem;
cum Plautum, Leonis (1895);
cum Terentium, Fleckeisenii (1898);
cum Lucretium, Munronis (1886).

Quod ad Alexandrinos elegiarum auctores pertinet, consului Iacobsii *Anthologiam Palatinam* (1813) et Bergkii *Anthologiam Lyricam* (1868).

Digitized by Google

Inter opera omnia quae de elegiarum romanis auctoribus scripta sunt, haec potissimum mihi uisa sunt ad huiusce libri materiam spectare :

Franz Teufel, *De Catulli, Tibulli, Propertii uocibus singularibus*, Friburgi, 1872;
Simon, *De conparationibus quae in Catulli carminibus leguntur*, Cilli, 1893;
Ioh. Vahlen, *De deliciis quibusdam orationis Catullianae*, Berolini, 1897;
Sciascia, *L'arte in Catullo*, Palermo, 1896;
S.-B. Platner, *Deminutives in Catullus* (American Journal of Philology, XVI, II, 1895);
B. Ehrlich, *De Tibulli elocutione*, Halae, 1880;
B. Kuttner, *De Propertii elocutione quaestiones*, Halae, 1878;
G. Schneider, *De Propertio sermonis nouatore et amplificatore*, Argentorati, 1888;
I.-A. Washietl, *De similitudinibus imaginibusque Ouidianis*, Vindobonae, 1883;
A. Zingerle, *Ouid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern*, Innsbrück, 1869-1871;
O. Hey, *Euphemismus und Verwandtes* (Archiv für Lateinische Lexicographie, 1900).

Haud facile dicere possum quantum prudentissimis doctissimi uiri A. Cartault consiliis debuerim, qui hoc opusculum et beneuolentissime perlegit et acuto simul atque erudito iudicio emendauit; cui gratias agere non magis officio mihi est quam uoluptati.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIOR

QVAESTIONES AD SERMONEM AMATORIVM PERTINENTES

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I

DE SERMONIS AMATORII NATVRA ET ORIGINE

Antequam uerba e quibus constat amatorius sermo singula percensere incipiam, mihi pauca dicenda uidentur de huius sermonis natura et origine.

I

Inter quae id primum incidit, ut exquiram quatenus amatorius sermo a communi lingua discrepet et poetarum quorumdam proprius sit, leges quasdam habeat peculiares. Haud enim dubitari potest quin poetarum nostrorum oratio alia sit ac uulgare plebeiumque dicendi genus, nec iure quisquam putauerit eos omnes qui amatorios affectus exprimere soliti sint tantum curae et artis in dicendo posuisse quantum nostri poetae adhibuerint, aut tanta diligentia uocabula elegantissima honestissimaque elegisse quibus res uel turpissimas significarent; sed eos multo uerisimilius est aperte ac nude et quasi crasse elocutos esse quae sentirent, omni uel labore uel pudore omisso.

Et profecto quomodo uulgus de rebus amatoriis locutum sit, ignoremus necesse est, cum non satis multae inscriptiones huius generis seruatae sint. Sed inter istum plebis sermonem et hanc elegiarum orationem quantum discrimen intersit, conicere potest quisquis Priapeos uersus legerit, qui utriusque generis quodam modo participes sunt. Nam nonnulla quidem

Digitized by Google

Priapeorum loca cum Tibulli et Ouidii carminibus conferri queunt. Sic in epigrammate XLVII, Priapus inimicos deuouet iisdem fere uerbis quibus Tibullus riualem suum exsecratur.

Tib., I, IX, 53, sqq. :

At te, qui puerum donis corrumpere es ausus
Rideat adsiduis uxor inulta dolis,
Et cum furtiuo iuuenem lassauerit usu,
Tecum interposita languida ueste cubet.

Priap., XLVII, 3, sqq. :

Illius uxor aut amica riualem
Lasciuiendo languidum, precor, reddat,
Et ipse longa nocte dormiat solus.

Alias, et Ouidius et Priapeorum auctor similiter Hippolyti castitatem Priapi libidini opponunt :

Ou., *Am.*, II, IV, 32 :

Illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Priap., XIX, 5-6 :

Haec sic non modo te, Priape, possit,
Priuignum quoque sed mouere Phaedrae.

Denique, ut apud Ouidium, sic in Priapeo carmine LXVIII, urpis malignaque iocatio reperitur de Penelope :

Ou., *Am.*, I, VIII, 47 :

Penelope iuuenum uires temptabat in arcu.

Priap., LXVIII, 31 :

E quibus ut scires quicumque ualentior esset,
Haec es ad adrectos uerba locuta procos :
Nemo meo melius neruum tendebat Vlixe,
Siue illi laterum siue erat artis opus ; etc.

At, si non iam paucos uersus, sed omnium Priapeorum genus et colorem consideres, multa uerba et sordida et turpia reperias quae ab elegiarum auctoribus longissime absint, adeo ut res inhonestae in Priapeis quam uerissime et liberrime depingantur, nihil autem uenuste aut acute dicatur.

Pari modo, ut similitudine utar, inter Horatii opera distinguendi sunt Epodorum et Satirarum libri a Carminibus. In

Digitized by Google

illis enim saepissime plebeio et obsceno modo iocatur Horatius (cf. *Epod.*, VIII, 5, 18, 19, 20; *Sat.*, I, II, 33, 35, 36, 44, 45, 65, 70, 71, 116, 127; I, III, 107). In Carminibus autem eodem dicendi genere utitur quo Tibullus et Propertius, neque quicquam turpe proferre audet, sed omnia eleganter, lepide, iucunde, dixerim etiam pudice, exprimit.

Quin etiam Catullus ipse, quamquam haud uerecundiae est plenus, tamen plus indulget sibi in hendecasyllabis aut iambicis carminibus quam in elegiis. Non igitur inmerito ueteres hendecasyllabos ab elegiis seiunctos esse putauerunt, non magis metrorum ratione quam dicendi genere : illic crudissimam ueritatem et solutissimam libertatem non solum tolerari, sed et exposci, hic maiorem desiderari calliditatem et ornatum.

Quod de Priapeis, idem merito dici queat de nonnullis operibus quae plebeiam rationem amatoriae rei tractandae propius sequuntur : cuius generis sunt Martialis epigrammata, et, ut ad solutam orationem ueniam, ludicrae Petronii Apuleiique narrationes. Qui auctores, etsi magna exquisitaque arte praediti sunt, uulgarem sermonem consulto imitantur in rebus uoluptariis describendis, iisdemque uerbis quibus utitur turba res obscenas significare student. At contra, quae uocabula saepissime apud eos occurrunt, ea apud elegiarum auctores uel rarissime uel numquam inueniuntur; qui quamquam inpudicis non carent sententiis, eas tamen pudico uelamine et uenusto celare conantur.

Sunt ergo, si summam rerum consideres, duo amatorii sermones : alter plane obscenus, cuius uerba et uulgus adhibuit et effinxerunt Priapeorum auctores, Martialis, Petronius, Apuleius, — alter re quidem non multo castior, specie tamen decentior, qui in elegiis inprimis reperitur. Haec duo dicendi genera tantopere inter sese discrepant ut docti uiri qui erotica pudendaque uerba colligere studuerunt plurima exempla e Priapeis aut e Martialis et Petronii et Apuleii operibus sumpserint, paucissima autem ex elegiis [1].

Et, ut dicam quod sentio, illa pudenda uerba non dignissima sunt quae curiosa et intenta mente perpendantur, cum semper

1. Cf. Pierrugues, *Glossarium eroticum linguae latinae*, Parisiis, 1826; Blondeau, *Dictionnaire érotique latin-français*, Paris, 1885.

Digitized by Google

eadem sint, semper eundem sensum habeant, simpliciter ac nude ponantur, nihil noui, nihil acuti praebeant, nullum denique ingenium nullamue artem ab auctoribus exposcant. Multo maiorem curam diligentiamque necesse erat insumerent nostri poetae ut amoris res, affectus, uoluptates, urbane et argute exprimerent.

Est igitur elegiarum lingua ab hendecasyllaborum aut iamborum sermone secernenda, haud minus quam a sublimiore stilo, ita ut elegia, quasi medium quoddam carminum genus, pariter distet ab epicae poeseos grauitate et ab hendecasyllaborum proterua nequitia. Et ut hunc apti ad elegias sermonis tenorem seruarent, poetas nostros credendum est non uulgare dicendi genus secutos esse, sed multa excogitauisse, multa ex industria despexisse, mutauisse, correxisse, adiecisse, adeo ut eorum amatorius sermo non cotidiani sermonis imago esset, sed aliquid fieret artificiosi, et, ut ita dicam, ficti.

Non tamen haec quae dixi ita intellegenda sunt quasi amatorius sermo a communi sermone omnino separetur : est uero inter utrumque finis non plane certus aut strictus. Sed, si adcurate definiendum est quibus e uerbis constet sermo amatorius, qualis in Catulli, Tibulli, Propertii, Ouidii libris apparet, hoc nomine tria uocabulorum genera conprehendenda existimo. Primum consideranda sunt uerba quae ad res uoluptarias proprie pertinent, et, ut ita dicam, amatoriae artis sunt τεχνικὰ ὀνόματα. Huius modi sunt *oscula*, *munera*, *uenus*, *nox*, *puella*, *promittere*, *admittere*, *eicere*, *excludere*, *negare*, *uendere*, etc. De his peculiaribus amatoriae uitae nominibus iocose ludit Iuuenalis cum Statium Thebaida legentem inducit et eum quodam modo adsimulat lenae puellam uendenti :

Iuu., *Sat.*, VII, 82, sqq. :

> Curritur ad uocem *iucundam* et carmen *amicae*
> Thebaidos, *laetam* cum fecit Statius urbem
> *Promisitque* diem, tanta *dulcedine captos*
> Adficit ille animos, tantaque *libidine* uulgi
> Auditur; sed cum fregit subsellia uersu,
> Esurit, *intactam* Paridi nisi *uendit* Agauen.

Alterius generis sunt uerba ea quae in amatorio sermone alium accipiunt sensum atque in communi dicendi genere.

Digitized by Google

Sic *capere* apud elegiarum auctores idem saepe ualet quod « amorem inicere », *deserere* idem quod « fidem amanti datam « abrumpere », *foedus* est « amantium consensus », *nequitia* est « uita in amore occupata », etc.

Denique sunt alia uerba quae ab amatoriis poetis eodem sensu intellegantur atque in cotidiana oratione, sed apud eos tam crebro appareant, ut in eo sermone inuestigando non omitti queant. Inter quae referri possunt uoces *mollis*, *tener*, *ludere*, *flere*, *peccare*, etc.

Huiusmodi sunt omnia uerba e quorum summa conficitur amatorius sermo. Quae si quis diligenter recensuerit, non omnia certa ac bene finita in hac disquisitione fore iure sperauerit. Multum enim abest ut singulis uocabulis sua cuique significatio semperque eadem adsignanda sit. Sic *uincere* refertur modo ad dominationem Amoris in homines, modo ad puellarum imperium in uiros, modo ad conatus amantium qui amorem sibi conciliare uolunt, modo ad uim eorum qui amoris impetum frenare possunt, modo ad riualium simultates, etc. Pariter *decipere* modo est custodiam fugere, modo exspectationem fraudare, modo promissa uiolare, etc. Atque, ut unum uerbum multos accipit sensus, ita una res multis nominibus exprimi potest. Haud enim ita acute uim cuiusque uerbi distinxerunt nostri poetae, ut inter duas proximas et quasi uicinas uoces aliquid perspicui semper intersit.

Hac attenta curiosaque subtilitate, quae apud Graecos dicitur ἀκριβολογία, non quidem omnino caruerunt latini elegiarum scriptores, quotienscumque eam adhibere uoluerunt. Etenim Catullus arguta quaedam discrimina ponit inter amorem sano iudicio ductum et caecam inpotentemque libidinem, aut inter culpam quae pudori est contraria, et scelus, quod est perfidia :

Cat., LXXII, 7-8 :

Amantem iniuria talis
Cogit *amare* magis, sed *bene uelle* minus.

XCI, 9-10 :

Tantum tibi gaudium in omni
Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.

Idem pulchritudinem, quae est absoluta perfectaque corporis

Digitized by Google

species, discernit a uenustate, ita ut utraque uere formosam puellam esse praeditam debere dicat[1] :

Cat., LXXXVI, 5-6 :

Lesbia *formosa* est, quae cum *pulcherrima* tota est,
Tum omnibus una omnes subripuit *ueneres*.

Ouidius quoque inlecebras puellarum admodum iuuenum distinguit a meritis serioris aetatis, aut concessa furta ab adulteriis, aut leuem amoris lusum a uehementiore animi motu :

Ou., *Am.*, II, IV, 45 :

Me noua *sollicitat*, me *tangit* serior aetas.

Ars Am., I, 31-33 :

Este procul, uittae tenues...
Nos *uenerem tutam concessaque furta* canemus.

Rem., 433-434 :

Ludilis, o si quos potuerunt ista mouere :
Adflarant tepidae pectora uestra faces.

Ars Am., I, 91-92 :

Illic inuenies quod *ames*, quod *ludere* possis,
Quodque semel *tangas*, quodque *tenere* uelis.

Simili modo, cum de puellarum aut uirorum pulchritudine loquitur, fuscum colorem a nigro, corpus plenum a turgido, gracilitatem a macie, munditiem a luxuria secernit :

Ars Am., II, 657-658 :

Fusca uocetur
Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit;

Rem., 327 :

..... Si fusca est, nigra uocetur[2].

Ars Am., II, 661 :

Dic... quae *turgida*, *plenam*,

Rem., 327 :

Turgida, si *plena* est,... uocetur.

Ars Am., II, 660 :

Sit *gracilis*, *macie* quae male uiua sua est.

1. Cf. Suet., *Ner.*, uultu pulchro magis quam uenusto.
2. Inde intellegitur cur Ouidius alibi dixerit (*Am.*, II, IV, 40) : *est etiam in fusco grata colore uenus*. Non dicere potuisset : in *nigro colore*.

Digitized by Google

Rem., 328 :

In *gracili macies* crimen habere potest.

Ars Am., I, 513-523 :

Munditie placeant (uiri)...
Cetera lasciuae faciant, concede, puellae.

Haec et talia exempla docent nostris auctoribus non defuisse diligentem proprii uerbi curam; sed eam ut adhibent nonnumquam, ita plerumque adhibere nolunt, et aliud pro alio uerbum solent ponere promiscue. Praecipue in iis quae ad puellarum dotes pertinent proprietatem uerborum non multum curare eos perspicuum est.

Nam, cum Seruius, ad *Georg.*, III, 386-387, dicat *candidum* colorem esse splendidum, *album* autem pallidum, hoc discrimen plerumque quidem seruant nostri, non tamen semper, sed *alba* pro *candidis*, *candida* pro *albis* quaedam dicunt :

Prop., II, III, 10 :

Lilia non domina sint magis alba mea.

Ou., *Am* , I, VIII, 35 :

..... Decet alba quidem pudor ora.

Et rursus :

Cat., LXXX, 2 :

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna flant candidiora niue.

Inprimis uerba *facies*, *forma*, *figura*, *pulcher*, inter se confunduntur ita ut de eadem re in eiusdem uersus aut sententiae cursu alia in uicem aliorum substituantur.

Sic reperiuntur :

formosus et *pulcher* :

Prop., II, XXVIII, 49-50 :

Sunt apud infernos tot milia *formosarum* :
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.

Ou., *Fast.*, I, 419 :

Fastus inest *pulchris*, sequiturque superbia *formam*.

facies et *forma*[1] :

1. Cf. Sen., *Ep.*, XXXIII : Non est formosa cuius crus laudatur aut bracchium, sed illa cuius uniuersa *facies* admirationem singulis partibus abstulit. — Vnde apparet in communi sermone haec uerba alterum pro altero poni, sed nihil adcuratius hic habent elegiarum auctores.

Digitized by Google

Ou., *Am.*, II, III, 13-14 :

Est etiam *facies*, sunt apti lusibus anni;
Indigna est pigro *forma* perire situ.

Ou., *Am.*, III, XI, 42-43 :

Non facit ad mores tam bona *forma* malos :
Facta merent odium, *facies* exorat amorem.

Ou., *Her.*, XIX, 53-54 :

Aut esses *formosa* minus, peterere modeste :
Audaces *facie* cogimur esse tua.

Ou., *Her.*, XVI, 173-174 :

De *facie* metuit, uitae confidit, et illum
Securum probitas, *forma* timere facit.

Ou., *Her.*, XVII, 68-69 :

Forma nisi in ueras non cadit illa deas;
A Veneris *facie* non est prior ulla tuaque.

Ou., *Trist.*, III, VII, 33-35 :

Ista decens *facies* longis uitiabitur annis...
Inicietque manum *formae* damnosa senectus.

forma et *figura* :

Prop., I, II, 7-8 :

Crede mihi, non ulla tuae est medicina *figurae* :
Nudus Amor *formae* non amat artificem.

Ad affectus quoque amantium exprimendos, quaedam propinqua uocabula sine ullo discrimine ponunt elegiarum auctores. Nam grammatici aiunt *amare* ad appetitum pertinere, *diligere* ad rationem; quod hoc Ciceroniano exemplo confirmetur forsitan :

Ad Brut., I, 1 :

Clodius ualde me diligit uel, ut ἐμφατικώτερον dicam, ualde me amat.

Sed huius distinctionis non ualde meminerunt elegiarum scriptores :

Cat., VI, 4-5 :

Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis.

Cat., LXXVI, 23 :

Non iam illud quaero, contra ut me diligat illa.

Digitized by Google

Prop., II, XXIV, 43 :

Paruo dilexit spatio Minoida Theseus.

Ou., *Am.*, I, IV, 3 :

Ergo ego dilectam tantum conuiua puellam
Adspiciam?

Ou., *Her.*, IV, 55-56 :

Iuppiter Europen (prima est ea gentis origo)
Dilexit.

Ou., *Her.*, XVI, 195-196 :

Tu quoque dilectam multos, infide, per annos
Diceris Oenonen destituisse tuam.

Ou., *Her.*, XVIII, 205 :

Si tibi non parcis, dilectae parce puellae.

Ou., *Rem.*, 655 :

Sed modo dilectam scelus est odisse puellam.

Ou., *Rem.*, 771 :

Acrius Hermionen ideo dilexit Orestes.

Item Donatus ad *Eunuch.*, 323, ait *basium* pudici esse affectus, *osculum* officii, *sauium* libidinis. Inter nostros autem *basia* solus dicit Catullus, *sauia* fere solus; sed et ille de eadem re *sauium* usurpat et *basium* (XCIX, 2 et 16), et *oscula* amatoria, uel minime pudica, quotiens describant Tibullus, Propertius, Ouidius, enumerare infinitum sit.

Vbi uero amantium dolores depingunt, plurima uerba nostri in usu habent, *miser*, *infelix*, *anxius*, *sollicitus*, *lugere*, *flere*, *plorare*, *lacrimare*, *metuere*, *timere*, *turbari*, *uri*, *dolor*, *cura*, etc. Quae omnia de omnibus dolorum generibus occurrunt; seu quis amantem absentem uel aegrum uel mortuum uel raptum queritur, seu contemnitur, seu deseritur, seu fallitur, seu timet ne fallatur, pariter *dolet*, *flet*, *lacrimat*, *uritur*, *turbatur*, etc.

Denique uerba quae ad maritale foedus spectant, *uir*, *coniunx*, *coniugium*, *conubium*, *nubere*, *maritus*, non modo ad legitimos coniuges referuntur, sed etiam ad amantes. Quales essent illi *uiri* qui puellis imperabant easque seuere custodiebant, num ueri mariti an diuites amatores, multi critici dubitauerunt; et, ut agnoscere possimus Deliam recte nuptam esse,

Digitized by Google

Cynthiam autem et Corinnam liberas mulieres, id faciunt res a poetis narratae, non uerba quibus eas narrant.

Quin etiam aliquando euenit ut in eodem carmine duo foederum genera, unum plane legitimum, alterum minus, eodem nomine significentur. Sic in Ouidii *Heroide* IX, dicuntur Herculis *coniuges*, cum Deianira (uers. 30 et 147), tum Omphale (uers. 118); in *Heroide* VIII, Helene *nupta* dicitur et Menelao (uers. 19), et Paridi (uers. 22), pariterque in Heroide XV *maritus* dicitur Helenae Menelaus (uers. 285, 299 et 305), *maritus* quoque Paris (uers. 197)[1]. Forsitan aliquis dicere uelit Helenen Paridi uere nuptam esse, sicut Omphalen Herculi; quod equidem non negauerim. Sed eadem ratio non ualet in *Heroide* VII, ubi Dido se dicit *coniugem* Aeneae (uers. 69), haud secus ac Sychaei (uers. 103), nam cum paulo post oret Aenean *pro spe coniugii* (uers. 178), apparet eam non se legitime nuptam existimare.

Nec modo ad illos firmos ac solidos et quasi iustos amores, sed etiam ad furtiuos transferuntur eadem uerba, nam et Catullus ait mulierem suam sibi *nubere* malle quam cuiquam alteri (LXX, 1), et Propertius (III, xx, 26) *sacra marita* uocat foedera quae cum puella pepigit, et Ouidius (*Am.*, II, vii, 21) *ueneris famulae conubia* nominat iunctos sibi cum Cypassi ancilla amores[2]. Itaque non negari potest quin haec omnia uocabula quibus aut coniugalia aut amatoria foedera significantur non exquisitissime secernantur, non magis profecto quam ea quae ad feminarum pulchritudinem spectant, ita ut, in summa, totus amatorius sermo aliquid liberi et laxi habeat potius quam adstricti et adcurati. Neque uerba sensusque distinguere nescierunt nostri poetae, sed noluerunt, et cum in eo praecipue elaborarent ut affectus suos, seu gaudia, seu dolores, quam uehementissime expromerent, non ut res de quibus loquebantur quam exactissime effingerent aut quam argutissime discernerent, magis uim hyperbolarum aut similitudinum quam proprietatem uerborum secuti sunt[3].

1. Cf. Ou., *Am.*, I, x, 2 : Coniugibus belli causa duobus erat.
2. Sola uerba *iugalis* et *hymenaeus* de iustis nuptiis tantummodo dici uidentur.
3. Solus Ouidius, paulo saepius quam ceteri in hoc genere artem curiosam depingendarum rerum adsectatur, quippe qui minus uehementi ueroque amore teneatur.

Digitized by Google

II

Cum iam ante Latinos elegiarum scriptores multi auctores res amatorias tractauerint, quid illis debeant nostri inuestigare necesse esse arbitror, at idem difficillimum. Qui enim plane scire uellet e quibus fontibus ortus sit Catulli, Tibulli, Propertii, Ouidii amatorius sermo, is diligenter perscrutari deberet et Graecorum poetarum opera, non modo Alexandrinorum, sed etiam Alcaei, Sapphus, Euripidis, Menandri, et Plauti Terentii — que comoedias. Nam, cum hos omnes libros legerint nostri poetae, quin ex his multa uerba multasque figuras hauserint uix dubitari potest. Quin etiam, Lucretii poema, Vergilii *Eclogas*, Horatii prima carmina, non Catullus quidem, sed Tibullus et Propertius et inprimis Ouidius cognouerunt et imitari potuerunt. Vt igitur perpendere possemus quid alieni sumpserint nostri auctores, oporteret prius bene ac funditus exquisiuissemus quibus uerbis Graeci poetae, comici Latini, Lucretius, Vergilius, Horatius puellarum pulchritudinem laudauerint amantiumque affectus, dolores, uoluptates depinxerint. Quod haud iniucundi quidem sit laboris, sed longioris multo quam quem mihi hic suscipere liceat. Nam, uel si solos inspicias comicos, tamen totus nec minimus liber de eorum amatorio sermone scribendus sit. Itaque pauca tantum adnotabo, ut breviter ostendam Catullum, Tibullum, Propertium, Ouidium, multa cum omnibus qui ante eos scripserunt habere communia, neque tamen omnia; quaecumque autem ab illis deduxerint, et quaecumque sibi propria habeant, enumerare non studebo.

Et, ut a Latinis comicis ordiar, apud eos exsistunt multa quae apud nostros reperimus. Amantes enim Plautini aut Terentiani puellarum laudant *formam* (*Mostell.*, 173; *Andr.*, 72, 286; *Eun.*, 297); — *faciem* (*Eun.*, 296; *Phorm.*, 100), — *uenustatem* (*Bacch.*, 115; *Most.*, 182); — *pulchritudinem* (*Most.*, 289; *Phorm.*, 104), — *munditiam* (*Cist.*, 55; *Stich.*, 747), — *leporem* (*Curc.*, 167; *Most.*, 206; *Pseud.*, 27, 28). — *Blanditias* quoque nominant (*Asin.*, 525; *Cist.*, 93; *Hec.*, 68), — *delicias* (*Poen.*, 365; *Stich.*, 742), — *ludos iocosque* (*Bacch.*, 116), — *sauia sagittata* (*Trin.*,

Digitized by Google

242). — Se amore *perire* aiunt (*Asin.*, 527; *Curc.*, 187), — *macerari* (*Cist.*, 59, 71, 76; *Trin.*, 225), — *insane* aut *perdite* aut *misere* amare (*Curc.*, 176, 177, 187; *Phorm.*, 82; *Ad.*, 667), — *excruciari* (*Cist.*, 59, 205; *Curc.*, 170; *Eun.*, 95; *Ad.*, 610), — *coqui* (*Trin.*, 225); — *calescere* (*Eun.*, 85), — *mortem* aut *funus* pati (*Asin.*, 595, 608). — Mulieres *corrumpi* adulescentuli queruntur (*Heaut.*, 231) — et *delinquere* (*Asin.*, 510); — se *eludi* (*Eun.*, 55) — *eici* (*Asin.*, 161, 632), — *excludi* (*Eun.*, 49, 98), — *diiungi* (*Hec.*, 161). — Se *morbo* adfectos depingunt (*Cist.*, 71, 73; Caecil., *Inc. fab.*, XV), — aut sub *Veneris regno uapulantes* (*Pseud.*, 15), — *ictos* (*Eun.*, 178), — *fractos* (*Cist.*, 222), — *uictos* (*Eun.*, 55). — *Amara* aut *acerba* deplorant (*Cist.*, 68, 70; *Pseud.*, 63; *Trin.*, 259; *Hec.*, 281). — Denique nonne Tibullum aut Propertium his uerbis querentem audire tibi uidearis?

Plaut., *Cist.*, 206, sqq. :

> Iactor, agitor, stimulor, uersor
> In amoris rota, miser exanimor,
> Feror, differor, distrahor, diripior.

Haec et plurima alia in comoediis et in elegiis similia sunt.

Non tamen plane idem est in utrisque sermo amatorius. Nam comici, qui minus fabulosas Graecorum religiones curant quam elegiarum auctores, rarius sagittas Amoris aut faces describunt aut regnum et dominationem. Iidem, cum in ea aetate uiuant in qua urbanitas nondum perfecta sit et expolita, minus saepe *elegantes decentesque* puellas aut *faciles* aut *teneras* laudant, minus saepe *saeuas*, *rusticas*, *superbas*, *austeras*, increpant. Translationes quoque quasdam non frequenter usurpant, nec militiae certaminibus et uictoriis fortunam amantium adsimulare solent.

At e contrario haud pauca apud eos inuenias quae elegiarum scriptores non repetierint. Argutas et uiuidas adhibent translationes in exprimendo amatorio affectu, cum amantem pingunt *carnificina* doloris laceratum (*Cist.*, 203), — *titubanti* animo labantem (*Pseud.*, 44), — aut contra spe felicis euentus *lactatum* (*Andr.*, 648), — puellam suam *Veneris uadimoniis conuadatum* (*Curc.*, 162), — *solstitialis herbae* instar repente exorientem, repente occidentem (*Pseud.*, 38), — uel cum amorem cum imbre

Digitized by Google

conparant quo pectus, ut aedificium, corrumpitur ac destruitur (*Most.*, 142 sqq.). — Eo praecipue differunt comici a nostris quod plures habent blandas uoluptariasque adpellationes quibus amantes quod amant prosequantur : non solum *mi ocule* aut *ocelle* (*Asin.*, 664; *Curc.*, 203; *Trin.*, 245), — aut *uita* (*Asin.*, 614), — aut *mea uoluptas* (*Most.*, 294), — quae et ipsi norunt nostri poetae, — sed etiam : *mel meum* (*Most.*, 325; *Stich.*, 740), — *mea rosa* (*Asin.*, 664), — *mi anime* (*Most.*, 664, *Eun.*, 95)[1].

Eiusmodi uerba duplicem praebent utilitatem : nam et uehementes amantium affectus uiuide et ualide significant, et, quia semper iis inest aliqua exaggeratio, audientibus dulcem mouent risum. Itaque talibus uocabulis saepe iocantur serui, additis hilaribus quibusdam et subridiculis adpellationibus :

Asin., 666, sqq. :

Dic me igitur tuom passerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, haedillum me tuom dic esse uel uitellum.

Asin., 693-694 :

Dic igitur med aniticulam, columbam uel catellum,
Hirundinem, monerulam, passerculum putillum.

Poen., 365, sqq. :

Mea uoluptas, mea delicia, mea uita, mea amoenitas,
Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum sauium,
Meum mel, meum cor, mea colustra, meus molliculus caseus.

Hae atque tales hyperbolae, quae simul et amatoriam uirtutem habent et comicam, apud Plautum frequenter reperiuntur; easdem uero iam respuere uidetur Terentius, quippe quae a simplicitate, ueritate, mediocritate abhorreant, neque elegiarum auctores, qui in exprimendis motibus animi magis modesti sunt minusque uehementes quam comoediarum adulescentes, id dicendi genus renouare curant.

Lucretius quoque res amatorias paulisper tractauit; cuius poema non quidem Catullum, sed Tibullum Propertiumque et Ouidium legisse et imitatos esse nemo negauerit. Cuius in quarto libro nonnulla uerba apparent quae in elegiis frequenter

1. Cf. *Pseud.*, 180 :

Quibus uitae, quibus deliciae estis, quibus sauia, mammia, mellillae.

Digitized by Google

leguntur. Nam amorem uocat *blandam uoluptatem* (IV, 1085), — *mutuam uoluptatem* (IV, 1201), — *mutua gaudia* (IV, 1206), — aut contra *miseros* ait esse amantes (IV, 1076), — *spe raptari misella* (IV, 1096), — *excruciari* (IV, 1202). — Amorem, sicut elegiarum auctores, morbo saepe adsimulat (IV, 1120; *tabescunt uolnere caeco*; IV, 1075 : *sanis*), — aut furori (IV, 1117 : *inde redit rabies eadem et furor ille reuisit*; cf. IV, 1083); — aut igni (IV, 1077 : *ardor amantum*; IV, 1086-1087 : *in eo spes est, unde est ardoris origo, restingui quoque posse ab eodem corpore flammam*), — aut uinculis (IV, 1202 : *in uinclis communibus*; IV, 1207 : *uinctos tenere*).

Sed in his quos laudaui uersibus, quamquam eadem sunt uocabula quibus utuntur elegiarum auctores, non eundem plane sensum habent; corporis enim impetum et rem uenerem significat Lucretius, nostri contra ad animi affectus, gaudia, dolores, haec uerba, has translationes potius conuertunt[1]. Pauci sunt uersus quibus Lucretius de iisdem rebus loquatur quae in elegiis pertractantur, de puellarum dolis et imperio, de amantium cupiditate aut maerore :

IV, 1144-1148 :

.... Vt melius uigilare sit ante
Qua docui ratione, cauereque ne inliciaris.
Nam uitare, plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est quam captum retibus ipsis
Exire et ualidos Veneris perrumpere nodos.

IV, 1138 :

Quod cupido adflxum cordi uiuescit ut ignis.

IV, 1187 :

Quos retinere uolunt adstrictosque esse in amore.

Talia raro apud Lucretium inueniuntur. Vnus est locus eius poetae qui cum Ouidii libris uere conparari queat : clarissimos illos uersus dico quibus Lucretius stultitiam inrisit amantium qui puellarum uitia falsis nominibus extenuant (IV, 1160 sqq.). Eandem materiam non semel tractat Ouidius, seu se dicit pro uirtutibus accipere solere omnia quae in puellis insunt (*Am.*, II, IV, 11 sqq.), seu discipulos suos hortatur ut nominibus

1. *Deliciae* (IV, 1150) non sunt gaudia amatoria, sed luxuria ac diuitiae.

Digitized by Google

molliant mala (*Ars Am.*, II, 657 sqq.), seu contra eis qui amorem deponere uolunt callide suadet ut in peius dotes deflectant mulierum (*Rem.*, 325 sqq.). Tribus in his locis Ouidium Lucretii meminisse perspicuum est, non tamen ita ut nullum discrimen intersit. Nam apud Lucretium, amantes dicuntur, ad significandas puellarum laudes, nominibus graecis uti, apud Ouidium autem latinis. Illic nigra *melichrus* uocatur, hic *fusca*; paruula illic *chariton mia*, hic *habilis*; magna illic *cataplexis*, hic *plena*. Vnde non iniuria aliquis inferre possit Lucretii tempore adulescentes, ut se urbanos esse et elegantes ostenderent, uerba graeca pro patriis adhibere consueuisse, Augusti uero aetate poetas latinam linguam tam delicatam tamque argutam fecisse ut res uenustissimas haud secus ac graeca posset exprimere. Et, si parua licet conponere magnis, libenter dixerim Catullum, Tibullum, Propertium, Ouidium, in arte amatoria idem fecisse quod Lucretium in philosophia, Ciceronem in rhetorica, id est sermonem latinum graeco sermoni adaequauisse et in eius uicem subposuisse [1].

At multo magis quam Plauti Terentiique comoedias aut carmen Lucretianum, Graecorum, in primis Alexandrinorum opera lectitauerunt imitatique sunt nostri poetae. Ac profecto, si plura ex Hermesianactis, Philetae, Callimachi, Phanoclis, Posidippi, Meleagri, libris exstarent uestigia, non operam perderet qui adcurate et singillatim uerba amatoria in elegiis et graecis et latinis percenseret et conferret. Quin immo, quamquam paucissimae supersunt illorum poetarum reliquiae, nonnulla tamen in iis conspiciuntur uocabula quae cum nostrorum poetarum dicendi genere conparari queant.

Etenim, ut Catullus Venerem ait *dulcem* curis miscere *amaritiem*, sic a Posidippo et Meleagro inducitur γλυκύπικρος Ἔρως (*Anth. Pal.*, V, CXXXIV, 4, et XII, CIX, 3).

Vt nostri Veneris iram aut Amoris imperium se timere fingunt, ita apud Hermesianactem legitur Κύπρις μηνίουσα (u. 91) et δεινὸν ἦλθον ὑφ' ἡνίοχον (u. 84).

Non ab Alexandrinis praetermittuntur *curae* (Phanocl., 5 :

1. Non modo in rebus amatoriis exprimendis, sed et in uestimentis describendis usi sunt Lucretius graecis, Ouidius latinis uocabulis. Sic Lucretius, IV, 1127, *thalassinam* eam uestem uocat quam Ouidius, *Ars Am.*, III, 177, his uerbis significat : Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.

Digitized by Google

ἄγρυπνοι μελεδῶναι), — neque *dolores* (Hermes., 92 : ἐξεπόνησ' ἀνίας), — neque *furores* (Hermes., 85 : μανίη).

Apud eos quoque reperiuntur *sagittarum ictus* (Hermes., 63-64 : ὑπὸ σκολιοῖο τυπέντα τόξου; cf. *Anth. Pal.*, XII, LXXV, 1).

uulnera (Hermes., 42 : πληγείς).

uincula (Hermes., 85, κατέδησε; Meleagr., *Anth. Pal.*, V, XCVI, 2 : ἦν θίγῃς, δέδεκας).

fluctus, *uenti*, *portus* (Meleagr., *Anth. Pal.*, XII, LXXXIV, 8 : κῦμα Κύπριδος; XII, CLVII, 3 : χειμαίνει ὁ βαρὺς πνεύσας Πόθος; XII, CLXVII, 2 : υἐς ὅρμον δέξαι).

retia (Meleagr., *Anth. Pal.*, V, CLXXVII, 8 : ψυχαῖς τίθησι λίνα).

ignes (Hermes., u. 37 : καίετο μὲν Ναννοῦς; 91 : πυρὸς μένει, Meleagr., *Anth. Pal.*, V, XCVI, 2 : ἦν ἐστίδης, καίεις; Posid. uel Asclep., *Anth. Pal.*, V, CCIX, 3 : καιόμενος ὑπ' Ἔρωτος; Posid., *Anth. Pal.*, XII, XCVIII, 2 : πῦρ ὑπὸ πλευρὰ βαλών; Asclep., *Anth. Pal.*, XII, XLVI, 2 : τί με φλέγετε; Callim., *Anth. Pal.*, V, VI, β : θέρεται πυρὶ; *Anth. Pal.*, XII, CXXXIV, 8 : ὤπτηται μέγα δή τι)[1].

Non tamen uerbum uerbo reddere studuisse nostri poetae putandi sunt, sed liberius hausisse e largissimo illo uocabulorum translationumque et figurarum apparatu qui apud Graecos auctores exstabat. Itaque, si ab iis adhibitas similitudines retractauero, facile, credo, apparebit quid Graecis debeant, quid suae ipsorum naturae. Ac cum eae similitudines magnam partem amatorii sermonis conponant, operae pretium est iis inmorari.

III

Inter similitudines quibus utuntur nostri poetae ut amantium affectus significent, sunt quaedam, — quae nescio an creberrime repetantur, — quas a Graecis auctoribus iis traditas esse minime dubitandum est : eas dico quae a fabulosa solitaque Amoris pictura, quae et in lyricorum carminibus et in Sophoclis Euripidisque tragoediis et praecipue in Alexandrinorum elegiis saepissime occurrit.

1. Pariter *mollis* idem est ac μαλακός. Hoc Hermesianactis, μαλακοῦ πενταμέτρου (u. 30), a Catullo uel Ouidio diceretur *mollis elegus*.

Digitized by Google

Etenim Graeci poetae, quo lepidius et acutius illum tenuissimum esse affectum eundemque potentissimum ostenderent, puerum Amorem esse finxerunt. Nostri pariter eum aliquando *paruum* esse dicunt et *puerum*, sed, cum bene *cibis alatur* uel *nutriatur* uel *pascatur*, tunc *adolescere*, *conualescere*, *magnumque* fieri.

Quoniam uero cito init humana pectora amatoria cupiditas nec tardius exit, uolucrem Amorem Graeci depinxerunt. Itidemque Latini elegiarum scriptores eius *alas* aut *pennas* saepe memorant, quibus fretus *uolucer* ille deus ac *uentosus* hominibus *adflat* uel contra propere *euolat* et *errat*.

Sed ualidissime in se ueterum poetarum animos uidentur conuertisse illi dolores qui ab amore nascuntur. Quibus quia tam atrociter animi amantium lacerantur quam vulneribus corpora, Amor hominum corda ferire dictus est. Quia autem iisdem doloribus mentes, quasi ignibus quibusdam, consumuntur, Amor flagrantes faces tenens aut iaciens est depictus. Denique, cum eiusmodi curarum tanta sit potestas ut amantibus liberam eripiat uoluntatem, Amorem uincula portare poetae finxerunt. Itaque a Graecis et scriptoribus, et pictoribus, fictoribus, etc., Amor armatus et telis et facibus et uinculis saepe describitur. Cuius picturae memor haud raro Ouidius *sagittas* et *faces* uno uersu conmemorare solet :

Am., I, xv, 27 :

Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma.

Am., II, ix, 5 :

Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos?

Am., III, ix, 8 :

Et fractos arcus et sine luce facem.

Her., II, 40 :

Altera tela arcus, altera tela faces.

Ars Am., III, 29 :

Femina nec flammas nec saeuos discutit arcus.

Rem., 139-140 :

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus
Contemptaeque iacent et sine luce faces.

Digitized by Google

His armis addit Propertius uincula, cum Amorum turbam describit :

Prop., II, XXIX, 5-6 :

Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam uisa est uincla parare mihi.

Illis ex omnibus imaginibus nostri auctores multas ducunt translationes. Nam amorem dicunt *flammam* esse uel *ignem*, *facibus* aut *lampadibus* aut *taedis* inmissum; hunc ignem *elici*, *concipi*, *conligi*, uel contra *exstingui* et *cinerem* fieri, uel *foueri*, *refricari*; huius *fauillis* homines *accensos* et *correptos*, *aestuare*, *ardere*, *calere*, *coqui*, *feruere*, *flagrare*, *sitire*, *torreri*, *uri*, aut alias *tepidos* esse aut *frigidos*.

Aliis in uersibus, describunt Amoris *pharetram*, *arcus* fortiter *contentos*, *sagittas*, *spiculaue* aut *tela*, *acuta* quidem et *certa*, quibus *concutit*, *ferit*, *uerberat* hominum corda. Qui cum neque eius *ictus* effugere queant neque sagittas *conuellere*, *sauciantur* ac *uapulant*, *vulneraque* accipiunt, quae uix ad *cicatricem* uenire possint.

Itaque *aegri* et *languidi*, *morbum* concipiunt qui etiam *malum*, *labes*, *pestis* uocatur aut *tabes* aut *torpor* aut *contagium* [1]. Cum amantes sese recipiunt, *curari* dicuntur et *sanari* et *salutem* accipere *medicinamque* et morbum *deponere* et *ualere* tandem. Cum uero perstat amor, per hyperbolen fingunt poetae amantes *pernicie* et *exitio* et quasi *fato* deuinci, *animam reddere*, *mori*, *interire*, *perire*, *sanguinem* effundere, *uita orbari*, *necari*, ad *funera* uenire.

Et quia morbo proximus est simillimusque furor, *furere* quoque amantes dicuntur, *externari*, *auferri*, et *amentes*, *caeci*, *ebrii*, *insani*, *uecordes*, *uesani*, *nullo uiuere consilio*.

Vincula quoque et *catenae* et *nodi* quibus amantes *ligantur* non a nostris poetis omittuntur. Haec uerba duplicem uim habent et usum, nam interdum consensum significant et animorum mutuam caritatem qua amantes uinciuntur, saepius autem dominationem cui subiectus est qui amat.

Denique apud Graecos Amor in homines et bellum gerere et

1. Cf., inter amoris signa, *maciem*, *pallorem*, *siccas medullas*.

Digitized by Google

regnum exercere dicitur, neque hoc solum, sed etiam puellas cum uiris proeliari, puellas in uiros dominari saepe finxerunt Graeci elegiarum scriptores. Has omnes similitudines, quae ad bellum pertinent et ad uictoriam et ad imperium uictoria partum, eo libentius in usu habuerunt Latini poetae quod eorum ciuibus nulla magis uerba, quam ea quae ad militiam, uictoriam, dicionem, potestatem spectabant, uel nota poterant esse uel cara.

Itaque plurimis in locis cum *militia* confertur amor, et ut acute id adnotauit Ouidius (*Am.*, I, IX), omnia quae in *bello* aut post *bellum* aguntur, in amore etiam reperiri queunt. Hic quoque sunt *proelia*, *pugnae*, *rixae*, *certamina*, *luctationes*, *dimicationes*; sunt *hostes*, *adsidui*, *fortes*, bene *muniti*, uel contra *inbelles* et *inualidi*; sunt *castra*, *arma*, *tutela*, *tirones*, *defuncti* milites, *desultores*, *excubiae uigiliaeque*, *insidiae*, *doli*, *fraudes*, *callide* excogitatae, quas *cauere* oporteat. Hostis *agitat* hostem, *oppugnat*, *urget*, *instat*, *corruit*; et licet qui lacessitur, *rebellis*, *repugnet* et *resistat*, *frangitur* tamen et *contunditur*. *Victor* omnia *expugnat*, *fugat*, *pellit*, *capit*, *rapit*, *superat*, *calcat*; rerumque *potitus*, *gloriae* plenus, *palma* donatus et *exuuiis spoliisue* aut *praeda*, *triumphum* agit, *tropaea* aedificat. Tunc quem *traxit* sub suum *iugum*, *tenet* ac *possidet*; eius *colla premit*, *supra caput instat*, *supra dorsum sedet*, et in eum exercet *graue imperium*, *regnum*, *ius*, *arbitrium* [1]. Qui ita *addicti* sunt et *adstricti*, *coactique* et *domiti*, modo *cedunt*, *cessant*, *seruitium ferunt subiecto demissoque* animo; quin etiam *humiles* et *supplices* uictoris *pacem* et *ueniam* inplorant; modo, *uindictae* cupidi, sese *adserunt* iugoque *subtrahunt*, ita ut eorum *leuentur* pectora.

Vt ars bellica, ita iuris scientia plurimum apud Romanos ualet, ideoque ab ea quoque hauriunt elegiarum scriptores multa uerba : *censura*, *dos*, *socius*, *tributa*, *uafer* [2], *ingenuus*. Praecipue ad hunc sermonem confugiunt amantes, uel cum aliquid sibi mutuo promittunt (*spondere*, *officium*, *debitus*, *polliceri*, *signare*, *foedus*, *pacisci*, *formula*, *fides*, *perfidus*, *periurus*), uel cum aliquid inuicem sibi exprobrant (*delictum*, *culpa*, *scelus*, *furta*, *peccata*, *damnum*, *laedere*, *nocere*, *arguere*, *crimen*, *defen-*

1. Ad hunc sensum referri queunt usitatissima uerba *domina*, *era*, *habere*.
2. Verbum enim illud aliquid habere uidetur quod singulariter ad iuris peritiam spectet : Ou., *Her.*, XIX, 30 : consultoque fui iuris Amore uafer; — cf. Hor., *Sat*, II, II, 131.

Digitized by Google

dere, *causa*, *lis*, *reus*, *insons*, *uincere*)[1]. Hoc quoque inter se commune habent res amatoriae et res iudiciales quod in utrisque exstat *ars* aut *scientia*, quae et *disci* et *doceri* potest, et *praeceptis monitibusue* tradi; quam qui non sciunt *rudes* uocantur; qui uero eam tenent, *eruditi*, *periti*, *prudentes*, *magistri*.

Religionis cum sint Romani magno opere studiosi, haud mirum est si multa e sacro sermone in sermonem amatorium translata sunt. Sic puellae *deae* nominantur, earumque potestas *numen*, *sacra* gaudia aut praecepta amoris, *sacri* amantes, *sanctus* amor, *haruspex* qui artis amatoriae peritus est, *auspicia* quae amoris futurum euentum significant. Frequentissima quoque sunt uerba : *fauere*, *faustus*, *uenerari*, *uota*, *pietas*, *inpius*, *incestus*. Denique *excantare* et *deuouere* ad magicas superstitiones pertinent.

Multa quoque ex arte nauigandi sumpta sunt : amoris enim terrenda potestas *gurgiti* adsimulatur quo omnia *absorbentur*; saepius autem amor *linter* uocatur aut *cumba*, quae *uelis* et *remis* agitur, ac modo, cum *tranquilla aura adflat*, *flumen* tuto descendit et in *portum* peruenit, modo, cum nimis *aestuat* mare et *uentus* est uiolentior, *fluctuat* et *iactatur*, *naufragioque* deletur.

Pauciora multo sunt uocabula quae ex ambulandi itinerisque faciendi ratione hausta sunt (*ire*, *iter*, *uia*, *biuium*, *limes*, *fessus*, *lassus*), — aut ex equitandi arte (*frena*, *resistere*, *meta*), — aut e uenatione (*uenari*, *canes*, *retia*, *plagae*, *laquei*, *capere*, *excipere*, *praeda*), — aut e piscatione (*hami*), — aut e mercatura (*nota*, *mercari*, *conducere*, *pretium*). His tamen ex artibus non paucas similitudines duxerant Graeci poetae.

Idem iure dixerim de rebus rusticis et agrestibus, quarum notitia, quamquam et Graecis multa uerba praebuerat et Romano populo familiaris erat et accepta, non tamen multum contulit nostrorum amatorio sermoni. Nam, licet *floribus* pulchritudinem et uirginitatem adsimulauerint, *fructibus* qui *carpuntur* aut *libantur* gaudia amoris, *ueri* iuuenum annos, *hiemi* amoris decursum, *spinis*, *uenenis*, *toxicis*, amantium dolores, haec tamen pauciora sunt quam quae reperturus tibi fuisse uidearis

1. Verba *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, cum possessionem significent, ad iuris sermonem quoque possunt referri.

Digitized by Google

in amatoriis carminibus Romanorum, apud quos tantopere res rustica uiguerit. Apud Alexandrinos autem imagines multae de uita agrestium ad amoris affectum uidentur esse deductae[1].

Sed nusquam planius apparet quantum a Graecis Latini elegiarum scriptores discrepent quam in eis uerbis quae ad lucem, colores, sapores, pertinent. His uocabulis saepissime utuntur Graeci, rarius Romani. *Lux* tamen et *lumen* satis frequenter apud nostros occurrunt; aliquando *aurei*, *purpurei*, *candidi*, dicuntur qui amantur, *atri* uero qui odium sibi pariunt; *melle* significantur gaudia, *felle amari* et *acerbi* dolores.

Denique adnotandum est *ferro lapidique* saepe adsimulari eorum animos, qui seu ob morum saeuitiam, seu ob nimium maerorem ac stuporem, sensu prope indigeant; et saepe quoque corporis partes pro mentis affectibus poni, sicut *cor*, *pectus*, *praecordia*, *uiscera*, *neruos*.

Atque si quis haec omnia quae adhuc dixi perspexerit, haud iniuria existimauerit Latinos elegiarum scriptores ex iis similitudinibus ac translationibus, quibus usi sunt Graeci, multas neglexisse aut rarius accepisse; has uero tenuisse quae, uel uetusta poetarum, pictorum, artificum consuetudine traditae et quodam modo consecratae essent, uel cum Romanorum moribus cumque belli, iuris, religionis scientia maxime congruerent.

Sed, ut ad eam, quam ostendi, originem referuntur translatiua uerba in latinis elegiis adhibita, ita non semper natiuam uim primumque sensum retinent. Saepe quidem uiuidam ueramque imaginem ante oculos habent poetae; neque solum uno uocabulo, sed tota sententia eam reddere conantur :

Cat., XI, 21-24 :

Nec meum respectet, ut ante, amorem
Qui illius culpa cecidit, uelut prati
Vltimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

Tib., I, IX, 21 :

Vre meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus.

1. Cf. H. Ouvré, *Méléagre de Gadara*, c. X, p. 106.

Digitized by Google

Prop., I, I, 10 :

Saeuitiam durae contudit Iasidos.

Ou., *Rem.*, 533-534 :

Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes :
Cedimus, e medio iam licet amne bibas.

Praecipue similitudines quae ducuntur ex Amoris pictis imaginibus, sicut *sagittae*, *faces*, *alae*, etc., proprium originis uigorem solent seruare.

Sed alias haec translatiua uerba ita adhibent poetae ut iam quid primum ea significauerint uix meminisse uideantur.

Etenim, cum apud Ou. (*Her.*, XIX, 119), Acontius ait : *uultus ad nostra incendia nati*, nihil amplius in animo habet quam ut Cydippae formam laudet. — Apud Prop. (I, XII, 17), *mutare calores* plane idem ualet atque « amorem ad aliam feminam transferre ». — Apud Ou. (*Ars Am.*, I, 80), *flamma in arguto saepe reperta foro* nihil est nisi amor, leuior quidem neque ita magnus aut feruidus. — Pariter in hoc uersu (*Ars Am.*, II, 124) *et tamen aequoreas torsit amore deas*, *torquere* est quasi « amantes sui facere » neque ad crudelissimos dolores pertinet. — Idem Ouidius, quamquam dicit : *uror* (*Am.*, I, I, 26), tam tepide, ut ita dicam, uritur, ut sequenti uersu iocetur de elegorum numero ac pedibus. — Denique, innumerabilia sunt exempla in quibus puella *domina* uocetur, Amor *saeuus* aut *crudelis* puer, *uri* se dicant aut *uinci* aut *capi* poetae, neque tamen respiciant ad propriam eorum uocabulorum significationem.

Atque adeo illarum imaginum color longo diuturnoque usu obliteratus est ut saepe duo uerba inter se coniungantur, quae, si ad eorum originem spectes, haud facile cohaerere possint :

Cat., LXVI, 79 :

Nunc uos, optato quas *iunxit* lumine *taeda*.

Tib., II, IV, 11 :

Nunc et *amara dies* et noctis *amarior umbra* est.

(cf. Prop., I, I, 33; II, XXII, 3; IV, III, 29; Ou., *Her.*, XII, 169)[1].

1. Graece quoque πικρός saepe pro molesto, iniucundo, ponitur; neque ego contendo hoc dicendi genus apud nostros poetas a solito omnium Romanorum sermone abhorrere : illud demum dico, in tali uerbi *amarus* usu, nullam inesse iam saporis notionem.

Digitized by Google

Prop., II, IX, 40 :

Sanguis erit uobis maxima *palma* meus.

Prop., III, VIII, 37 :

At tibi, qui nostro nexisti *retia lecto*.

Prop., III, XX, 21 :

Namque, ubi non certo *uincitur* foedere *lectus*.

Ou., *Ars Am.*, I, 611 :

Est tibi agendus amans imitandaque *uulnera uerbis*.

Ou., *Rem.*, 13 :

Si quis amans quod amare iuuat *feliciter ardet*.

Praecipue reperitur haec uerborum quasi discordia ubi poeta in uersu uno duobus utitur uocabulis quorum alterum ad *ignis* aut *flammae* similitudinem, alterum ad *uulnerum* aut *sagittarum* pertinet :

Prop., III, VI, 39 :

Me quoque consimili inpositum *torquerier igni*.

Ou., *Am.*, II, I, 7-8 :

Atque aliquis iuuenum, quo nunc ego, *saucius* arcu,
Adgnoscat *flammae* conscia signa suae.

Ou., *Her.*, IV, 20 :

Vrimur, et caecum pectora *uulnus* habent.

Ou., *Her.*, V, 152 :

..... E nostro *saucius igne* fuit[1].

At longe ab illis exemplis haec secernenda sunt, in quibus poetae non inscii et quasi temere dissimilia uerba conmiscent, sed consulto contraria uocabula, quo uiuidius sententia eniteat, in eodem loco iungere student :

Prop., I, IX, 4 :

Et tibi nunc quaeuis *imperat empta* modo;

Prop., IV, VIII, 52 :

Non operosa comis, sed *furibunda decens*;

Ou., *Ars Am.*, II, 572 :

Plena uerecundi *culpa pudoris* erat.

Has callidas argutasque iuncturas uerborum, quas et Horatius amauit, praesertim faciunt nostri poetae cum, ut simul

1. Cf. in *Metam.*, XIII, 807 : *Vror* enim *laesusque* exaestuat acrius *ignis*.

Digitized by Google

ostendant quantos amor dolores quantaque gaudia pariat, uocabulis quibus exprimi solent amantium curae et maerores addunt epitheta *dulcis*, *blandus*, *mitis*, *iucundus*, etc. Sic reperiuntur :

blanda arma (Prop., IV, I, 137);
dulcia arma (Prop., III, XX, 20);
dulcis ignis (Prop., III, VIII, 29);
dulcis rixa (Prop., III, VIII, 1);
dulcis amarities (Cat., LXVIII, 18);
dulce malum (Ou., *Am.*, II, IX, 26);
iucundus error (Ou., *Ars Am.*, III, 729);
iucundus labor (Cat., LXIV, 161);
iucundum malum (Ou., *Rem.*, 138);
iuuat ipse dolor (Tib., II, V, 110);
iuuat hoc quod uror (Ps. Tib., IV, V, 5);
perire iuuat (Prop., I, IV, 12);
incendia mitia (Ou., *Fast.*, I, 411);
mollia castra (Ou., *Ars Am.*, II, 236).

Haec atque talia exempla plane mihi ostendere uidentur quantam uerbis ponendis curam, quantam artem et peritiam insumpserint nostri poetae, quamque et diligenter et feliciter iis similitudinibus usi sint quas, a graecis exemplaribus aut a solito usu haustas, quasi sermonis amatorii substantiam materiamque habuerunt.

Digitized by Google

CAPVT II

QVOMODO SERMONE AMATORIO SINGVLI ELEGIARVM SCRIPTORES VSI SINT

Adhuc elegiarum auctores considerauimus uniuersos : nunc singuli sunt perscrutandi. Quamquam enim omnes, quod ad sermonem amatorium pertinet, multa inter se communia habent, non tamen omnino sunt similes, sed alius alia uerba libentius usurpat uel alio sensu accepta, ita ut in uario loquendi genere uniuscuiusque natura et indoles facile perspici possit.

Ac primum adnotandum est quaedam esse uocabula quae, cum a pluribus poetis adhibeantur, magis ac magis, tempore procedente, a natiua solitaque significatione discedant. Sic *laetari*, *laetitia*, apud Catullum de quouis gaudio dicuntur; apud Propertium, *laetitia* est uoluptas quam amantes capiunt cum se amari intellegunt; apud Ouidium, *laetari* est fere idem ac ludere, iocari, ridere. — *Medicinam* autem uocant Tibullus et Propertius quod amantium dolorem placare potest, Ouidius uero quod amorem ipsum exstinguere ualet ac delere. — *Faces* cum nominat Tibullus, in animo semper habet fabulosas picturas in quibus Amor faculas tenens fingitur; eodem uerbo utitur Propertius ut acrem amantium ardorem significet; apud Ouidium uero, *fax* nihil est interdum nisi amor, etiamsi mediocris sit ac parum ualidus. Idem de *igni*, *flamma*, etc., dici possit merito. — Puellas suas cum *dominas* adpellant Catullus, Tibullus, Propertius, earum imperiosam potestatem exprimere saepis-

Digitized by Google

sime uolunt; at Ouidius simpliciter *dominam* pro *puella* ponit. — Denique amorem cum *militia* confert semel Tibullus (I, I, 75) ac solum quia hoc loco de militari uita loqui necesse habet; Propertius ipse hanc similitudinem raro tractat, ac semper eam explicare studet; contra Ouidius saepe ac promiscue amorem uocat *militiam*.

Sunt alia uerba quae duo poetae uel soli uel certe libentius ac saepius quam alii usurpauerint, ita ut hac communitate uocabulorum similitudo aliqua inter eos et quasi uinculum efficiatur. Sic Catullus et Propertius aliquotiens coniunguntur, quoniam pariter moti sunt amore non molli, ut Tibullus, neque, ut Ouidius, leui, sed uehementi ac ualido. Itaque uterque *totum* amantem captum dicere solet; uterque amoris dolores et curas *undarum* fluctibus adsimulat; uterque sese *excruciari* ait.

Alia uocabula cum Ouidio communia Catullus habet, quibus Tibullus et Propertius aut raro utuntur aut numquam. Huiusmodi sunt *era*, *aemulus*, *flamma*, *ardere*, *teres*, *flauus* (hoc uerbum bis apud Tibullum reperitur, apud Propertium semel), ac praecipue ea uerba quae aliquid uenusti significant : *labella*, *deliciae* (qua uoce utuntur quidem Tibullus et Propertius, sed rarius), *luxuria* (quae apud Propertium est « nimius cultus » uel « inpudica uita », a Catullo autem et Ouidio ponitur potius pro elegantia). Huc accedunt quaedam minus honestae uoces : *paratus*, *iners*, *nerui*. Denique *adulterium* fere soli nominant hi poetae [1].

Sed plura sunt uerba quae uel solum in Ouidii Propertiique libris, uel saepius quam apud Catullum et Tibullum reperiantur. Sic *auxilium*, *barbarus*, *debitus*, *eburneus*, *fabula*, *honestus*, *humilis*, *insignis*, *nocere*, *haerere*, *premere* (obsceno sensu), *arma* (cum Veneris certamina significant). Adnotandae sunt etiam quaedam hyperbolae (*amens*, *caelestis*), et quaedam similitudines perusitatae. Nam uterque amorem *uitium* uocat aut *malum*, eum *ali* dicit, eius cursum *cumbae* nauigationi comparat; denique multo frequentius quam alii utuntur notissimis illis translationibus e *calore*, *incendio*, *uulnere*, desumptis. Adde quod quaedam uocabula quae meretriciae uitae propria esse uidentur (*amator*,

1. Cf. tamen Prop., II, XXIX, 38.

Digitized by Google

admittere, *emere*, *rixa*), saepius liberiusque usurpant quam Catullus aut Tibullus.

Si uero inquisiueris quid quisque peculiare habeat, quaedam apud Catullum facile notaueris quae ueteris uulgarisque sermonis quasi uestigia maneant neque apud posteriores poetas reperiri queant : nam Catullus *nutrices* dicit pro *papillis*, pro *osculis* autem *basia*, neque solum in hendecasyllabis sed in elegiis (XCIX, 16), aut *sauia* (quae uox semel apud Propertium, II, XXIX, 39, inuenitur, numquam apud Tibullum et Ouidium).

Sunt quoque quaedam uerba Catullo aut omnino aut fere propria, ac minus honesta : *inpudicus*, *subleuare*, *subponere*, *solere*, *sterilis*, *agere*, *exuuiae*, *prurire*, *exercere* (semel apud Ouidium), *scortum* (semel apud Pseudo-Tibullum), *moechus* (semel apud Propertium).

Sed nulla uerba magis amat et curat Catullus quam aut ea quae aliquid elegantius ac lepidius exprimunt, aut ea quae uehementem acremque animi impetum significant.

Etenim cum et Alexandrinorum opera diligenter legerit imitatusque sit, et ipse rebus, ut in suo genere, perfectis absolutisque potissimum delectetur, id inprimis pulchritudinis genus miratur quod non amplum est aut magnificum, sed argutum et subtile, et, ut ita dicam, tenue, quodque e corporis iucunditate, uultus festiuitate, uestium elegantia, urbanitate morum constare uidetur praecipue. Ideoque in eius uersibus frequenter occurrunt uerba quae ad hoc genus rerum pertinent, uelut *elegans*, *facetus*, *delicatus*, *lepidus*, *insapiens*, *insulsus*, *mellitus*, *suauis* (quod uocabulum ad solos odores refertur), *uenustus*, *urbanus*. Eandem ob causam saepissime *dulce* uocat id de quo loquitur; *florem* dicit uel iuuentutem uel pulchritudinem; colorem corporis depingit *lacteum* uel *roseum*. Denique inde fit quoque ut deminutiuae uoces, quibus inest nescio quid delicati, ei ualde placeant : *femella*, *lacrimulae*, *labella*, *ocelli*, *lacteolus*, *languidulus*, *bracchiolum*, *sauiolum*, *solaciolum*, *tenellulus*, *Veraniolus*, *uersiculi*, *zonula*, etc.

At idem poeta, cum potentissimo amore permotus sit ac percussus, suos affectus efferre conatur tam uiuide quam ualide in sese sentit. Quapropter plurima uerba ad depingendam amoris uim adhibet, acerrima quidem et, ut ita dicam, fortis-

Digitized by Google

sima, cum amantes dicit *barathro* uel *uertice absorberi*, *fluctuare*, *flagrare*, *edi*, *coqui*, *externari*, *uecordes* esse et *perditos*, aut cum *indomitum inpotentemque* describit amorem, *spinosas* curas, *taetrum* morbum ac *pestem*, aut cum Venerem depingit *corruentem*.

Quo ex animi impetu nihil umquam gignitur turgidi uel adfectati, sed contra Catullum simplicissimis uerbis consulto uti saepe manifestum est. Quin etiam numquam magis legentes conmouet quam cum consuetas adhibet uoces et inornatas :

VIII, 5 :

Amata nobis quantum amabitur nulla.

VIII, 7 :

Quae tu uolebas nec puella nolebat.

XLV, 20 :

Mutuis animis amant, amantur.

LVIII, 1-2 :

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia....

LXVIII, 160 :

Lux mea, qua uiua uiuere dulce mihi est

LXXV, 3-4 :

Vt iam nec bene uelle queat tibi, si optuma fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

LXXXV, 2 :

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris :
Nescio, sed fieri sentio, et excrucior.

Hi talesque uersus, in quibus enitet, ut ait Fenelo, uehemens simplicitas, Catullum Caesari proximum facere mihi uidentur : *nudi* sunt enim et *recti*, et eo magis uigoris habent quo minus ornamenti.

Tibullus[1], cuius natura minus ualida minusque singularis fuit quam Catulli aut Propertii, non peculiari nota sermonem amatorium uidetur signauisse. Ab eius uersibus multa uerba absunt quibus ceteri poetae amoris uiolentiam significant : *furor*, *libido*,

1. Hic de Tibullianis libris I et II solum loquor; de origine librorum III et IV in sequenti capite pauca dicam.

Digitized by Google

amens, *nequitia*, *uesanus*, *flagrare*, *flamma*, *medulla*, etc. Contra, cum ad lacrimas et gemitus sit propensus, saepe de *acerba* Venere queritur, puellamque orat ut sibi *parcat*. Saepe quoque *furtum* nominat amorem, cuius clandestina gaudia ei inprimis placent. Frequentissimo sunt in usu apud eum nonnulla uerba quae cum ipsius dulci mollique indole conueniunt : *tener* scilicet (quae uox apud Propertium ad corpus, hic pariter ad corpus et ad animum refertur), et *mitis*; itaque nemo mirari debet si eiusdem Tibulli *ingenium mite* laudauit Ouidius (*Trist.*, V, 1, 18). Hoc quoque adnotari potest, Tibullum, cum superstitionibus obnoxius fuerit, religiosis uocibus quibusdam libenter usum esse; inter quae uerbum *deuouere* (magico sensu) ei uidetur esse proprium, nam quamquam Ouidius dixit (*Her.*, VI, 164) : *uiuite deuoto nuptaque uirque toro*, non ad magica carmina respexit.

Multo plura habet uerba propria sibi Propertius. Solus enim uocat *fuluam* puellae comam; solus dicit *mammas* pro papillis, *ulnas* pro bracchiis, *corollam* pro corona, *aquam* pro lacrimis, *aliquid* pro aliqua persona amata, *finem* pro puella post ceteras dilecta, *austerum* pro seuero, *custodire* pro observare, *paginam* pro carmine, *uincire* pro amplecti, *sequi* pro insequi, *ferre* aut *differre* pro infamare, *uocare* pro arcessere ad Veneris uoluptates. Non solus quidem, sed saepius quam alii, *lumina* pro oculis dicit, *feminas* pro puellis, *figuram* pro pulchritudine, *formosas* (absolute) aut *formas* pro formosis puellis, *nomen* pro fama. Denique in eius uersibus uoces *felix*, *lectus*, *nox*, saepissime repetuntur.

Praeterea non raro similitudines aut translationes inuenit quibus uiuide sententia depingatur. Non enim pudorem dicit, sed *frena pudoris*, non rei amatoriae peritum hominem, sed *haruspicem*; non amorem cuncta in obliuionem inpellere ait, sed *sepelire*; non se, cum amore frui potuit, beatum praedicat, sed *inmortalem*. Amoris doloribus *sanguinem hauriri* ait et *ossa* conburi : quae uix semel apud Ouidium inueniuntur. Puellam hyperbolice uocat non modo, ut alii, *mea uita*, sed *uita* simpliciter (quod Ouidius semel facit).

Praecipue iis utitur uerbis quae ad bella et certamina spectant : cuiusmodi sunt *iurgia*, *proelia*, *ferus*, *frangere*, quae saepius

Digitized by Google

quam apud alios poetas in eius libris repetuntur, et *contendere amori*, *concutere*, quae nusquam alibi occurrunt.

Pariter, inter ea uocabula quibus puellarum in amantes dominatio significatur, alia ab eo solo usurpantur (*addictus*, *adligare*, *demissis ceruicibus*, *insultare*, *pollere*), alia ab eo saepissime (*durus*, *superbus*, *grauis*, *imperium*, *fastus*, *fastidium*, *foedus* [cum legis sensum habet], *premere*, *liber*).

Ac, cum multa aspera a domina pati necesse habuerit, multa quóque uerba usurpat quae eiusmodi contumelias significant : *adspernari*, *eicere*, *diducere*, *diuidere* (haec quatuor uocabula nescio an apud nullos alios poetas inueniantur), *contemnere*, *excludere*, *decipere*, *deserere*, *iniuria*, *amarus*, *inimicus*. Ideoque *iram* et *dolorem* saepe memorat, se *fessum* esse ait aut *dementem*, *flere*, *plorare*, *queri*, *tremere* (quo uerbo Propertius solus utitur ad amoris dolores exprimendos, Ouidius tantummodo ad pauorem significandum), *tabescere* (quod semel apud Catullum reperitur), *perire*. E contrario, ab eius uersibus fere abest uox *dulcis*, nisi cum idem ualet atque *amatorius*; raro quoque occurrit uerbum *deliciae* quod inuenitur quidem II, XXXIV, 74, sed quia Propertius Vergilii uerba refert, et IV, VII, 75, sed sine amatorio sensu, ita ut uix unum huius uerbi amatorio sensu accepti restet exemplum (II, XV, 2).

Cum autem ualidissimo uerissimoque, ut Catullus, amore teneatur, tam sincere quam Catullus ornamenta adfectata respuit quo simplicius natiuam amoris uim exprimat :

I, XI, 24 :

Omnia tu nostrae tempora laetitiae.

I, XII, 20 :

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

I, XV, 32 :

Sis quodcumque uoles, non aliena tamen.

I, XIX, 12 :

Traicit et fati litora magnus amor.

II, III, 8 :

Differtur, numquam tollitur ullus amor.

II, VIII, 6 :

Nec mea dicetur quae modo dicta mea est.

Digitized by Google

II, IX, 46 :
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.

II, XXVIII, 42 :
Viuam, si uiuet; si cadet illa, cadam.

IV, VII, 93 :
Nunc te possideant aliae, mox sola tenebo.

Pauca uerba obscene accepta Propertius propria habet : *luctari* tamen et *experiri* apud eum solum turpem habent significationem.

Cum Ouidius multo plurima inter nostros poetas carmina scripserit, non est mirandum si apud eum plurima quoque occurrunt singularia uerba. Sic solus dicit *ferre munera*, *acta*, *admissum*, *desinere* pro amare desinere, *spondam* pro lecto, *uxorem* pro domina; fere solus *spicula* pro telis, *speciem* pro pulchritudine (quod semel usurpat Propertius), *carere* pro orbari (hoc uerbum semel apud Tibullum reperitur), *thalamum* pro lecto (nam *thalamos* uocant ceteri poetae solorum heroum lectos, ita ut uix unum alterius significationis exemplum praebeat Propertius). Verba quibus uaria affectuum momenta aut genera exprimuntur diligenter adfectat : *dedolere*, *biuium* aut *bipertitum* amorem, *teporem* (qui et omnino frigidae et omnino ardentis mentis habitui opponitur), *mulcere* (quod uerbum Catullus ad corpora, Ouidius solus ad affectus refert), *taedia* (haec uox apud Tibullum omnia genera dolorum promiscue significat, apud Ouidium solam satietatem), *animos* (id est genera animorum dissimilia).

Ac, quoniam semper aliquid noui et inexspectati uersibus suis uult inferre, Ouidius multo plures adhibet translationes quam qui ante eum scripserunt. Etenim apud eum solum inueniuntur uerba quaedam sicut *hami*, *uenari*, *hiemps amoris*, *refricare*, *opes* et *diues* (cum haec uerba ad gaudia referuntur quibus amantes frui possunt), *abundare*, *auferri*, *morsus* liuoris et doloris (nam Catullus eodem uocabulo solum utitur ad corporis morsus significandos), *adtonitus* (haec tamen uox semel a Tibullo adsumpta est), *cinis*, *calere* (id uerbum non plane Ouidio proprium est, sed in eius libris creberrime apparet), *cibus amoris*, *nutrire*[1], *adolescere* (de amoris augmentis). — Praecipue eis similitudinibus utitur quae ex arte medendi ducuntur :

1. *Nutrire* est quoque apud Propertium, sed semel.

Digitized by Google

unde *cicatrix* et *contagia*, et *medicina*, quae quidem apud alios poetas solacium est doloris, hic uero amoris sanatio. — Ex arte docendi quoque multa sumit : solus dicit *monitum*, *erudire*, fere solus *artem* et *docere*. — Pariter e scientia rei militaris : non solum *castra* aut *milites* saepe nominat, ut alii, sed solus ad amorem deuertit has uoces : *captare*, *defunctum*, *tironem*, *desultorem*. — In iureconsultorum sermone multa etiam inuenit, ut *adstringere*, *adserere*, *dimicare*, *uindictam*, *causam*, *concessa* gaudia, *legitimos* toros. — Denique a meretricum solito dicendi genere plura uerba petit quam ceteri elegiarum scriptores : *conciliare*, *prostituere*, *lenonem*, *accedere*, *non expedit*, *conducere*, *paelices*.

Idem quotienscumque pulchritudinem puellarum describere studet, diligentius propriis uerbis utitur quam Tibullus et Propertius. Namque solus *formam* certo peculiarique, non generali sensu, accipit; solus *crura* et *uentrem* nominat, *marmoreum* et *fuscum* colorem, *castigatum* corporis habitum, *menda*, *breue* corpus, *exiguum* pedem, *argutos* oculos (eadem uox a Catullo insumitur, sed ad mores pertinet). — Praesertim id laudat in puellis quod elegans est ac politum nec quicquam habet insulsi aut ridendi : unde fit ut in eius libris potissimum legantur uerba *cultus*, *mundus*, *aptus*, *decere*, *conuenire*, *comis*, *habilis* (haec duo uocabula nusquam alibi reperi); e contrario eas feminas ridet quae *antiquae* et *tetricae* sunt aut *simplices*, eaque uerba primus inter amatorios poetas usurpauisse mihi uidetur.

Si uero ad amoris affectum spectauerimus, iure dicere poterimus ut Propertium amantium dolores, sic Ouidium gaudia uoluptatesque potius depinxisse. Neque enim inmerito se dicit *tenerorum lusorem amorum*, sed uere amorem existimat facilem hilaremque ludum. Itaque solus eis uocabulis utitur quae ad morum facilitatem pertinent : *humanus*, *amabilis*, *commoditas*, *indulgentia*, *licentia* : paene solus *uoluptatem* nominat, et *iocum*, et *commoda*, et *sollicitandi*, *adliciendi*, *temerandi*, rationem. — Eandem ob causam multa uerba quae apud Propertium grauem acerbumque sensum habent in laetiorem significationem ab Ouidio deuertuntur. *Fortuna* iam non durum saeuumque fatum est, sed prospera amoris exercendi occasio; *notae* non sunt crudelia irae signa, sed dulcia uoluptatis indicia; *nequitia*

Digitized by Google

non nimius turbulentusque animi impetus, sed laetum ludicrumque uiuendi genus; *inritari* non ira aut liuor dicitur, sed amor; *instare* non ad puellae dominationem saeuam pertinet, sed ad amatoria incepta; *proteruus* uocatur non qui audax est, sed qui ludere uult; *petulans*, non qui superbe contumeliosus est, sed qui pudore non tenetur; *insanus*, non qui ob amorem nimium dementit, sed qui non satis callide sese gerit. Pariter apud Tibullum *torquere* est dolore amantem adficere; apud Ouidium nihil est amplius quam in amorem inducere. Catullus et Tibullus et Propertius *saucios* appellant eos qui asperas curas patiuntur, Ouidius eos qui amant, etiamsi nihil doleant.

Cum autem ingenii acumen magni faciat Ouidius, libenter *uafros* aut *uersutos* dicit amantes aut *callidos*; quae uox apud Tibullum perfidiam significat, hic uero laudandam mirandamque artem.

Praeterea, cum corpora magis quam animos curet et consideret, paulum quorumdam uerborum sensum in hanc partem conmutat. Sic apud Propertium *culpare* est mores inprobare, apud Ouidium faciem parui aestimare; *gaudia* Propertius dicit mentis laetitias, Ouidius corporis uoluptates (quod tamen apud Tibullum iam inuenitur).

Denique eo praecipue a prioribus poetis differt Ouidius quod permulta uerba in turpiorem significationem deuertit. Apud Tibullum enim aut Propertium *iuuare* est placere, apud Ouidium uoluptarium sensum titillare. Propertius quid amorem *alere* possit nonnumquam curat, Ouidius quid uenereum uigorem; *effectum* Propertius dicit prosperum amoris euentum, Ouidius uenerea corporis gaudia. *Esse cum amante* apud Catullum et Tibullum, *coire cum amante* apud Propertium, ad amantium conuersationem spectant: apud Ouidium eadem uerba saepe de Veneris certaminibus intellegenda sunt. *Medullam* amoris ardore conbustam depingunt priores poetae, Ouidius uoluptatis ignibus. — Eadem ratione ad inhonestam significationem deducuntur uerba: *petere*, *latus* (quae quidem iam in Catulli duobus tribusue locis eum accipiunt sensum), *usus*, *lassus*, *opus*, *membra* (iam apud Tibullum), *gratus*, *beatus* (semel apud Propertium), et quae uere Ouidio (hoc saltem sensu) propria sunt : *certamen*, *continuare*, *cupere*, *desinere*, *decipere*, *destituere*, *exigere*, *fortis*, *frui*,

Digitized by Google

hebes, *iungi*, *laetus*, *marcere*, *mobilis*, *obscenus*, *opera*, *pati*, *deperire*, *praebere*, *praeda*, *propositum*, *pudendus*, *sumere*, *sustinere*, *torpere*, *utilis*.

Aliis in locis inest quaedam ambiguitas, cum poeta nihil turpe dicere uideatur, sed alius sub primo sensus lateat, turpissimus quidem :

Am., II, v, 62 :

Nescio quis pretium grande magister habet.

Am., II, x, 24 :

Pondere, non neruis corpora nostra carent.

(*nerui* sunt uires corporis, sed praesertim uires ad uenerem aptae).

Her., XV, 369 :

Quid ualeam nescis, et te mea robora fallunt.

(qui uersus ad militarem Paridis uirtutem specie refertur, sed *ualere*, *robora habere*, de Veneris proeliis simul dici possunt).

Ars Am., II, 707-708 :

Inuenient digiti quod agant in partibus illis
In quibus occulte spicula tingit Amor.

Hoc est solitum Ouidii in elegiis iocandi nugandique genus. Raro fit ut obscena uocabula adhibere audeat; numquam ad id uulgare et sordidum dicendi genus descendit quod non semper Catullus, in hendecasyllabis praecipue, reformidauit, ac, si ad solam orationis frontem spectes, diligentissime ac seuerissime pudoris leges sequi uidetur. Contra, si res consideraueris, facile perspici potest eum non modo animi affectus, sed corporis uoluptates saepissime ac libentissime describere (cf. praesertim *Am.*, I, v; II, x; III, vii; *Her.*, XVIII, 63-70; *Ars Am.*, II, 703-732; III, 769-804). Itaque, cum res uenereas praetermittere nolit nec tamen eas aperte ostendere queat (haec enim scribendi ratio et legentibus displiceret et ipsi poetae, quippe quae non satis calliditatis ingeniique exposceret), omnem laborem et artem in id inpendit ut res inhonestissimas honestis uerbis significet. Quod ei feliciter euenit. Nam, ut elegiam III, vii, praetermittam, quae, cum de turpissimis rebus scripta sit, paucissima tamen habet obscene dicta, multis aliis in locis reperitur quoddam dicendi genus quod consulto poeta obscurum facit et incertum, quo facilius rem minime pudicam insinuare possit :

Digitized by Google

Am., I, IV, 63 :
Oscula iam sumet, iam non tantum oscula sumet.

Am., I, IV, 69 :
Sed quaecumque tamen noctem fortuna sequetur...

Her., XV, 162 :
Quod poterat salua uirginitate rapi.

Her., XVI, 25 :
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum.

Her., XVI, 164 :
Sed tu non ideo cuncta licere puta.

Huiusmodi officium praebet saepe uerbum *facere* :

Am., I, X, 24 :
Et quod uos facitis sponte, coacta facit.

Am., III, XIV, 15 :
Quae facis, haec facito; tantum fecisse negato

Ars Am., II, 366 :
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.

Rem., 779-780 :
Nec frustra flebat, mihi credite : fecit Atrides
Quod si non faceret, turpiter esset iners.

Pariter quoque uocabula *aliquid, quod, quiddam*

Am., II, V, 56 :
Et quiddam uisa est addidicisse noui.

Am., III, II, 83 :
Risit, et argutis quiddam promisit ocellis.

Her., XVI, 99 :
Quam multos credis iuuenes optare, quod optas?

Her., XVI, 108 :
Spes tua lenta fuit : quod petis, alter habet.

Her., XVI, 185 :
Quod male persuades, utinam bene cogere posses!

Ars Am., I, 230 :
Est aliquid, praeter uina, quod inde petas.

Ars Am., I, 674 :

Digitized by Google

Quod iuuat, inuitae saepe dedisse uolunt.

Ars Am., I, 705 :

Scilicet, ut pudor est quaedam coepisse priorem....

Ars Am., II, 576 :

Et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.

Ars Am., II, 707 :

Inuenient digiti quod agant in partibus illis...

Vox *cetera* quoque frequenter insumitur quotienscumque poeta significare uult aut corporis absconditas partes :

Am., III, II, 35 :

Suspicor ex istis et cetera posse placere.

Her., XIX, 61 :

Cetera si possem laudare, beatior essem.

aut amoris secreta furtiuaque gaudia :

Am., I, V, 25 :

Cetera quis nescit? lassi requieuimus ambo.

Am., III, II, 84 :

Hic satis est; alio cetera redde loco.

Her., XVII, 105 :

Cetera nox et nos et turris conscia nouit.

Ars Am., I, 669-670 :

Oscula qui sumpsit, si non et cetera sumpsit,
Haec quoque, quae data sunt, perdere dignus erit.

Haud minus acutam aut diligentem artem praestat Ouidius in similitudinibus tractandis et figuris e quibus constat magna pars amatorii sermonis. Quae plerumque, quo saepius repetitae sunt, eo magis uigorem natiuum amiserunt, ita ut Ouidio tritae extenuataeque tradantur. At ille, ut eis nouas reddat uires nouasque inlecebras, omnibus utitur rationibus. Modo translationem ita amplificat ut quasi allegoriam quandam excogitet. Sic in primo *Artis Amatoriae* libro diu de hoc iocatur (uersibus 5-24) quod Amoris magister electus est a Venere; in tertio autem (uersibus 1 6. 45-46) pluribus uerbis pollicetur se arma puellis daturum quibus cum uiris pugnare possint. Atque ita ex uno uocabulo

Digitized by Google

interdum ducit totum fere libellum sicut *Am.*, I, II, ubi diligenter et exacte triumphum Amoris depingit, aut *Am.*, I, IX, ubi, quia saepe qui amant bellare dicuntur, singula amantium officia cum singulis militum confert. Sed quid « totum libellum » dixi? Quin etiam omnis liber qui inscribitur *Remedia Amoris* quid est aliud nisi notissima illa inter amorem et morbum conparatio, quam non leuiter adtingit Ouidius, sed extendit et amplificat et prope in inmensum ducit?

Alias in solita loquendi genera aliquid noui inferre nititur quod proprie ad praesentem rem pertineat. Etenim multi poetae cycnorum colorem cum puellarum candore contulerunt; sed, quia de Ledae filia agitur, ait Ouidius :

Her., XVI, 251-252 :

Pectora uel puris niuibus vel lacte tuamque
Conplexo matrem candidiora Ioue.

Idem, cum de gaudiis Leandri loquitur ait, ea non magis numerari posse :

Her., XVII, 108 :

Hellespontiaci quam maris alga potest.

Sed plerumque, ut communia sermonis amatorii uerba iucundiora legentibus efficiat, de duplici, quae eis inesse potest, significatione ludere solet. Quod argutiarum genus non omnino ignorauerunt alii elegiarum auctores, sed adhibuerunt interdum, raro quidem Catullus :

LXXII, 3-4 :

Dilexi tum te non tantum ut uulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit et generos.

paulo frequentius Tibullus [1] :

I, I, 75 :

Hic ego dux milesque bonus.

I, V, 38 :

At dolor in lacrimas uerterat omne merum.

II, III, 35 :

Ferrea non uenerem, sed praedam, saecula laudant.

1. Adde quod Tibullus, I, I, 50 et I, VIII, 70 *ianuam* dicit *duram*, id est et rigidam et precibus parum motam.

Digitized by Google

saepius Propertius :

I, VI, 29-30 :

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis :
Hanc me militiam fata subire uolunt.

II, XIV, 23 :

Haec mihi deuictis potior uictoria Parthis.

II, XV, 1 :

O me felicem! o nox mihi candida!

II, XXVI, 51 :

Crudelem et Boream rapta Orithyia negauit.

(ubi *crudelis* est simul « saenus » et « amori parum obnexius »).

II, XXXIV, 91-92 :

Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna uulnera lauit aqua!

III, VI, 34 :

Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.

III, VIII, 31-32 :

Dum uincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.

III, XI, 16 :

Vicit uictorem candida forma uirum.

III, XVI, 16 :

Ipse Amor accensas percutit ante faces.

III, XVII, 4 :

Curarumque tuo fit medicina mero.

IV, IV, 45-46 :

Pallados exstinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat : lacrimis spargitur ara meis.

IV, XI, 46 :

Viximus insignes inter utramque facem.

Nemo tamen hos lusus uerborum plures excogitauit aut acutiores quam Ouidius.

Etenim, si ad solum illud similitudinum genus spectes quod ex ignibus aut facibus deducitur, plurima loca reperias ubi poeta consulto duos sensus conmiscuerit. Nam inter se conparantur modo faces amoris et coniugii :

Her., XIII, 160 :

Perque pares animi coniugiique faces.

Digitized by Google

modo faces amoris et rogi :

Her., XV, 164 :
Flamma rogi flammas finiet una meas;

Cf. *Rem.*, 38, 720; *Fast.*, III, 545-546.

modo maritales funebresque taedae :

Her., VI, 45 :
At mihi nec Iuno nec Hymen, sed tristis Erinys
Praetulit infaustas sanguinulenta faces.

Cf. *Her.*, II, 120; VI, 42; XI, 101-103; XX, 172; *Fast.*, II, 561-562.

alias sacrorum coniugiique taedae :

Ou., *Am.*, III, vi, 75 :
Cur, modo Vestalis, taedas inuitor ad ullas?

saepius uero corporis animique flammae :

Am., III, ii, 39-40 :
An magis hic meus est animi, non aeris aestus,
Captaque femineus pectora torret amor? (cf. *Am.*, III, v, 36).

Am., III, vi, 41-42 :
Fertur in Euanthe conlectam Inopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis. (cf. *ibid.*, 26, 83).

Her., XII, 165-166 :
Quaeque feros pepuli doctis medicatibus ignes,
Non ualeo flammas effugere ipsa meas.

Her., XII, 180 :
Flebit et ardores uincet adusta meos.

Her., XV, 50 :
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei.

Her., XV, 124 :
Quanta per has nescis flamma petatur aquas.

Her., XV, 231 :
Saepe mero uolui flammam conpescere.

Her., XVII, 41-42 :
Tam gelidus quod sis num te tamen, inprobe, quondam
Ignibus Actaeis incaluisse negas?

Digitized by Google

Her., XVII, 89-90 :

Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, praestat amor.

Ars Am., II, 301 :

Adstiterit tunicata : « moues incendia », clama.

Similes his ambiguitates adhibet Ouidius in eis uerbis usurpandis quae uulnera sagittarum ictusque significant :

Her., VII, 189-190 :

Nec mea nunc primum feriuntur pectora telo.
Ille locus saeui uulnus amoris habet.

Ars Am., I, 166 :

Et qui spectauit uulnera, uulnus habet.

Ars Am., II, 708 :

In quibus occulte spicula tingit Amor.

Ars Am., III, 737-738 :

« Ei mihi! » conclamat : « fixisti pectus amicum :
« Hic locus a Cephalo uulnera semper habet ».

Rem., 157 :

Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas.

Rem., 283 :

Hic amor et pax est, in qua male uulneror una.

Et quae ad mortem exitiumue spectant similitudines eiusdem modi ludis locum dant :

Am., II, XIV, 21 :

Ipse ego, cum fuerim melius periturus amando....

Her., VII, 61 :

Perdita ne perdam, timeo, noceamue nocenti.

Her., X, 115 :

Dextera crudelis, quae me fratremque necauit.

aut quae ad morbum :

Her., IV, 1-2 :

Quam nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella uiro.

Digitized by Google

Her., XV, 1-2.

Hanc tibi Priamides mitto, Ledaea, salutem,
Quae tribui sola te mihi dante potest.

Her., XIX, 186 :

Teque simul serua meque.

Ars Am., I, 258

Non haec, ut fama est, unda salubris erat.

aut quae ad uincula :

Her., VII, 9 :

Certus es, Aenea, cum foedere soluere naues?

Her., XIX, 86 :

Seruabor firmo uinctus amore tui.

Pariter ludit poeta de uocabulis translatiuis quae ad militarem artem pertinent :

Her., VII, 32 :

Frater Amor, castris militet ille tuis.

Her., XVI, 256 :

Militia est operis altera digna tuis.

Fast., II, 783 :

Cepimus audendo Gabios quoque.

Her., IX, 113-114 :

Falleris et nescis : non sunt spolia illa leonis,
Sed tua, tuque feri uictor es, illa tui.

Ars Am., I, 133-134 [1] :

Scilicet, ex illo sollemni more, theatra
Nunc quoque formosis insidiosa manent.

Ars Am., II, 406 :

Victor erat praedae praeda pudenda suae,

Rem., 153-154 :

Vel tu sanguinei iuuenalia munera Martis
Suscipe : deliciae iam tibi terga dabunt.

Rem., 158 :

Et refer ad patrios bina tropaea deos;

ac de iis quae dominationem significant :

Her., IX, 78 :

Aequaque formosae pensa rependis erae [2].

1. De Sabinis mulieribus agitur, quas Romuli comites rapuerunt.
2. Haud dissimili modo uidetur dominum Achillem uocare Briseis, quae eius captiua et amans est. (*Her.*, III, 5, 6, 52, 100, 154.)

Digitized by Google

Her., VI, 97 :

Scilicet ut tauros, ita te iuga ferre coegit.

Her., XII, 163-164.

Serpentes igitur potui taurosque furentes,
Vnum non potui perdomuisse uirum.

ac de iis quae e iurisprudentia desumpta sunt :

Rem., 668 :

Venit in amplexus, atque ita « uincis » ait.

Ars Am., I, 84, sqq :

Quique aliis cauit, non cauet ipse sibi;...
Resque nouae ueniunt, causaque agenda sua est.

aut e nauigandi arte :

Her., XV, 25-26 :

Perstet, et, ut pelagi, sic pectoris adiuuet aestum :
Deferat in portus et mea uota suos.

Her., XVII, 120 :

Cum redeo, uideor naufragus esse mihi.

aut e circensibus spectaculis :

Am., III, II, 81-82 :

Sunt dominae rata uota meae, mea uota supersunt :
Ille tenet palmam, palma petenda mea est.

aut e corporis partibus :

Her., I, 90 :

Viscera nostra, tuae dilacerantur opes.

Her., X, 107 :

Non poterant figi praecordia ferrea cornu :
Vt te non tegeres, pectore tutus eras.

Her., XVI, 102 :

Nec tibi plus cordis, sed magis oris adest.

aut e lumine et coloribus :

Am., I, XIII, 33-34 :

Inuida quo properas? quod erat tibi filius ater,
Materni fuerat pectoris ille color.

Digitized by Google

Her., XVII, 85 :

Vt procul adspexi lumen : « meus ignis in illo est;
« Illa meum, dixi, litora lumen habent. »

Her., XV, 320 :

Candidior medio nox erit illa die.

Nec solum e translatiuis illis uerbis eiusmodi ambiguitates callide excogitatas petit Ouidius, sed etiam multa alia uocabula ita conlocat ut duos sensus in unum congreget.

Saepe enim in eodem uersu eidem uoci duas significationes tribuit, quarum altera ad corpus, altera ad animum pertinet :

Am., I, XIII, 47 (de Aurora) :

Iurgia finieram; scires audisse : rubebat.

Am., III, II, 19 :

Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi.

(cf. *Ars Am.*, I, 141; in utroque loco *iungi* est proprie « in uicino loco sedere », sed etiam « amore iungi » subauditur).

Her., IV, 65 :

Thesides Theseusque duas rapuere sorores,

(Theseus Ariadnen abduxit, Hippolytus Phaedrae amorem abstulit).

Her., IV, 166 :

..... Eris tauro saeuior ipse truci?

(id est simul « crudelior » et « amori minus aptus »).

Her., VI, 98 :

Quaque feros angues, te quoque mulcet ope.

Her., VIII, 57 :

Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt.

Her., XII, 171 :

Quae me non possum, potui sopire draconem.

(*sopire* est « et in somnum ducere » et « cohibere animi impetum »).

Her., XVII, 57 :

Nec mora, deposito pariter cum ueste timore...

Ars Am., II, 152 :

Dulcibus est uerbis mollis alendus amor.

(dulcis est et « gustatu suauis » et « tener, amatorius »).

Ars Am., II, 407 :

Inde Thyestiaden animo thalamoque recepit.

Digitized by Google

Alias, conmiscentur duo sensus quorum unus personarum, alter rerum proprius est :

Am., II, xv, 5 (de anulo):

Tam bene conuenias, quam mecum conuenit illi.

Her., VII, 8 :

Atque idem uenti uela fidemque ferent?

Her., VII, 73 :

Da breue saeuitiae spatium pelagique tuaeque.

Her., VII, 179 :

Dum freta mitescunt et amor....

Her., X, 50 :

Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

Her., XVII, 129 :

Cur ego confundor, quotiens confunditur aequor?

Her., XVII, 172 :

Cumque mea flunt turbida mente freta.

Her., XVIII, 96 :

Quam similis uento ne tuus erret amor.

Her., XVIII, 150 :

Corpus Leandri, spes mea pendet aquis.

Fast., III, 481 :

Bacche leuis, leuiorque tuis, quae tempora cingunt,
Frondibus...

Fast., III, 553 :

Seque memor spretum : « Thalamis tamen, inquit, Elissae,
« En ego, quem totiens reppulit illa, fruor. »

(*thalami* sunt primum « aedes », secundum « amor ».)

Adde omnes locos in quibus dura ianua dominae ab amante dicitur, id est simul « duro ligno exstructa » atque « precibus « parum mota » (*Am.*, I, vi, 62, 65, 74; II, 22; *Rem.*, 508, 677; *Fast.*, V, 339).

Multis quoque in locis idem uerbum simul accipitur et solito communique sensu et hoc certo proprioque quem in amatorio sermone habet :

Am., II, iv, 20 :

. . . . . Cui placeo, protinus illa placet.

(*placeo*, ut poeta; *placet*, ut puella).

Digitized by Google

Am., II, IV, 23-24 :

. . . . . Altera dura est :
At poterit tacto mollior esse uiro.

(*dura est*, dure incedit; *mollior*, ad uoluptatem adcommodatior).

Am., II, VIII, 4 :

Apta quidem dominae sed magis apta mihi.

(*apta dominae*, in ancillae officiis; *apta mihi*, in re uoluptaria).

Am., II, VIII, 24 :

Vnum est e dominis emeruisse satis.

(*emereri*, est et « officium facere » et « uenerem iungere »).

Am., III, II, 5 :

Tu cursus spectas, ego te...

(*spectare* primum simpliciter ponitur; secundo autem, ut cupide spectare).

Am., III, II, 18 :

Vincamus dominae quisque fauore suae.

(*fauor* est beneuolentia, cum in circensibus proeliis, tum in amatoriis rebus).

Am., III, VIII, 14 :

Ense latus cinctum, quod tibi seruit, erat.

(*latus* pariter ad militiam et ad uoluptatem spectat).

Am., III, X, 17-18 :

Nec tamen est, quamuis agros amet illa feraces,
Rustica.

(Ceres est *rustica*, ut ruris dea, nec tamen *rustica*, id est erga amorem saeua).

Her., IV, 140 :

Dicar priuigno fida nouerca meo.

(*fida* est « proba », et « amans »).

Her., XIII, 83 :

Fortius ille potest multo, quam pugnat, amare.

(*fortis* dicitur et qui bene pugnat et qui in re uenerea ualet).

Ars Am., I, 587 :

Inde procurator nimium quoque multa procurat.

(*procurare* est rem alterius curare; hic, sibi adsumere officia amantis).

Ars Am., II, 625 :

At nunc nocturnis titulos inponimus actis.

(*acta* sunt plerumque « uictoriae », hic « amatoriae uoluptates »).

Ars Am., II, 710 :

Nec solum bellis utilis ille fuit.

(*utilis* est et « ad militiam aptus » et « ad uenerem »).

Digitized by Google

Ars Am., III, 462 :

Si dederint, et uos gaudia pacta date.

(*si dederint*, munera; *date*, uoluptates uenereas).

Rem., 170 :

Quaelibet huic curae cedere cura potest.

(*curae*, id est studio rusticae artis; *cura*, id est amor).

Trist., II, 493-494 :

His ego deceptus, non tristia carmina feci,
Sed tristis nostros poena secuta iocos.

(*tristia*, « ab amore abhorrentia »; *tristis*, « molesta ac grauis »).

Ad hoc ludendi genus referri possunt omnia loca ubi poeta patriam, fraternam, etc., caritatem cum amatoria cupiditate consulto conmiscet :

Her., XI, 23 :

Cur umquam plus me, frater, quam frater amasti?

Her., XI, 59 :

Et mihi : « uiue, soror, soror o carissima », aisti.

Her., XI, 127-128 :

Tu, rogo, dilectae nimium mandata sororis
Perfer.

Ars Am., I, 285 :

Myrrha patrem, sed non qua filia debet, amauit.

Ars Am., I, 745 :

Hermionam Pylades, qua Pallada Phoebus, amabat.

Huc accedit iocossimum illud :

Ars Am., III, 448 :

Fur sit et uratur uestis amore tuae.

Similis ambiguitas, neque ea quidem honestissima, an insit duobus locis nescio, in quibus Venerem Marti *continuari* ait Ouidius (*Ars Am.*, I, 406; *Fast.*, IV, 130); quod proprio sensu de mensibus Martio Aprilique dicitur, sed cum frequens sit in rebus amatoriis uocis *continuare* usus, et Martis Venerisque amores saepe sint narrati, haud incredibile est ad illam fabulam adlusisse Ouidium.

Quin etiam apud hunc scriptorem reperiuntur uerae cauilla-

Digitized by Google

tiones, cum dissimilibus omnino sensibus unum uocabulum intellegendum sit :

Her., XVII, 213 :

Me pariter uenti teneant tenerique lacerti.

(*tenere* est et « morari » et « conplecti »).

Her., XIX, 50 :

Nec quemquam, qui uir, posset ut esse, fuit.

(id est, qui fortis fuit ut uoluptates amatorias carperet).

Her., XIX, 186 :

Teque simul serua meque datamque fidem.

(*seruare* est et « non perdere, non exitio dare », et « non uiolare »).

Her., XX, 143-144 :

Non ego iuraui; legi iurantia uerba.
Vir mihi non isto more legendus eras.

(*legere* est et « recitare, pronuntiare » et « eligere »).

Med., 11-12 :

Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae
Maluerint quam se rura paterna coli.

(*colere* est et « agros arare » et « corpus ornare »).

Ars Am., II, 166 :

Cum dare non possem munera, uerba dabam.

(quod proprie idem ualet ac « promissa dabam », sed *uerba dare* est quoque « decipere, fraudare »).

Denique non solum sensum sensui, sed etiam sono sonum libenter opponit Ouidius :

Her., X, 38 :

Verbera cum uerbis mixta fuere meis.

Ars Am., I, 244 :

Et uenus in uinis ignis in igne fuit.

Facile, ut mihi uidetur, in his quae adnotavi, perspici potest quomodo quisque amatorio sermone usus sit. Idem apud omnes sermo est, si summam consideres, sed non eandem semper speciem habet. Facies, ut ait Vergilius, non omnibus una nec diuersa tamen. Soli Tibullo deest proprium dicendi genus ac uere suum, nisi forte uerba quae ad mites tenerosque et querulos mentis affectus pertinent in eius elegiis paulo crebriora quam

Digitized by Google

in aliis sunt. Sed Catullo maxime uidentur placere uocabula quibus aut res lepidae ac uenustae aut animi uehementes motus exprimuntur; Propertio ea quae acres curas significant, toto in pectore haerentes; Ouidius a ceteris differt non eo solum quod ludicris et leuibus uerbis potius utitur, sed ideo maxime quia plus artificii atque calliditatis adhibet in amatorio sermone tractando. Nam priores poetae, ut non dicendi laborem et curam neglegunt, tamen inprimis eloqui student quae sentiunt; Ouidius autem non tam mentis habitum efferre uult quam ingenii peritissimum acumen ostendere ac curiosam artis felicitatem. Ita fit ut in amatorii sermonis usu, tamquam in speculo quodam, appareat uniuscuiusque natura, elegantissima simul atque uehementissima Catulli simplicitas, Tibulli mollis mitisque indoles[1], Propertii acris grauitas, Ouidii iucunda callidaque argutia.

1. Excipiendae sunt tamen elegiae II, IV; II, VI; IV, XIII.

Digitized by Google

CAPVT III

NVMQVID SERMONIS AMATORII NOTITIA EDENDORVM LIBRORVM RATIONI CONFERRE POSSIT

I

Vtrum ex amatorii sermonis notitia aliquid certi conici possit de quorumdam dubiorum carminum origine quaesiui quidem, sed aut pauca inueni aut nihil.

Etenim, quod ad corpus pertinet earum elegiarum quae sub nomine Tibulli nobis traditae sunt, tertius earum liber, qui est Lygdami cuiusdam, minimo interuallo a primo secundoque differt in delectu usuque amatoriorum uerborum. Itaque Tibulli ipsius eum esse putaret quisquis solam inspiceret orationem; quod cum falsum esse certissima indicia demonstrent, illud tantum retinendum est, Lygdamum, seu quisquis hoc nomine se uocari uoluit, diligentissime Tibulli uestigiis inhaesisse.

De quarto autem libro magis inplexa est quaestio. Omissis enim elegiis XIII et XIV, quas Tibulli esse nemo est iam qui dubitet, restant elegiae II-XII quae aut a Sulpicia aut de Sulpicia scriptae sunt. Elegiae II, VI, VI (de Sulpicia) toto dicendi genere Tibullianis carminibus sunt proximae; idemque dici potest de elegiis III et V, in quibus Sulpicia de semetipsa loquens inducitur. E contrario, elegiae VII-XII a ceteris distinguuntur non tantum quod et breuiores sunt et minus expolita

Digitized by Google

in aliis sunt. Sed Catullo maxime uidentur placere uocabula quibus aut res lepidae ac uenustae aut animi uehementes motus exprimuntur; Propertio ea quae acres curas significant, toto in pectore haerentes; Ouidius a ceteris differt non eo solum quod ludicris et leuibus uerbis potius utitur, sed ideo maxime quia plus artificii atque calliditatis adhibet in amatorio sermone tractando. Nam priores poetae, ut non dicendi laborem et curam neglegunt, tamen inprimis eloqui student quae sentiunt; Ouidius autem non tam mentis habitum efferre uult quam ingenii peritissimum acumen ostendere ac curiosam artis felicitatem. Ita fit ut in amatorii sermonis usu, tamquam in speculo quodam, appareat uniuscuiusque natura, elegantissima simul atque uehementissima Catulli simplicitas, Tibulli mollis mitisque indoles[1], Propertii acris grauitas, Ouidii iucunda callidaque argutia.

1. Excipiendae sunt tamen elegiae II, IV; II, VI; IV, XIII.

Digitized by Google

CAPVT III

NVMQVID SERMONIS AMATORII NOTITIA EDENDORVM LIBRORVM RATIONI CONFERRE POSSIT

I

Vtrum ex amatorii sermonis notitia aliquid certi conici possit de quorumdam dubiorum carminum origine quaesiui quidem, sed aut pauca inueni aut nihil.

Etenim, quod ad corpus pertinet earum elegiarum quae sub nomine Tibulli nobis traditae sunt, tertius earum liber, qui est Lygdami cuiusdam, minimo interuallo a primo secundoque differt in delectu usuque amatoriorum uerborum. Itaque Tibulli ipsius eum esse putaret quisquis solam inspiceret orationem; quod cum falsum esse certissima indicia demonstrent, illud tantum retinendum est, Lygdamum, seu quisquis hoc nomine se uocari uoluit, diligentissime Tibulli uestigiis inhaesisse.

De quarto autem libro magis inplexa est quaestio. Omissis enim elegiis XIII et XIV, quas Tibulli esse nemo est iam qui dubitet, restant elegiae II-XII quae aut a Sulpicia aut de Sulpicia scriptae sunt. Elegiae II, VI, VI (de Sulpicia) toto dicendi genere Tibullianis carminibus sunt proximae; idemque dici potest de elegiis III et V, in quibus Sulpicia de semetipsa loquens inducitur. E contrario, elegiae VII-XII a ceteris distinguuntur non tantum quod et breuiores sunt et minus expolita

Digitized by Google

oratione interdumque etiam obscuriore scriptae sunt, sed quod in eis reperiuntur quaedam uerba quae in reliquis partibus corporis Tibulliani non appareant (*esse cum* in elegia VII, 10; *animum sensusque meos*, VIII, 7; *scortum*, X, 4; *ardor*, XII, 6). His argumentis conroboratur eorum criticorum sententia, qui, Lachmannum secuti[1], elegias VII-XII a Sulpicia sola scriptas, III et V ab eadem excogitatas, sed a Tibullo correctas et politas, II, IV, VI autem aut a Tibullo aut a Tibulli quodam discipulo factas esse existimauerunt.

Apud Propertium, loci qui nonnullis doctis uiris delendi uisi sunt parem sermonem ei exhibent quem in reliquis uersibus inuenimus.

Denique, *Heroides* XV-XX tantae sunt et in eloquendo facilitatis et in iocando argutiae et in rebus amatoriis tractandis leuitatis, ut prioribus Epistulis uel aequales esse uel praestare dici queant. Neque modo earum auctor Ouidii, ut Tibulli Lygdamus, discipulus fuit et imitator, sed et aemulus, adeo ut ille « Ouidianus poeta », ut aiunt critici, Ouidio ipso magis Ouidianus iure possit uocari. Fere nihil ergo eiusmodi soluendis quaestionibus quas sibi proposuerunt docti homines conferre potest sermonis amatorii cognitio.

II

Qui uero non ad totarum quarumdam elegiarum originem inquirendam, sed ad singulorum uersuum scripturam perpendendam dat operam, ei multum quidem auxilii non potest adferre sermonis amatorii notitia, non tamen nihil potest. Nam plerumque ita discrepant duo codices ut uerba exhibeant non eadem, sed cum amatorio sermone aeque congruentia; itemque saepe euenit ut critici pro uerbo aliquo amatorio legendum censeant aliud uocabulum quod nec magis sit amatorium nec minus.

Vt exemplis utar, apud Tib., I, I, 55 : *me retinent uinctum*

1. Lachmannus quidem putauit elegiam VII, sicut III et V a Tibullo correctas esse; alii eam cum carminibus VIII-XII coniunxerunt.

Digitized by Google

formosae uincla puellae, optimi Mss. habent *uinctum*, Itali *uictum*. Sed, cum haud minus frequenti in usu sit alterum altero uerbum apud nostros poetas nec minus alterum altero ad amatorium sermonem aptum sit, alia ratione opus est qua nos ad lectionem eligendam ducamur. — Idem dicendum est de Prop., I, VI, 10, ubi Neapolitanus habet *irato uiro* cum optimis codicibus, alii autem *ingrato*. — Denique apud Prop., IV, III, 11, legitur : *haecne marita fides et pactae in gaudia noctes*. At Palmerus (*Hermathena*, XXI) legendum censet : *sperata et gaudia noctes*. Cum autem et *pacisci* et *sperare* hoc sensu sint amatorii sermonis, nihil eius sermonis scientia habet quo haec quaestio diiudicari queat.

Non igitur ita prodesse potest sermonis amatorii notitia quasi certam inmotamque regulam constituat criticis, nec tamen est nullius momenti. Etenim, ut nullum locum esse credo in quo amatorii sermonis leges hoc uerbum delendum, illud ponendum, absolute euincant, sic multos esse uersus arbitror in quibus legendis qui uocabula amatoria plane cognouerit, is ualidius inpelletur uel ut codicum lectiones retineat uel ut criticorum coniecturas probet. Itaque sermonis amatorii cognitio, quamquam per se ipsa non satis firma argumenta gignit, tamen, ubi cum aliis argumentis iungitur, aliquid subsidii et auxilii potest praebere arti criticae. Huiusmodi sunt ea, quae sequuntur, exempla.

Cat., LXIII, 31 : *Furibunda simul anhelans uaga uadit animagens*. Sic Mss. O M G. Ex quo duxerunt Auantius *animo egens*, Statius *animi egens*, Lachmannus autem et Baehrensius *animam agens*. Ac mihi quidem priores coniecturae praeferendae uidentur, cum saepissime fanaticus iste impetus furori aut insaniae adsimuletur, haud minus atque amor ipse.

Cat., LXIV, 64 : *Non contecta leui uelatum pectus amictu*. Sic V M, et Baehrensius et Schulzius. Machlyus coniecit *niueum per pectus*, quod, ut non absonum est, ita superuacuum uidetur, cum sequenti uersu legatur *lactentes papillas*. Schwabii coniecturam malim *nudatum pectus* (cf. uersum 129 : *mollia nudatae tollentem tegmina surae*).

Cat., LXIV, 92 : *Cuncto concepit corpore flammam*. Hanc codicum V M lectionem recte praetulerunt editores scripturae

Digitized by Google

Italorum : *cuncto concepit pectore flammam.* Etenim apud Catullum, non, ut in Ouidii libris, flammae ignisque uocabula nihil aliud sunt quam trita uiliaque dicendi genera, sed re uera quid in toto corpore efficiat uis amoris describere uult hic poeta (cf. LI, 10; C, 7). Adde quod concinnior et Catullo dignior exsistit adlitteratio si legitur *cuncto concepit corpore.*

Cat., LXIV, 165 : *Externata malo.* Sic O, multo melius quam G M D (*extenuata*). Non enim hic ostendere uult poeta quam debilis sit Ariadna, sed quam animo turbata, quippe quae auris conqueratur quae « nec missas audire queant nec reddere « uoces ». Talem autem habet sensum uox *externari* (cf. LXIV, 71 : *adsiduis quam luctibus externauit... Erycina*), sicut et *furere, insanire, dementem esse*, etc.

Cat., LXVIII, 52. *In quo me corruerit genere.* Inutilis est Turnebi coniectura : *torruerit.* Etenim uerbo *corruere* optime depingitur grauis Veneris impetus[1]; quod autem ad grammaticam attinet, cur *corruere* minus cum accusatiuo casu quam *ruere* coniungi possit? aut, si hoc non recipis, cur non duo uerba proxima in uersu inter se transferantur, ita ut legendum sit : *in me quo corruerit genere?*

Cat., LXVIII, 139 : *Coniugis in culpa flagrantem cotidiana.* Sic O G M. Quae culpa cum facile perspiceretur, uarias emendationes excogitauerunt uiri docti : Baehrensius *concipit iram*, Lachmannus *concoquit iram*, Santenius *continet iram*, Hertzbergius *contudit iram.* Hae duae scripturae meliores mihi uidentur quam priores, non modo quia minus a textu codicum discedunt, uerum etiam quia, ut semet ad ferendas aequo animo iniurias hortaretur, poetam haud credibile est meminisse uoluisse quanta ira Iuno exarserit, sed potius quam fortiter iram uicerit. Hoc autem sensu et *continere* et *contundere* non raro dicuntur quasi *uincere, reprimere.* Sic apud Ps. Tib., III, vi, 14 : *ille ferocem contudit*; cf. Prop., I, i, 10.

Cat., LXVIII, 140 : *Noscens omniuoli plurima facta Iouis.* Sic V M, quorum lectionem in *furta* inmutant plerique editores. At ego, ut *furta* hic minime dedecere fateor, ita a codicum textu digrediendum haud puto. *Facta* enim pro perfidiis, culpis, libi-

1. Cf. Hor., *Carm.*, I, xix, 9 : In me tota ruens Venus.

Digitized by Google

dinibus saepe ponuntur. Ou., *Am.*, III, I, 22 : *Dum tua praeterito facta pudore refers*; III, XI, 43 : *Facta merent odium, facies exorat amorem*; *Her.*, XIX, 49 : *Paradis reprehendere factum*, etc.

LXXXIII, 3-4 : *Si nostri oblita taceret, sana esset.* (Mss. habent aut *sanna* aut *samia.*) Palmerus (*Class. Rew.*, febr. 1891) legendum putat *salua esset*, quae uox apud nostros poetas rarissime reperitur : *sanus* autem persaepe dicitur qui ab amore inmunis est.

LXXXIII, 6, *Irata est, hoc est uritur et coquitur.* Frustra *irata* in *incensa* mutare uoluit Pleitnerus. *Coquitur* optime a Lipsio excogitatum est pro hoc quod in codicibus erat *loquitur*; illud enim uerbum ad flagrantem ira et amore animum depingendum maxime ualet (cf. Plaut., *Trin.*, 225).

Tib., I, I, 46 : *Et dominam tenero continuisse sinu.* Sic optimi Mss. Lectio Italorum *detinuisse* reicienda est non modo quia eorum minor est auctoritas, uerum etiam quia *detinere* est potius *morari*, ac raro pro *tenere* ponitur.

Tib., I, IV, 54-55. *Pugnabit, sed tamen apta dabit. Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti.* Sic Mss. (nisi quod exhibent *afferet*; *offeret* a Puccio est coniectum). Quamquam sensus haud omnino difficilis est intellectu, tamen priore uersu *apta*, altero *rapta* legendum esse non sibi persuadere potuerunt plerique critici. Itaque Lachmannus utrobique *apta*, Baehrensius utrobique *rapta* posuit (*sed tibi rapta dabit*). Hic quidem, ut mihi uidetur, rectius. Namque cum *rapere oscula* frequentissimi est usus, tum *rapta oscula* optime oblatis osculis opponuntur de quibus postea agitur.

Tib., II, IV, 39 : *At tibi, quae pretio uictos excludis amantes.* Sic Mss. Baehrensius corrigi posse censet *uacuos*. Sed solent uocare *uictos* poetae nostri amantes eos qui a riualibus superantur. Tibullus ipse alias ait : *donis uincitur omnis amor* (I, V, 60). Cf. quoque Prop., II, VIII, 8; III, VI, 25; Ou., *Ars Am.*, I, 302; II, 539; *Rem.*, 454.

Tib., II, VI, 45 : *Lena necat miserum Phryne.* Sic Itali et plerique editores. Codices quidem optimi *uetat* habent; sed hyperbolice « perire, mori, sanguinem (aut animam aut uitam) « reddere » saepe dicuntur amantes qui repulsi sunt aut contempti.

Digitized by Google

Ps. Tib., III, vi, 13. *Ille* (Bacchus) *facit dites animos deus.* Sic Mss. et Hauptius, Muellerus, Hillerus. Sed hic non de ingeniorum copia et facundia agitur, solum de morum facilitate. Lectio autem Lipsii Baehrensiique, *mites*, quae optimum efficit sensum, etiam cum amatorio sermone rectissime congruit. Nam saepe *mitis* pro *tranquillo* aut *placido* ponitur. (Cf. Ou., *Her.*, VI, 148 : *non quia tu dignus, sed quia mitis ego*; — XIV, 55 : *natura mitis et annis*).

Ps. Tib., III, vi, 46. *Aut fallat blanda subdola lingua prece.* Haec correctio, ab Heinsio excogitata, tam bene cum sensu congruit et cum uerbi *subdola*, *dolosa*, etc., significatione, ut mirandum sit Hauptium Vahlenumque lectionem codicum *sordida* maluisse.

Ps. Tib., IV, iv, 6. *Neu notet informis candida membra color.* Sic Itali. Optimi codices habent pro *candida*, *pallida*, quam uocem respuerunt critici, ut ortam a uersu priore (*Effice ne macies pallentes occupet artus*). Hoc unum addiderim, *candidum* colorem esse pulchrum ac splendidum, et longe a pallido uel albo distare. Quod et grammatici docent et poetarum exempla satis ostendunt. Itaque hic uoce *candida* significatur natiuus primusque corporis color, qui ne morbo corrumpatur timet poeta, neque eundem, sed contrarium sensum habent uerba *candida* et *notet informis color.*

Ps. Tib., IV, vi, 20 : *Hic idem uotis iam uetus adsit amor.* Nescio cur Baehrensio uideatur *ratus* melius scribi. Nam *uetus* amor dicitur qui diu durat (cf. Ou., *Rem.*, 108).

Prop., I, v, 11 : *Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos.* Cum multa illa loca oblitus esset Caruttius in quibus puellae amantium oculos laesisse narrantur, frustra excogitauit : *non tibi iam somnos nox ulla relinquet ocellis.*

Prop., I, ix, 12. Neapolitanus habet : *Carmina mansuetus leuia quaerit Amor.* Quamquam praestantissimi est huius libri auctoritas, tamen retinenda est aliorum lectio : *lenia*; nam *lenis* haud raro pro amatorio ponitur; cf. Tib., I, viii, 2 : *quidue ferant miti lenia uerba sono*; Ou., *Am.*, II, i, 22.

Prop., I, x, 13 : *Non solum uestros didici reticere dolores.* Sic Mss. Quia amici sui eiusque dominae laetitiam memorauit poeta uersu 12, pati *dolores* nolunt multi critici : *furores* conicit

Digitized by Google

Volscus, *calores* Dousa et Heinsius et Vahlenus. At optime uidit Rothsteinius *dolores* pro *amoribus* poni solere, etiamsi nihil maesti sit intellegendum. Sic enim Propertium dixisse notat Rothsteinius uno eodemque carmine *o me felicem* et *nostros alio transferre dolores* (II, xv, 1 et 35). Eundem sensum, a prima origine distantem, habent nonnulla uerba ut *curae*, *ignis*, *uri*, etc. Quod dixi ualet ad uersum II, xv, 35.

Prop., I, xii, 19 : *Neque ab hac desistere fas est.* — Nescio cur Vahlenus *discedere* scripserit, nam *desistere* proprium est uerbum ad amoris abdicationem significandam. Cf. Prop., II, xx, 36 : *Nec cito desisto nec temere incipio*; et Ou., *Her.*, XVI, 151-152.

Prop., I, xviii, 17 : *An quia parua damus mutato signa colore?* Sic Neapolitani exsistit lectio, quam retinet Rothsteinius, qui de rubore et pudore intellegit mutatum colorem. — At Vahlenus Groningani lectionem maluit : *mutato calore*, id est « amore « ad aliam feminam translato ». — Sed plurima sunt exempla quibus *mutatum colorem* amoris timidi uerecundique signum esse appareat (cf. uerba *pallere*, *rubere*, etc.).

Prop., II, ix, 2. *Hoc ipso eiecto carior alter erit.* — Haec lectio, quam non habent Neapolitanus (*electo*) neque Groninganus (*erepto*), optima tamen est, cum *eicere* peculiare uerbum sit de meretricibus amantes excludentibus. Cf. Prop., II, xxi, 12.

Prop., II, xxii, 13 : *Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes.* — Haec lectio Neapolitani multo melior est quam Groningani : *mollis et amens*. Nam hic non, ut alias, ualidum uehementemque animi motum exprimit Propertius, sed nihil aliud canit quam iocosam leuemque uoluptatem, quam minime deceret uerbum *amens*, quod numquam ponitur nisi cum poeta turbatum tumultuariumque mentis habitum depingere studet.

Prop., II, xxv, 2. *Excludi quoniam sors mea saepe ueni.* Sic Mss. Quod plerique editores ita correxerunt : *Excludit quoniam sors mea* : « *saepe ueni* ». Hoc quidem optimum. Nescio tamen an malim quod scripserunt Maduigius et Paldamus : *Excludi quoniam sors mea saepe uenit.* Frequentissimus est enim usus illius uocabuli *excludi* ad eiectos amantes pertinentis, et amatorii sermonis proprius. Vt Propertio solo utar, eiusmodi exempla inueniuntur I, xvi, 8; II, xxix, 41; III, xvi, 20; III,

Digitized by Google

xxv, 15. Vnde mihi uix credibile uidetur hic aliam eiusdem uocis significationem posse reperiri.

Prop., II, xxix, 41 : *Sic ego tam sancti custode reludor amoris* habet Neapolitanus; uarius est aliorum librorum textus. Vahlenus scripsit *custode recludor*, Iacobius *custode recludar*. Multo probabilius mihi uidetur quod legitur apud Rothsteinium : *tam sancti custos excludor amoris*, cum quo libenter contulerim illud Tib., I, iii, 83-84 : *sancti pudoris custos*.

Prop., III, iii, 49 : *Clausas excantare puellas*. — Hoc cur ueteribus criticis, Puccio, Perreio, Liuineio, displicuerit, qui alii *exorare* coniecerunt, alii *expugnare*, non equidem uideo. Nam non rarae sunt in amatorio sermone uoces a magico sermone deductae (cf *deuouere*, *carmen*).

Prop., III, xxiii, 17 : *Quaecumque dolens reperit non stulta puella*. — Sic Mss., quos plurimi editores secuti sunt, et Rothsteinius quoque. Me tamen malle confiteor quod Vahlenus post Puccium et Perreium scripsit : *uolens*. Nam uerbum *uelle* saepe bonam benignamque puellarum erga amantes uoluntatem significat. Cf. praecipue Cat., VIII, 7 : *Quae tu uolebas nec puella nolebat*.

Prop., IV, vii, 19 : *Saepe uenus triuio conmissa est*. — Etsi Neapolitanus *conmixta est* habeat, tamen *conmissa est* legendum puto cum Rothsteinio et Lachmanno, cum quia paulo post sequitur *pectore mixto*, tum quia multo saepius dicitur a nostris poetis uenus *conmitti* quam *conmisceri*.

Prop., IV, viii, 82 : *Riserat imperio facta superba dato*. Palmerus (*Class. Rew.*, 1894) legendum censet *risit era*. Sed nescio an nusquam apud Propertium *era* pro *domina* ponatur.

Ou., *Am.*, I, ix, 5-6 : *Quos petiere duces annos in milite forti, hos petit in socio bella puella uiro*. Optime coniecit Rautenbergius *animos* pro *annos*, quia, cum iam duobus uersibus locutus sit Ouidius de aetate et ad amandum et ad militandum apta, haud uerisimile est eum distichon alterum in eandem rem significandam insumpsisse. Haec coniectura, cum per se ipsa multum ualet, tum cum amatorii sermonis consuetudine consentit, in quo *animus* saepe uim et impetum exprimit : *Am.*, II, xix, 24 : *haec animi sunt alimenta mei*; *Ars Am.*, I, 733 : *arguat et macies animum*; II, 250 : *animum nosset ut illa tuum*.

Ou., *Her.*, XIII, 120 : *Multa tamen rapies oscula, multa*

Digitized by Google

dabis. Sic P., cuius textum retinuit Merkelius. At *rapere oscula*, quamquam frequenter occurrit, non tamen dicitur nisi de osculis quae amans dolo aut ui aufert, non, ut hic, de iis quaemaritus legitime sibi debita uult carpere. Itaque Ehwaldio subscribo cum septem Heinsianis codicibus legenti : *multa tamen capies oscula*.

Ou., *Her.*, XV, 118 : *Protinus Aegaeis ire lubebat aquis*. Haec Heinsii coniectura, ab Ehwaldio recepta, multo melior est quam uulgata lectio *iubebar*; nam *libet* proprie de cupiditatibus illis subitis et inpotentibus, cuiusmodi est ea quae hic describitur (cf. *Ars. Am.*, III, 310 : *oscula ferre umero, qua patet usque libet.*)

Ou., *Her.*, XV, 316 : *Vtere mandantis simplicitate uiri*. — Palmerus (*Class. Rew.*, 1891) pro *mandantis* legendum censet *non uafri*, quod et acutiorem sensum efficit quam *mandantis* et cum amatorio sermone plane conuenit; nam *uafer* est quasi *callidus*, *astutus* in re amatoria tractanda (Ou., *Her.*, XIX, 30).

Ou., *Her.*, XVI, 17 : *Adhuc sine crimine lusi*. Sic P et Ehwaldius. Merkelius autem *sine crimine uixi* scribebat. Sed *ludere*, id est « amorem leuiter tractare », plane amatorii sermonis est, idemque, quod in hoc uersu, dicendi genus reperitur in *Fast.*, IV, 9 : *sine crimine lusimus*.

Ou., *Her.*, XVI, 114 : *Nec spolium nostri turpe pudoris habe*. Palmerus (*Class. Rew.*, 1891) *aue* pro *habe* legendum censet, sed hoc uerbum ad exprimendam amatoriam cupiditatem rarissime a nostris insumitur.

Ou., *Her.*, XVI, 259 : *Aut ego deposito sapiam fortasse pudore*. Sic Bentleius cum Bernensi aliisque nonnullis codicibus; alii libri habent *faciam*. *Sapere*, quasi « iudicium in re amatoria « acutum habere, uoluptate callide frui », saepe reperitur, nec modo in duobus praecedentibus uersibus, sed etiam apud Propertium, II, III, 37-38 : *nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelae, fuisti, tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras*; — et in *Heroide*, IV, 96 : *ibat ad hunc sapiens a sene diua uiro*; — et in *Artis Amatoriae*, libro I, 663 : *quis sapiens blandis non misceat oscula uerbis?* — Quod autem coniecit idem Palmerus, *deponam fatuum fortasse pudorem*, eo minus probari potest quod tali sensu *stultus*, *demens*, inueniuntur apud elegiarum auctores, numquam autem *fatuus*.

Digitized by Google

Ou., *Her.*, XVIII, 70 : *Lente natator*. Sic Merkelius, at multo melius Ehwaldius P codicem secutus : *lente morator*. Saepissime enim morari dicuntur qui non celeriter cum amantibus conueniunt (cf. huius ipsius carminis uersus 3 et 8).

Ou., *Her.*, XIX, 202. *Nil tua Cydippe, facta ruboris habent.* Diltheyus aliquot codices secutus, scribit *pudoris*; sed eam inmutationem, etsi probet Ehwaldius, non necessariam puto, cum saepe idem sit *rubor*, pudoris signum, ac *pudor* ipse. Cf. *Ars Am.*, III, 83 : *Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori.* — Idem adnotari potest ad uersum *Artis Amatoriae*, III, 167; in quo codices habent : *nec rubor est emisse*, Diltheyus autem scripsit *nec pudor est emisse.*

Ou., *Her.*, XX, 195-196 : *Oscula rara accipit.* Sic Mss. At cum hic non Cydippen iuueni, sed iuuenem Cydippae oscula dare dicat poeta, *accipit* non retineri potest. Coniecit Diltheyus : *admouet*, quod sensum efficit sanum, sed a codicum scriptura longius abest. Forsitan legendum sit : *arripit.*

Ou., *Her.*, XX, 203 : *Te iuuat ista uoluptas.* Recte Diltheyus *ista* in *ipsa*, Heusingerus *uoluptas* in *uoluntas* conmutauerunt. Etenim *uelle*, *uoluntas*, crebro de puellarum fauore et benignitate dicuntur : Cf. *Ars. Am.*, I, 274 : *Haec quoque, quam poteris credere nolle, uolet.*

Ou., *Ars Am.*, I, 328 : *Quantum est uni posse placere uiro.* Sic plerique Mss., quod Koechlyus et Ehwaldius corrigunt : *uno posse calere uiro.* Sed melior est Oxoniensis lectio : *uno posse carere uiro.* Ironice enim a femina non petit Ouidius ut uni uiro fida sit, sed ut uno abstineat; quod quo facilius est, eo acutius ait poeta : « Quantum est! » *Carere* autem hoc sensu saepe usurpatur. Cf. *Ars Am.*, II, 249 : *saepe tua poteras, Leandre, carere puella*; *Rem.*, 540 : *iam quoque, cum credes posse carere, mane*; *Rem.*, 775-776 : *uxore carere non potes.*

Ou., *Ars Am.*, I, 610. *Fac tantum cupias : sponte disertus eris.* Haec est codicum R et O lectio, multo potior quam ceterorum : *fac tantum incipias.* Argute enim notat Ouidius a cupiditate uera ueram procedere eloquentiam; *cupere* autem absolute ponitur pro « cupiditate teneri ». Cf. *Ars Am.*, I, 276 : *tectius illa cupit.*

Ou., *Ars Am.*, I, 730 : *Hoc multi non ualuisse putent.* Ita Mss.

Digitized by Google

Optima est Hertzbergii emendatio : *stulti*. Stultus enim dicitur qui in rebus amatoriis haud satis prudenter se gerit. *Am.*, II, VIII, 25 : *quod si stulta negas*; *Her.*, XV, 169 : *stulte legisse uidebor*.

Ou., *Ars Am.*, II, 633 : *Corpora si nequeunt, quae possunt, nomina tangunt*. Sic R et Ehwaldius, multo melius quam *tractant* quod est apud Merkelium. *Tangere* est enim « mulierem « adgredi ». Cf. Cat., LXXXIX, 5 : *ut nihil adtingat, nisi quod fas tangere non est*; Tib., I, VI, 53; Ou., *Ars Am.*, II, 701. *Tractare* autem cum tali sensu non apud nostros reperiri uidetur.

Ou., *Ars Am.*, III, 61 : *Dum licet et ueros etiamnum degitis annos*. Sic Mss. Frustra coniecerunt *uernos* Heinsius, *uirides* Marklandius. Nam et *uera*, sicut *pura*, *sincera*, *integra*, dicuntur quaecumque totam retinent uim et totum uigorem, et *anni*, *aetas*, pro *iuuentute* saepe ponuntur. Cf. Tib., I, IV, 27 : *transiet aetas*; Prop., II, XXXIII, 33 : *uino corrumpitur aetas*.

Ou., *Ars Am.*, III, 787. *Mille modi ueneris*. Sic R., multo melius quam *mille ioci ueneris*, nam *modi* figurae schemataque rei uenereae perficiendae dicuntur. Cf. *Am.*, III, VII, 64; III, XIV, 24; *Ars Am.*, II, 680.

Ou., *Rem.*, 401 : *Gaudia ne dominae, pleno si pectore sumes, te capiant*. Ita Merkelius. At R exhibet lectionem quae mihi, ut Ehwaldio, potior uidetur : *pleno si corpore sumes*. *Pectus* enim animi uoluptatem significat, *corpus* uenerea gaudia, de quibus certissimum est hic agi.

Ou., *Rem.*, 730 : *Infirmis culpa pusilla nocet*. Sic R et Ehwaldius. Lectio Merkeliana, *causa pusilla*, mihi ad sermonem amatorium uidetur esse aptior. Nam *causa* est quod in amorem inducit : Tib., I, IV, 10 : *causam iusti semper amoris habent*; Ou., *Rem.*, 138 : *iucundi causa cibusque mali*. Hoc in ultimo exemplo, sicut in eo de quo uoluitur quaestio, Ouidius ad genus dicendi a medicis usurpatum adludere uidetur (αἰτία).

III

De nonnullis uerbis quae apud nostros auctores persaepe occurrunt, incidit orthographica quaestio quae mihi quidem

Digitized by Google

uidetur haud spernenda : de *amore* scilicet et de *cupidine* et de *uenere*.

Etenim plerique qui nostrorum poetarum libros ediderunt, modo *Amorem* aut *Venerem*, modo *amorem* aut *uenerem* scripserunt, nulla certa obseruata lege, sed temere, ita ut non solum omnes inter sese discrepent, sed ne singuli quidem unam eandemque normam tenere uideantur [1]. Quod uitium cum et legentibus nonnihil incommodi possit adferre et exactam constantemque scribendi rationem parum deceat, operae pretium facturus esse mihi uideor si nonnullas regulas, simplices quidem, proposuero.

Ac primum sunt multa loca quibus *Amorem* scribi oportere haud dubium sit ei qui aut ad epitheta nomini iuncta, aut ad res quas Amor facere et curare dicitur, aut denique ad totius sententiae sensum animum attenderit. Sic :

Cat., XLV, 8 et 17 : Amor sternuit; — Tib., I, III, 21 : inuito Amore (cf. uersu 22 : prohibente deo); — I, VI, 2 : es misero tristis et asper, Amor; — I, VI, 30 : iussit Amor : contra quis ferat arma deos?; — I, X, 57 : lasciuus Amor rixae mala uerba ministrat; — II, I, 80 : cui placidus leniter adflat Amor; — II, II, 18 : flauaque coniugio uincula portet Amor; — II, IV, 38 : ut infamis sic deus esset Amor; — II, V, 39 : uolitantis frater Amoris; — II, V, 106 : erret inermis Amor; — II, VI, 15 : acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas, adspiciam; — Ps. Tib., III, IV, 65 et 66 : saeuus Amor docuit; — III, VI, 17 : haec Amor et maiora ualet : sed poscite Bacchi munera; — IV, III, 4 : incolumem custos hunc mihi seruet Amor; — Prop., I, I, 4 : et caput inpositis pressit Amor pedibus; — I, II, 8 : nudus Amor; — I, III, 14 : hac Amor, hac Liber, durus uterque deus; — I, IX, 23 : nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas; — I, XVII, 27 : si quando uestras labens Amor adtigit undas; — I, XIX, 22 : ne te abstrahat iniquus Amor; — II, III, 24 : sternuit Amor; — II, VIII, 40 : si de me iure triumphat Amor; — II, X, 26 : sed modo Permessi flumine lauit Amor; — II, XII, 1 : puerum qui pinxit Amorem; — II, XIII, 2 : spicula fixit Amor; — II, XXIX, 18 : odores... quos ipse suis fecit Amor manibus; — II, XXX, 7 : instat semper Amor supra caput; — III, V, 1 : pacis Amor deus est; — III, XVI, 16 : ipse Amor accensas percutit ante faces; — III, XX, 17 : haec Amor ipse suo constringit pignera signo; — Ou., *Am.*, I, II, 32 : castris Amoris; — I, X, 15 : et puer est et nudus Amor; — II, I, 38 : purpureus quae mihi dictat Amor; — II, IX, 34 : notaque purpureus tela resumit Amor; — II, XVIII, 4 : et tener ausuros grandia frangit Amor; — II, XVIII, 15 : risit Amor; — II, XVIII, 18 : triumphat Amor; — II, XVIII, 19 : artes teneri

1. Sic, ut uno exemplo utar, Rothsteinius ad Prop., III, XVII, 3 (*insanae ueneris conpescere fastus*) ait uenerem esse insanam, non ut diuinam personam, sed ut abstractam notionem; quod omnino uerum est. At idem tamen *Veneris* perperam scribit.

Digitized by Google

Amoris; — II, XVIII, 36 : aureus Amor; — III, I, 43 : mater Amoris; — *Her.*, II, 104 : nobis qui male fauit Amor; — VII, 32 : frater Amor; — XV, 16 : mater Amoris; — XIX, 46 : plura tetendit Amor; — *Ars Am.*, I, 4 : arte regendus Amor; — I, 7 : me Venus praefecit Amori; — I, 8; Automedon dicar Amoris; — I, 17 : praeceptor Amoris; — I, 21 : et mihi cedet Amor; — I, 23 : quo me fixit Amor; — I, 30 : mater Amoris; — I, 232 : purpureus Bacchi cornua pressit Amor; — II, 497 : praeceptor Amoris; — III, 559 : castris Amoris; — *Rem.*, 1, legerat huius Amor titulum nomenque libelli; — *Rem.*, 39 : mouit Amor alas; — *Rem.*, 198 : debilibus pennis inritus exit Amor; — *Rem.*, 530 : Amor sub pede colla premit; — *Rem.*, 551 : Lethaeus Amor; — *Rem.*, 612 : tela resumpsit Amor.

E contrario plurimi sunt uersus in quibus de animi affectu, non de deo, loqui poetas dilucidum sit omnino. Huius generis sunt omnes loci quibus *amor* cum aliis humanae mentis affectibus confertur aut opponitur :

Prop., I, XV, 16 : sanguinis et cari uincula rupit amor; — II, V, 10 : si dolor afuerit, crede, redibit amor; — II, VII, 20 : hic erit et patrio sanguine pluris amor; — III, XIX, 18 : matris iram natorum caede piauit amor; — Ou., *Am.*, III, X, 28-29 : hinc pudor, ex illa parte trahebat amor : uictus amore pudor; — III, XI, 34 : hac amor, hac odium, sed, puto, uincit amor; — *Her.*, I, 12 : res est solliciti plena timoris amor; — IV, 9 (pudor) est miscendus amori; — IV, 161 : nobilitas sub amore iacet; — VI, 76 : ira mixtus amor; — XII, 61 : hinc amor, hinc timor est : ipsum timor auget amorem; — XVIII, 104 : fitque nouus nostri finis amoris amor; — XVIII, 172 : uel timidus famae cedere uellet amor; — *Ars Am.*, I, 720 : intret amicitiae nomine tectus amor; — II, 321 : amor et pietas tua; — *Rem.*, 144 : cedit amor rebus.

Addi quoque possunt uersus quibus legitur « meus, tuus, « huius amor » :

Cat., XI, 21; LV, 22; LXI, 123; LXIV, 19, 120, 182, 253; LXVII, 35; LXVIII, 73, 117; LXXI, 3; LXXXVII, 4; XCI, 6; XCVI, 6; Tib., I, IX, 39; Ps. Tib., IV, III, 21; Prop., I, XIII, 23; I, XIV, 7; I, XVIII, 8; I, XIX, 3; II, VII, 8; II, XXV, 9, 31; II, XXXII, 17; III, VI, 38; III, XV, 9; III, XXII, 42; III, XXIV, 3; Ou., *Am.*, I, XIII, 31; II, II, 13; II, III, 6; II, VII, 10; II, IX, 23; II, XV, 2; II, XVII, 15; III, I, 65; III, II, 40, 46; III, IV, 27; III, X, 42; III, XI, 20; *Her.*, II, 24; III, 12, 139; V, 89, 105; VIII, 37; XII, 136; XV, 4; XVI, 204, 246; XVII, 150, 156; XVIII, 96; XIX, 86; *Ars Am.*, I, 283, 327; II, 552, 684; III, 682; *Rem.*, 42, 63, 64, 239, 486, 714, 749, 776.

Huc accedunt uersus quibus *amori* coniungitur aliquod epitheton quod non deo, sed soli mentis affectui adcommodatum esse possit, sicut *mutuus*, *uetus*, *nouus*, etc. :

Cat., LXVI, 6 : dulcis amor; — LXVIII, 83 : auidum amorem; — LXXVI, 6 : ingrato amore; — XCI, 2 : perdito amore; — XCIX, 15 : miseroa mori;

Digitized by Google

— Tib., I, II, 4 : infelix amor; — I, II, 75 : sine amore secundo; — I, IV, 10 : iusti amoris; — I, IV, 24 : ineptus amor; — I, IV, 81 : lento amore; — I, V, 75 : furtiuus amor; — I, VI, 76; mutuus amor; — I, VII, 44 : leuis amor; — I, VIII, 52 : nimius amor; — Ps. Tib., IV, V, 7 : mutuus amor; — IV, VI, 20 : uetus amor; — Prop., I, I, 32 : in tuto amore; — I, I, 36 : adsueto amore; — I, III, 44; externo in amore; — I, IV, 26 : rapto amore; — I, V, 29 : socio amore; — I, VI, 27 : longinquo in amore; — I, X, 1 : primo amori; — I, XI, 6 : in extremo amore; — I, XII, 12 : quantus fugit amor; — I, XIII, 22 et I, XIV, 10 : facili amore; — I, XIX, 12 : magnus amor; — I, XIX, 26 : longus amor; — I, XX, 12 : non minor amor; — II, III, 46 : uenerit alter amor; — II, IX, 48 : in medio amore; — II, XIII, 36 : unius amoris; — II, XIV, 18 : insano in amore; — II, XV, 29 : uesani amoris; — II, XV, 30 : uerus amor; — II, XVI, 36 : turpis amor; — II, XVI, 39 : infamis amor; — II, XXII, 28 : nullus amor; — II, XXIV, 4 : haud reticendus amor; — II, XXIV, 47 : simulatum amorem; — II, XXV, 21 : pleno amore; — II, XXVI, 45 : tanto amori; — II, XXIX, 41 : tam sancti amoris; — II, XXXII, 31 : externo amore; — II, XXXIV, 34 : magno amore; — III, VIII, 10 : sine amore graui; — III, XVIII, 30 : cum stetit alter amor; — III, XX, 6 : alio amore; — III, XXI, 2 : graui amore; — III, XXI, 33 : turpi amore; — IV, III, 49 : omnis amor magnus; — IV, V, 30 : maior recurret amor; — Ou., *Am.*, I, VIII, 71 : simulatus amor; — I, IX, 4 : senilis amor; II, IV, 48 : ambitiosus amor; — II, X, 10 : alter et alter amor; — II, XIX, 25 : pinguis amor nimiumque patens; — III, VI, 30 : certus amor; — III, VII, 80 : alio lassus amore; — III, XI, 2 : turpis amor; — *Her.*, I, 23 : casto amori; — I, 76 : peregrino amore; — II, 21 : fidus amor; — III, 42 : leuis amor; — IV, 52 : conscius amor; — V, 44 : pudendus amor; — V, 102 : externo amore; — V, 149 : amor non est medicabilis herbis; — VII, 17 : alter amor; — XI, 113 : parum fausti amoris; — XV, 238 : dissimulatus amor; — XV, 281 : datum fatis amorem; — XVI, 96 : externo amore; — XVI, 191 : certus non est amor; — XVIII, 157 : socii amoris; — *Med.*, 45 : certus amor; — *Ars Am.*, I, 49 : longo amori; — I, 372 : insano amore; — I, 618 : amor uerus; — I, 736 : in magno amore; — II, 242 : mansuri amoris; — II, 248 : certi amoris; — II, 393, 357 : nouus amor; — II, 563 : insano amore; — II, 648 : incipiens amor; — III, 575 : certior hic amor est; — III, 579 : longum amorem; — *Rem.*, 21 : misero amore; — *Rem.*, 108 : uetus amor; — *Rem.*, 268 : longus amor; — *Rem.*, 288 : adtenuatus amor; — *Rem.*, 444 : alter amor; — *Rem.*, 452 : nouus amor; — *Rem.*, 543 : fit quoque longus amor; — *Rem.*, 619 : amor tectus; — *Rem.*, 746 : luxuriosus amor.

Nec praetermittenda usitatissima uox *in amore* :

Cat., C, 8; Prop., I, I, 16 : I, IX, 5, 11, 34; I, XIII, 6; II, I, 47 : II, III, 49; II, V, 16; II, VII, 6; II, VIII, 8; II, XV, 12, 27; II, XXV, 27; II, XXVI, 27, 46; II, XXXIV, 3, 30, 82; III, VIII, 18, 23; III, XV, 1; III, XX, 16, 27 : Ou., *Am.*, III, VI, 23 : *Her.*, XVII, 3; *Ars Am.*, II, 519.

Denique persaepe uerbum *amor* ita ponitur, ut, si consideres totius uersus significationem, nullo modo de Amore hic agi putare possis :

Cat., XXX, 8 : inducens in amorem; — XXXV, 12 : illum deperit inpo-

Digitized by Google

tente amore; — LV, 19 : fructus amoris; — LXI, 33 : mentem amore reuinciens; — LXI, 198 : bonum non abscondis amorem; — LXIV, 330 : mentem perfundat amore; — LXIV, 335 : nullus amor tali coniunxit foedere amantes; — LXVII, 25 : caeco flagrabat amore; — LXVIII, 107 : amoris aestus; — LXXVI, 13 : deponere amorem; — CIX, 1 : iucundum mihi proponis amorem; — Tib., I, II, 27 : quisquis amore tenetur; — I, II, 63 : totus abesset amor; — I, IV, 40 : obsequio plurima uincit amor; — I, IV, 67 : qui uendit amorem; — I, V, 17 : fruitur nunc alter amore; — I, V, 60 : donis uincitur omnis amor; — I, VI, 85-86 : amoris exemplum; — I, VIII, 41 : sero reuocatur amor; — I, IX, 83 : fallaci resolutus amore; — II, III, 32 : sine amore deus; — Ps. Tib., III, IV, 73 : quid sit amor; — III, VI, 4 : saepe tuo cecidit munere uictus amor; — IV, VII, 1 : tandem uenit amor, qualem texisse pudori....; — Prop., I, VI, 21 : tua non aetas umquam cessauit amori; — I, IX, 8, posito amore; — I, XI, 18 : omnis timetur amor; — I, XIII, 33 : periturus amore; — I, XVII, 20 : posito amore; — I, XIX, 6 : oblito amore; — II, III, 8 : differtur, numquam tollitur ullus amor; — II, VIII, 3 : inimicitiae amoris; — II, XV, 23 : oculos satiemus amore; — II, XVI, 15 : quiuis mercatur amorem; — II, XXIV, 19 : nox in amore peracta; — II, XXV, 17 : amor qui restat; — III, XV, 4 : amoris iter; — III, XX, 30 : fructu amoris; — III, XXI, 10 : procul ibit amor; — III, XXIV, 6 : ut quod non esses esse putaret amor; — IV, V, 49 : non factus amori; — Ou., *Am.*, I, II, 5 : si quo temptarer amore; — I, III, 15 : desultor amoris; — I, VI, 13 : nec mora, uenit amor; — I, VIII, 72 : ne gratis hic tibi constet amor; — I, VIII, 76 : saepe repulsus amor; — I, VIII, 96 : non bene durat amor; — I, IX, 31 : desidiam quicumque uocabat amorem; — I, IX, 32 : ingenii est experientis amor; — I, X, 8 : quidquid magno de Ioue fecit amor; — II, I, 6 : tactus amore; — II, V, 1 : nullus amor tanti est; — II, IX, 15 : tot sine amore uiri; — II, IX, 25 : posito amore; — II, X, 15 : si sine amore iacerem; — II, XVII, 26 : non erit hic nobis infitiandus amor; — II, XIX, 23 : sic mihi durat amor; — II, XIX, 52 : finis amoris erit; — III, II, 4 : ne tibi non notus, quem facis, esset amor; — III, II, 50 : in media pace repertus amor; — III, V, 36 : aestus amoris; — III, VI, 24 : flumina senserunt ipsa quid esset amor; — III, X, 18 : uiduum pectus amoris; — III, XI, 5 : calcamus amorem; — III, XI, 43 : facies exorat amorem; — III, XIV, 24 : uenerem figuret amor; — *Her.*, II, 10 : amore noces; — IV, 53 : forsitan hunc generis fato reddamus amorem; — IV, 100 : pignus amoris; — IV, 152 : certi si quid haberet amor; — V, 34 : mutati amoris; — VI, 21 : credula res amor est; — VI, 94 : conciliandus amor; — VII, 179 : dum freta mitescunt et amor; — VIII, 39 : concedet amorem; — IX, 162 : hic uires sanguis amoris habet; — XII, 37 : quis bene celat amorem? — XV, 78 : unde mouetur amor; — XV, 243 : aliquem narraui potus amorem; — XVI, 36 : si non simulatur amor; — XVI, 189 : coepto pugnemus amori; — XVI, 199 : constans in amore manere; — XVII, 14 : non latuisset amor; — XVII, 40 : esset ni tibi notus amor; — XVII, 90 : qui calet amor; — XVII, 196 : aut mors solliciti finis amoris erit; — XVIII, 130 : inpediendus amor; — XIX, 16 : creuit amor; — XIX, 22 : dum fraudis nostrae causa feratur amor; — XX, 56 : amore noces; — XX, 183 : si non mentiris amorem; — *Med.*, 50 : hinc bene pendet amor; — *Ars Am.*, I, 38 : ut duret amor; — II, 16 : nomen amoris; — II, 101 : ut uiuat amor; — II, 104 : si seruari posset amor; — II, 124 : torsit amore deas; — II, 152 : mollis alendus amor; — II, 176 : causas amoris; — II, 233 : militiae species amor

Digitized by Google

est; — II, 278 : auro conciliatur amor; — II, 436 : languet amor; — II, 444 : eliciendus amor; — II, 559 : crescit amor prensis; — III, 42 : arte perennat amor; — III, 368 : ludendo saepe paratur amor; — III, 441, specie amoris; — III, 510 : adliciendus amor; — III, 571 : amore calentes; — III, 594 : senescit amor; — *Rem.*, 95 : uerba dat omnis amor; — *Rem.*, 143 : qui finem quaeris amoris; — *Rem.*, 260 : uiuo sulpure uictus amor; — *Rem.*, 283 : hic amor et pax est; — *Rem.*, 430 : haesit amor; — *Rem.*, 462 : successore nouo uincitur omnis amor; — *Rem.*, 503 : intrat amor mentes; — *Rem.*, 541 : dum copia tollat amorem; — *Rem.*, 559 : ponet amorem; — *Rem.*, 643 : finiti amoris; — *Rem.*, 654 : emoriatur amor; — *Rem.*, 657 : odio qui finit amorem; — *Rem.*, 662 : aberrat amor; — *Rem.*, 729 : refricatur amor; — *Rem.*, 733 : quidquid renouabit amorem.

Alia sunt exempla in quibus minus plane appareat quae sit scribendi recta ratio, ita ut possint iure discrepare docti uiri. Quos uersus percensere libet, expositis, cum opus fuerit, causis ob quas *Amor* uel *amor* scribi oportere uideatur.

In his potius *Amor* quam *amor* significatur :

Cat., LXI, 45 : boni coniugator Amoris (cf. uersum 44 : dux bonae Veneris); — Tib., I, III, 57 : quod facilis tenero sum semper Amori (cf. uersum 58 : ipsa Venus campos ducet in Elysios); — I, III, 64 : proelia miscet Amor; — I, VI, 51 : quam custodit Amor; — II, III, 4 : uerbaque aratoris rustica discit Amor; — II, IV, 4 : numquam misero uincla remittit Amor; — II, VI, 1 : castra Macer sequitur : tenero quid fiet Amori (cf. uersum 2 : sit comes et collo fortiter arma gerat?); — Ps. Tib., IV, VI, 12 : fallendique uias mille ministret Amor; — Prop., I, IX, 12 : carmina mansuetus lenia quaerit Amor; — I, IX, 28 : nec uigilare alio nomine cedat Amor (cf. uersum 29 : qui non ante patet donec manus adtigit ossa); — I, XII, 16 : nonnihil adspersis gaudet Amor lacrimis; — I, XIV, 15 : aduerso Amore (cf. uersum 16 : tristi Venere); — II, II, 2 : at me conposita pace fefellit Amor; — II, XXX, 2 : usque sequetur Amor (cf. uersum 7 : instat semper Amor supra caput); — II, XXX, 24 : hoc si crimen erit, crimen Amoris erit; — III, XXI, 4 : ipse alimenta sibi maxima praebet Amor (cf. uersum 6 : iste deus); — III, XXIII, 15 : hospitium tota nocte parauit Amor; — Ou., *Am.*, I, I, 26 : in uacuo pectore regnat Amor (nam in toto hoc carmine Amoris cum poeta describitur certamen); — I, II, 8 : possessa ferus pectora uersat Amor; — I, II, 18 : acrius inuitos urget Amor (hoc in carmine depingitur Amoris triumphus); — I, III, 12 : me qui tibi donat Amor (uersu 11 nominati sunt, quasi pro amante facientes testes, Phoebus, Musae, Bacchus); — I, VI, 34 : solus eram, si non saeuus adesset Amor; — I, VI, 37 : ergo Amor mecum est; — I, VI, 59-60 : nox et Amor uinumque nihil moderabile suadent : illa pudore uacat, Liber Amorque metu (ibi propter *uinum* forsitan *amor* scribi debere uideatur, sed *Liber* potius *Amorem* exposcit; nescio an iure scribere aliquis possit uersu 59 *amor*, uersu 60 *Amor*, sicut est in illo *uinum*, in hoc *Liber*); — II, I, 3 : hoc quoque iussit Amor; — II, X, 19 : mihi saeuus Amor somnos abrumpat inertes; — III, I, 20 : quem ferus urit Amor; — III, IV, 20 : hos (Argi oculos) unus saepe fefellit Amor; — *Her.*, IV, 10 : scribere iussit Amor; — IV, 11 : quid-

Digitized by Google

quid Amor iussit; — IV, 148 : sic tibi parcat Amor; — VII, 190 : saeui uulnus Amoris; — IX, 25 : quem non potuit Iuno uincere, uincit Amor; — XIX, 28 : te mihi adstrinxit uerbis ingeniosus Amor; — XIX, 30 : consulto iuris Amore; — XIX, 226 : me tibi iungit Amor (cf. uersus 229-230); — XIX, 230 : haec tibi me uigilem scribere iussit Amor (cf. uersum 229 : haec tibi me in somnis iaculatrix scribere Phoebe...); — *Ars Am.*, II, 17 : quas possit Amor remanere per artes (cf. uersum 18 : peruagus puer); — II, 229 : Amor odit inertes; — II, 708 : in quibus occulte spicula tingit Amor; — *Rem.*, 148 : adfluit incautis insidiosus Amor; — *Rem.*, 246 : inferet arma tibi saeua rebellis Amor; — *Rem.*, 346 : decipit hac oculos aegide diues Amor; — *Rem.*, 752 : dum bene de uacuo pectore cedat Amor (cf. *Am.*, I, I, 26).

Rursus de *amore* potius quam de *Amore* in his uersibus loqui poetae uidentur :

Cat., XCIX : infesto me tradere amori; — Tib., I, IX, 19 : si quis uiolauit amorem; — II, III, 14 : quidquid erat medicae uicerat artis amor; — II, IV, 52 : illius est nobis lege colendus amor; — Prop., I, I, 17 : in me tardus amor non ullas cogitat artes; — I, I, 34 : nullo uacuus tempore defit amor; — I, V, 24 : nescit amor priscis cedere imaginibus; — I, VII, 20 : nec tibi subiciet carmina serus amor (ubi *serus* idem ualet ac *sero genitus*); — I, VII, 26 : saepe uenit magno fenore tardus amor; — I, X, 20 : non nihil egit amor; — I, XIV, 8 : nescit amor magnis cedere diuitiis; — II, I, 58 : solus amor morbi non amat artificem (nam hic *amor* a ceteris morbis distinguitur); — II, IV, 14 : est incautum amor; — II, VI, 22 : per te nunc Romae quidlibet audet amor; — II, XXXIII, 42 : est quiddam quod uos quaerere cogat amor; — III, XIX, 24 : Nise, tuas portas fraude reclusit amor (hic enim *amor* prope idem ualet atque *amans puella*); — Ou., *Am.*, I, VI, 5 : longus amor corpus tenuauit (quamquam paulo inferius legitur *ille monstrat, dirigit ille*, — quae uerba facere uidentur ut de Amore agi in toto loco credamus — tamen quid esse queat *longus Amor*, haud intellego); — II, IX, 14 : ossa mihi nuda relinquit amor (non enim credendum a poeta fictum esse Amorem corpus hominis excoriantem); — *Her.*, IV, 19 : uenit amor grauius; — IV, 70 : acer in extremis ossibus haesit amor; — VII, 59 : cum laesus amor (nam, cum in eodem uersu legatur *mater Amorum*, uix credibile est poetam Amorem unum et multos Amores in una sententia nominauisse); — XV, 26 : et ferus in molli pectore flagrat amor (ferus saepe dicitur Amor, sed *flagrare* cum *Amore* ineptissime congruit); — XVII, 190 : aut me in freta non cautus tum quoque mittet amor; — XVIII, 139 : uires expertus amoris; — *Med.*, 35 : sic potius uos urget amor; — *Ars Am.*, I, 162 : hos aditus circusque nouo praebebit amori (*aditus* bene cum *Amore* conuenit, sed *nouo* pessime); — I, 176 : quam multos aduena torsit amor (*torquere* homines *Amor* persaepe dicitur; sed quid sit *aduena Amor* haud facile explanari potest); — I, 236 : spargi pectus amore nocet; — II, 158 : fungitur in uobis munere legis amor (nam si de *Amore* loqui poeta uoluisset, non eum legis fungi munere dixisset, sed eum leges inponere amantibus); — III, 436 : errat et in nulla sede moratur amor (nam hic significatur uirorum quorumdam amor, id est uiri amantes); — III, 588 : exclusum te quoque tanget amor; — III, 718 :

Digitized by Google

incertus pectora uersat amor (alias legitur, *Am.*, I, II, 8 : possessa ferus pectora uersat Amor; sed hic, cum de Procridis anxietate agatur, *incertus Amor* haud satis intellegitur).

Denique oportet nonnullos uersus esse fateamur, ubi tam facile *Amorem* quam *amorem* probare possis :

Cat., LXVI, 88 : semper amor sedes incolat adsiduus; — Tib., II, III, 28 : nempe amor in parua te iubet esse casa; — Prop., I, X, 27 : humilis magis et subiectus amori; — I, XI, 30 : Baiae, crimen amoris, aquae; — II, XXIV, 22 : ille tuus pennas tam cito uertit amor (hic, si *pennas* consideraueris, *Amor* iure scribere posse tibi uidearis; sed quid, quaeso, sit *tuus Amor*?); — Ou., *Ars Am.*, I, 79 : et fora conueniunt amori; — I, 83 : illo saepe loco capitur consultus amori; — *Rem.*, 358 : ex omni est parte fugandus amor; — *Rem.*, 759 : Callimachum fugito : non est inimicus amori (ubi tam recte intellegi potest Callimachum esse carum poetam Amori, quam eundem fuisse studiosum rei amatoriae).

Idem uerbum cum plurali numero ponitur, nulla dubitatio excogitari potest. Certissimum est enim de Amoribus agi in his uersibus :

Prop., III, I, 11 : in curru parui uectantur Amores; — Ou., *Am.*, III, XV, 1; *Her.*, VII, 59; XV, 203 : mater Amorum; — *Rem.*, 379 : pharetratos Amores.

His duobus tribusue locis, exceptis, ubique *amores* scribere oportere perspicuum est.

Multo facilius discerni possunt *Cupido* et *cupido*. Et in plerisque quidem exemplis de deo agitur :

Cat., XXXVI, 3 : sanctae Veneri Cupidinique; — LXVIII, 133 : Cupido, crocina candidus in tunica; — Tib., II, I, 67 : inter greges interque armenta Cupido natus; — II, III, 33 : cui tristi fronte Cupido imperitat; — II, V, 107 : postquam sumpsit sibi tela Cupido; — Prop., II, XVIII, 21-22 : Cupido huic malus esse solet, cui bonus ante fuit; — Ou., *Am.*, I, I, 3 : risisse Cupido dicitur; — I, II, 19 : tua sum noua praeda, Cupido; — I, VI, 11 : tenera cum matre Cupido; — I, IX, 1 : habet sua castra Cupido; — I, XI, 11 : Cupidinis arcus; — I, XV, 27 : Cupidinis arma; — II, V, 1 : pharetrate Cupido; — II, IX, 1 : o numquam pro me satis indignate Cupido; — II, IX, 33 : incerta Cupidinis aura; — II, IX, 47 : priuigne Cupido; — II, IX, 51 : si tamen exaudis, Cupido; — II, XII, 27-28 : me Cupido iussit militiae signa mouere suae; — III, I, 41 : mecum leuis est Cupido; — *Her.*, XV, 115 : comitata Cupidine paruo; — *Ars Am.*, I, 233 : uinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas; — I, 261 : quod tela Cupidinis odit; — *Rem.*, 3 : parce tuum uatem sceleris damnare, Cupido; — *Rem.*, 139 : periere Cupidinis arcus; — *Rem.*, 157 : Cupidineas sagittas; — *Rem.*, 555 : uerusne Cupido;

ac, plurali numero :

Cat., III, 1, et XIII, 12 : Veneres Cupidinesque.

Digitized by Google

Rarius cupido est affectus animi :

Ou., *Ars Am.*, III, 397 : ignoti nulla cupido; — *Fast.*, VI, 119 : uisaeque cupidine captus; — VI, 575 : magno correpta cupidine regis.

Unus locus aliquam adferre dubitationem potest (Prop., I, I, 2 : *contactum nullis ante cupidinibus*). Etenim facile induceris ut scribas *Cupidinibus* (sicut facit Rothsteinius), si carminis illius Propertiani (II, XXIX) memineris, ubi poeta se ab Amorum turba lacessitum esse narrat. Sed, cum hic, duorum tantum uersuum iuteruallo, legatur : *caput inpositis pressit Amor pedibus*, totoque in loco de uno deo amatoriae rei praeside, non de multorum globo, loquatur Propertius, libentius scripserim *cupidinibus*.

De *Venere* et *uenere* facilius diiudicari potest quaestio quam de *Amore* et *amore*. Multa enim exempla reperiuntur in quibus deam, matrem Cupidinis, sine ulla dubitatione intellegere debeamus :

Cat., XXXVI, 3 : sanctae Veneri uouit; — LXI, 18 : uenit ad Phrygium Venus iudicem; — LXI, 61 : nil potest sine te Venus commodi capere; — LXI, 191 : neque te Venus neglegit; — LXI, 195 : bona te Venus iuuerit; — LXVI, 56 : et Veneris casto conlocat in gremio; — LXVI, 90 : placabis Venerem; — LXVIII, 5 : sancta Venus; — LXVIII, 8 : munera Musarum et Veneris; — Tib., I, II, 16 : fortes adiuuat ipsa Venus; — I, II, 40 : Venerem e rapido esse mari; — I, II, 79 : num Veneris magnae uiolaui numina uerbo? — I, II, 97 : at mihi parce, Venus; — I, III, 58 : ipsa Venus campos ducet in Elysios; — I, III, 79 : Veneris numina laesit; — I, IV, 71 : blanditiis uult esse locum Venus ipsa; — I, V, 58 : saeuit et iniusta lege relicta Venus; — I, VI, 83 : hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo spectat; — I, VIII, 5 : ipsa Venus perdocuit; — I, VIII, 28 : persequitur poenis tristia facta Venus; — I, IX, 20 : asperaque est illi difficilisque Venus; — I, IX, 81 : Veneri merenti; — II, III, 3 : ipsa Venus latos iam nunc migrauit in agros; — II, III, 29-30 : Veneri seruire aeternos non puduisse deos; — II, III, 71-72 : praebebat aperte mitis in umbrosa gaudia ualle Venus; — II, IV, 24 : sed Venus ante alios est uiolanda mihi; — II, IV, 57 : ubi indomitis gregibus Venus adflat amores; — IV, XIII, 23 : Veneris sanctae ad aras; — Ps. Tib., III, VI, 48 : per Iunonemque suam perque suam Venerem; — IV, II, 3 : hoc Venus ignoscet; — IV, V, 13 : nec tu sis iniusta, Venus; — IV, VII, 5 : exsoluit promissa Venus; — Prop., I, II, 30 : omnia quaeque Venus quaeque Minerua probat; — I, XIV, 16 : nulla mihi tristi praemia sint Venere; — II, XVI, 13 : at tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori; — II, XIX, 18 : et Veneri ponere uota iuuat; — II, XXI, 2 : tantum illi ne sit amica Venus; — II, XXVIII, 9 : num sibi conlatam doluit Venus? — II, XXXII, 33 : ipsa Venus, quamuis corrupta libidine Martis; — III, III, 31 : Veneris dominae uolucres; — III, IV, 19 : psa tuam serua prolem, Venus; —

Digitized by Google

III, VIII, 12 : Veneris magnae uoluitur ante pedes; — III, IX, 11 : in Veneris tabula summum sibi poscit Apelles; — III, XVI, 20 : exclusis fit comes ipsa Venus; — III, XXIV, 13 : correptus saeuo Veneris torrebar aeno; — IV, I, 46 : uexit et ipsa sui Caesaris arma Venus; — IV, I, 138 : Veneris pueris; — IV, III, 50 : hanc Venus uentilat ipsa facem; — IV, V, 63 : Venus o regina; — IV, VIII, 16 : causa fuit Iuno, sed mage causa Venus; — Ou., *Am.*, I, I, 7 : quid si praeripiat flauae Venus arma Mineruae; — I, VIII, 30 : signo nunc Venus apta suo; — I, VIII, 42 : Venus Aeneae regnat in urbe sui; — I, VIII, 86 : commodat in lusus numina surda Venus; — I, IX, 29 : Mars dubius, nec certa Venus; — I, X, 17 : puerum Veneris; — I, X, 19 : nec Venus apta feris Veneris nec filius armis; — I, XI, 26 : Veneris in aede; — I, XI, 27 : Veneri dedicat; — II, V, 28 : Venerem (oscula) Marti saepe tulisse suo; — II, VII, 27 : per Venerem iuro; — II, VIII, 18 : per Veneris numina; — II, XIV, 17 : si Venus Aenean grauida temerasset in aluo; — II, XVII, 19 : (concubuisse) Vulcano Venerem; — III, II, 55 : blanda Venus; — III, II, 60 : pace loquar Veneris; — III, IX, 7 : puer Veneris; — III, IX, 15 : nec minus est confusa Venus moriente Tibullo; — *Her.*, IV, 54 : et Venus ex tota gente tributa petat; — IV, 87-88 : studia exercere Dianae et Veneri numeros eripuisse suos; — IV, 97 : Venerem Cinyraque creatum; — IV, 136 : inposuit nodos cui Venus ipsa suos; — IV, 167 : per Venerem, parcas, oro; — V, 35 : Venus et Iuno; — VII, 31 : parce, Venus, nurui; — IX, 11 : plus tibi quam Iuno nocuit Venus; — XV, 35 : Venus aurea; — XV, 65 : Venus et cum Pallade Iuno; — XV, 83 : dulce Venus risit; — XV, 140 : in dubium Veneris palma futura fuit; — XV, 291 : gaudet Venus aurea furtis; — XV, 298 : si modo promisit non mihi uana Venus; — XVI, 115 : at Venus hoc pacta est; — XVI, 126 : laudatrix Venus; — XVI, 131 : Veneri placuisse; — XVII, 69 : a Veneris facie non est prior ulla tuaque; — XVIII, 159 : auso Venus ipsa fauebit; — *Ars Am.*, I, 7 : me Venus artificem tenero praefecit Amori; — I, 75 : Veneri ploratus Adonis; — I, 81 : Veneris templo; — I, 87 : hunc Venus e templis ridet; — I, 148 : Veneri dominae plaude; — I, 165 : puer Veneris; — I, 248 : cum dixit Veneri : « uincis utramque, Venus »; — I, 406 : quas Venerem Marti continuasse iuuat; — I, 608 : audentem Forsque Venusque iuuat; — II, 480 : arte Venus nulla dulce peregit opus; — II, 562 : Mulciberis capti Marsque Venusque dolis; — II, 563 : Veneris turbatus amore; — II, 565 : nec Venus oranti.... rustica difficilisque fuit; — II, 582 : uix lacrimas Venerem continuisse; — II, 609 : Veneris mysteria; — II, 613 : ipsa Venus pubem protegitur; — II, 659 : si paeta est, Veneri similis; — III, 85 : ut Veneri donetur Adonis; — III, 224 : nuda Venus; — III, 401 : si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles; — III, 451 : has, Venus, lenta uides lites; — III, 762 : cum Veneris puero; — *Rem.*, 159 : ut semel Aetola Venus est a cuspide laesa; — *Rem.*, 200 : a Phoebi uicta sorore Venus; — *Rem.*, 712 : uicit utramque Venus.

E contrario, non dubitari potest quin, in multis locis, nihil aliud sit *uenus* quam amor aut uoluptas :

Cat., XLV, 26 : quis (uidit) uenerem auspicatiorem? — LXVI, 15 : estne nouis nuptis odio uenus?; — Tib., I, I, 73 : nunc leuis est tractanda uenus; — I, IV, 59 : qui uenerem docuisti uendere primus (cf. uersum 67 : qui

Digitized by Google

uendit amorem); — I, v, 8 : per uenerem quaeso (cf. uersum 7 : per furtiui foedera lecti); — I, vi, 14 : liuor quem facit inpresso mutua dente uenus; — I, viii, 57 : uenus furtiua; — I, ix, 75-76 : hunc ego credam cum trucibus uenerem iungere posse feris[1]; — IV, xiii, 2 : hoc primum iuncta est foedere nostra uenus; — Prop., II, xv, 11 : non iuuat in caeco uenerem corrumpere motu; — II, xxii, 22 : haud umquam est culta labore uenus; — III, v, 23 : ubi iam uenerem grauis interceperit aetas; — III, xiii, 2 : uenere exhaustae opes; — IV, v, 33 : ubi uenerem promiseris; — IV, vii, 19 : uenus triuio conmissa est; — IV, viii, 34 : uenere ignota furta nouare mea; — Ou., *Am.*, I,iv, 21 : cum tibi succurret ueneris lasciuia nostrae; — I, iv, 66 : blanditiae taceant sitque maligna uenus; — I, ix, 3 : quae bello est habilis, ueneri quoque conuenit aetas; — I, x, 33 : quae uenus ex aequo uentura est grata duobus; — II, iv, 40 : est etiam in fusco grata colore uenus; — II, viii, 8 : furtiuae ueneris; — III, x, 47 : festa dies ueneremque uocat cantusque merumque; — III, xiv, 24 : inque modos uenerem mille figuret amor; — *Her.*, III, 116 : citharae noxque uenusque iuuant; — IV, 102 : si uenerem tollas, rustica silua tua est; — XV, 160 : nec uenus ex toto nostra fuisset iners; — XV, 285 : uenerem temerare maritam; — *Ars Am.*, I, 33 : uenerem tutam concessaque furta; — I, 244 : et uenus in uinis ignis in igne fuit; — I, 275 : utque uiro furtiua uenus, sic grata puellae; — I, 362 : blanda tum subit arte uenus; — I, 386 : non tibi ab ancilla est incipienda uenus; — I, 719 : nec semper ueneris spes est profitenda roganti; — II, 397 : laesa uenus iusta arma mouet; — II, 414 : concubitu prior est infitianda uenus; — II, 679 : uenerem iungunt; — II, 701 : uenerem adtingere seram; — III, 466 : accepto uenerem munere si qua negat; — III, 564 : non bene cum sociis regna uenusque manent; — III, 609 : admiscenda tamen uenus est secura timori; — III, 787 : mille modi ueneris; — III, 793 : sentiat ex imis uenerem resoluta medullis; — III, 797 : ueneris sensum; — *Rem.*, 357 : medio ueneris in usu; — *Rem.*, 405 : sustentata uenus gratissima; — *Rem.*, 407 : uenerem quoque iunge figura...; — *Rem.*, 800 : et quidquid ueneri corpora nostra parat; — *Rem.*, 802 : et quidquid ueneri corpora nostra negat; — *Rem.*, 805 : uina parant animum ueneri; — *Trist.*, II, 310 : ueneris stantes ad genus omne; — II, 363 : cum multo uenerem confundere uino; — II, 440 : ueneris furta suae; — II, 523 : ueneris figuras; — *Fast.*, I, 301 : non uenus et uinum sublimia pectora fregit; — I, 397 : in uenerem Satyrorum prona iuuentus; — IV, 228 : ultima sit uenus illa mihi.

Aliis in locis possunt duae rationes scribendi probari, ita tamen ut una potior esse uideatur.

Sic ubicumque *Veneris gaudia, uoluptates, fructus, res*, etc., reperiuntur, magis *Veneris* quam *ueneris* scribendum esse cen-

1. Ibi nonnulli interpretes scripserunt Venerem, et alium, mirum quidem, sensum in tota sententia repererunt. Nam, cum hoc loco poeta de Maratho Marathique amatore quereretur, crediderunt *hunc* esse amatorem, eumque esse dictum a Tibullo tam barbarum ut Venerem deam cum feris bestiis concumbere cogeret. Sed multo rectius est *hunc* ad ipsum Marathum referre, ita ut puer iste a poeta dicatur cum feris iungi posse, quia cum foedo turpique amante iungatur.

Digitized by Google

seo; nam, licet non semper ad deae numen animum aduertant poetae, haec dicendi genera sunt tamen e fabula orta, sicut *Bacchi umor*, *Cereris dona*, et alia usitatissima uocabula :

Tib., I, II, 34 : celari uult sua furta Venus; — I, X, 53 : Veneris bella calent; — II, I, 12 : cui tulit hesterna gaudia nocte Venus; — Ps. Tib., IV, III, 18 : Veneris cupidae gaudia; — Prop., III, XX, 20 : dulcia quam nobis concitet arma Venus; — IV, I, 137 : Veneris sub armis; — Ou., *Am.*, II, III, 2 : mutua Veneris gaudia; — II, X, 29 : Veneris certamina mutua; — II, X, 35 : Veneris motu; — II, XVIII, 3 : ignaua Veneris cessamus in umbra; — *Her.*, XVI, 141 : ad Veneris furtum; — *Ars Am.*, I, 675 : Veneris subita uiolata rapina; — II, 459 : Veneris da gaudia flenti; — II, 717 : Veneris uoluptas; — III, 805 : gaudia post Veneris; — *Rem.*, 103 : Veneris decerpere fructum; — *Rem.*, 431 : a Veneris rebus; — *Pont.*, I, X, 33 : Veneris damnosa uoluptas.

Alias quoque totius sententiae contextus suadere uidetur ut potius *Venerem* quam *uenerem* legamus.

Cat., LXI, 44 : dux bonae Veneris (quae uerba per se ipsa forsan ad animi affectum referri queant, sed cf. uersum 195 : bona te Venus iuuerit); — Tib., I, II, 90 : Veneris uinclis colla subdere senem (nam in toto hoc carmine Venus dea saepe nominatur); — I, V, 40 : admonuit dominae deseruitque Venus (huius uersus si secundam partem solam consideraueris, forsitan scribere uelis *uenus*, quoniam de amatorio uigore agitur; sed, cum in priore eiusdem uersus parte sit *admonuit dominae*, haec uerba sane ad Venerem deam pertinent); — Prop., III, VI, 34 : noctibus illorum dormiet ipsa Venus (propter uocem *dormiet*, *Venus* uidetur melius scribi quam *uenus*); — Ou., *Her.*, II, 39 : per Venerem nimiumque mihi facientia tela (quamquam alias legitur *per uenerem* similibus in exemplis, id est *per amatoria gaudia* [Tib , I, V, 8], tamen, propter proxima uerba *nimium mihi facientia* tela, ad fabulosum dicendi genus referri uidetur hic uersus); — *Her.*, XVI, 253 : apta magis Veneri quam sunt tua corpora Marti (*apta ueneri*, id est *uoluptati*, optimum esset; sed Marti *Venus*, non *uenus*, debet opponi); — *Fast.*, IV, 866 : multa professarum quaestibus apta Venus (sensum si inspicias solum, *uenus* forsan melius dicatur; sed in uersu 865 legitur *numina Veneris*).

Contra, inuenias alia loca in quibus *Venus* quidem non inepte scribi possit, praestet tamen *uenus*.

Cat., LV, 20 : uerbosa gaudet uenus loquella (hoc in carmine nihil inest fabulosi); — Tib., I, IV, 21 : ueneris periuria (nam Venus nulla facere dicitur periuria; sed haec uerba significant periuria in uenere, uel in amore, facta); — I, IV, 79 : me ueneris praecepta ferentem (hic de arte amandi agitur); — I, VIII, 35 : at uenus inuenit puero concumbere furtim (hic *uenus* est ingeniosa cupiditas); — I, X, 66 : miti procul a uenere; — II, III, 35 et 50 : ferrea non uenerem, sed praedam, saecula laudant;... iam ueniant praedae, si uenus optat opes (*praedae* enim rectius opponitur *uenus* quam *Venus*); — II, VI, 9 : castra peto, ualeatque uenus ualeantque

Digitized by Google

puellae; — Prop., I, I, 33 : in me nostra uenus noctes exercet amores (ubi ni esset *nostra*, *Venus* quoque scribi posset); — III, X, 30 : noctis et instituet sacra ministra uenus; — III, XVII, 3 : tu potes insanae ueneris conpescere fastus; — IV, V, 5 : docta uel Hippolytum ueneri mollire negantem (hic *uenus* est amatoria uita; cum tamen Hippolytum Dianae deditum, Veneri autem inimicum fuisse a poetis narratum sit, non adfirmare ausim hanc fabulam a Propertii ingenio afuisse; quod si pro certo admittas, *Veneri* scribere oporteat); — Ou., *Rem.*, 143 : uenus otia amat.

Denique de quibusdam uersibus nihil certi iudicari potest, cum inter se contrariae causae pari pondere pensentur :

Cat., LXIII, 17 : Veneris nimio odio (nam potest hic significari a poeta odium Gallarum seu in amoris affectum seu in Venerem deam, quae eorum deae Magnae Matri est inimica); — Tib., IV, XIII, 13-14 : nunc, licet e caelo mittatur amica Tibullo, mittetur frustra, deficietque Venus (sensus ad uenerem, id est ad amatorium uigorem, refertur; sed cf. Tib., I, V, 40 : admonuit dominae deseruitque Venus); — Ps. Tib., IV, III, 19 : nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae... (nisi addita essent ultima huius uersus uocabula, profecto *nulla uenus* scriberem; sed Venerem Dianae, deae deam, opponi uerisimile est).

Quod uero ad idem uerbum plurali numero positum pertinet, facillime duo scribendi genera discernuntur :

Cat., III, I, et XIII, 12 : Veneres Cupidinesque;

at contra *ueneres* sunt uoluptates uel amatoriae dotes :

Cat., LXXXVI, 6 : omnibus una omnes subripuit ueneres; — Prop., II, X, 7 : aetas prima canat ueneres.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS ALTERA

INDEX VERBORVM AMATORIORVM

Digitized by Google

In eo qui sequitur indice uerba amatoria ita disposui ut plerumque uno loco omnia eiusdem familiae uocabula coniungerem, ideoque, ut exemplis utar, quod de uoce *gaudium* dixi, hoc de *gaudere* intellegendum est, similiterque *lugere* et *luctus*, *uulnerare* et *uulnus*, *incitare* et *excitare*, *nox* et *nocturnus*, etc.

Digitized by Google

INDEX VERBORUM AMATORIORUM

Abducere est plerumque ui auferre et rapere :

Cat., LXVIII, 103 : Paris abducta gauisus moecha; — cf. Ou., *Am.*, I, IX, 33; *Her.*, VIII, 86; XV, 343, *Ars Am.*, II, 403; *Rem.*, 777.

Nonnumquam *abducere* est a priore amore auertere mentem amantis :

Prop., I, XIII, 28 : nec sinet abduci.

Abire est modo amare desistere :

Prop., I, IV, 2 : mutatum domina cogis abire mea;

modo puellam temptare desinere :

Ou., *Ars Am.*, I, 394 : nec nisi uictor abi;

modo procul a puella aufugere :

Ou., *Ars Am.*, II, 529 : cum te uitabit, abibis.

Abire dicitur Amor cum amantem relinquit liberum :

Ou, *Am.*, II, V, 1 : abeas, pharetrate Cupido!

Absorbere uim amoris quasi rapacem significat :

Cat., LXVIII, 107 : tanto te absorbens uertice amoris aestus.

Abstinere est amantem non adgredi :

Ps. Tib., I, II, 57 : tu tamen abstineas aliis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 380.

Abundare de nimiis et effrenatis animi affectibus dicitur :

Ou., *Her.*, VI, 76 : ira mixtus abundat amor.

Accendere dicitur Amor eos quibus cupidinem inicit :

Ps. Tib., IV, II, 6 : accendit geminas lampadas acer Amor; — cf. Prop., III, XVI, 16; Ou., *Am.*, I, I, 8.

Etiamsi Amor non depingatur, *accendi* saepe ponitur pro : amore capi :

Prop., I, XX, 45 : cuius ut accensae dryades candore puellae; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 9; *Trist.*, IV, X, 67.

Digitized by Google

Incendere, *succendere*, prope idem ualent atque accendere, sed nescio an quiddam uiolentius in se habeant :

Cat., L, 8 : tuo lepore incensus, ut nec me miserum cibus iuuaret; — cf. Cat., LXIV, 19, 97, 253; Ou., *Her.*, XIX, 119; *Rem.*, 117; *Fast.*, I, 411; — Prop., I, II, 15 : non sic Leucippis succendit Castora Phoebe; — cf. Prop., III, XIX, 15.

Accedere est puellam uisere aut adloqui :

Ou., *Ars Am.*, II, 529 : cum uolet, accedes; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 352, 604 (accessus).

Accedere est quoque sponte et ultro temptare :

Ou., *Ars Am.*, I, 709 : uir prior accedat.

Acceptae dicuntur personae aut res quae libente animo accipiuntur :

Prop., II, IX, 43 : te nihil in uita nobis acceptius umquam; — cf. Prop., I, IV, 16; Ou., *Her.*, XVI, 71; *Ars Am.*, III, 603.

Accipere aliquem est quasi amorem alicuius accipere libenter :

Ou., *Am.*, I, III, 5 : accipe, per longos tibi qui deseruiat annos.

Acer dicitur esse, et quasi pungere ac mordere, dolor amantium :

Cat., LXXXIII, 5 : quae multo acrior est res, irata est; — cf. Prop., II, XXII, 45; Ou., *Her.*, XIX, 13;

uel amoris affectus :

Cat. XLV. 15; maior acriorque ignis; — cf. Prop., I, IX, 26; II, III, 46; Ou., *Am.*, I, II, 17; II, XIX, 3; *Her.*, IV, 70; XVIII, 15; *Ars Am.*, I, 342; II, 354, 444; *Rem.*, 771.

Acer quoque dicitur Amor :

Tib., II, VI, 15 : acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas... adspiciam; — cf. Ps. Tib., IV, II, 6; Prop., II, XXX, 9.

Acerbum est quod dolorem inicit amarum :

Tib., IV, XIV, 4 : quid miserum torques, rumor acerbe? — cf. Tib., I, II, 98; I, VI, 84; Prop., II, VIII, 3.

Acta sunt uictoriae de puellis partae :

Ou., *Am.*, II, XII, 15 : nec casum fortuna meis inmiscuit actis; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 625;

aut culpae ex amore ortae :

Ou., *Am.*, II, 574 : cognita Vulcano coniugis acta suae;

Acuta dicuntur tela Amoris :

Prop., II, IX, 38 : tela, precor, pueri, promite acuta magis; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 516.

Addictus dicitur amans qui dominae imperio, ut seruus, paret :

Prop., III, XI, 2 : et trahit addictum sub sua iura uirum.

Digitized by Google

Adflare amorem, id est hominum mentibus inicere, dicuntur Cupido et Venus :

Tib., II, IV, 57 : ubi indomitis gregibus Venus adflat amores; — cf. Ou., *Rem.*, 434.

Adflare est quoque amantibus prodesse uenti modo :

Tib., II, I, 80 : felix cui placidus leniter adflat Amor.

Adfluere dicitur Amor quotienscumque inexspectatus aduenit :

Ou., *Rem.*, 148 : adfluit incautis insidiosus Amor.

Adigere dicitur amor quos inpellit ac cogit :

Ou., *Am.*, III, VI, 30 : certus adegit amor.

Adimere est rapere :

Ou., *Her.*, VIII, 19 : nuptae repetitor ademptae.

Adire est modo puellam adloqui et rogare :

Cat., VIII, 16 : quis nunc te adibit? — cf. Tib., I, V, 61; II, IV, 19; Ou., *Ars Am.*, I, 163; III, 442;

modo in puellae domum ire :

Prop., II, XXIII, 16 : nec sinit esse moram si quis adire uelit; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 53.

Denique turpem sensum habet hoc uerbum :

Tib,, I, V, 39 : iam cum gaudia adirem.

Adlicere est ad se amantes adtrahere inlecebris :

Ou., *Ars Am.*, III, 300 : adlicit ignotos uiros; — cf. *Ars Am.*, III, 510.

Admissum est culpa contra pudorem aut coniugalem fidem :

Ou., *Her.*, VII, 104 : admissi pudore mei; — cf. Ou., *Her.*, XI, 118; XVI, 45; *Ars Am.*, II, 381.

Admissum est quoque temerarium inceptum :

Ou., *Ars Am.*, I, 376 : talibus admissis alea grandis inest.

Admittere est amantes ad sese uenire pati :

Prop., II, XVII, 12 : nunc decimo admittor uix ego quoque die; — cf. Prop., I, XVI, 19; III, XXI, 7; Ou., *Am.*, I, VIII, 53; *Ars Am.*, III, 605.

Admonere est pristini amoris memorem facere :

Ou., *Rem.*, 620 : admonitu tepidam recalescere mentem; — cf. Ou., *Rem.*, 662, 729.

Adolescere dicitur Amor, ut puer, cum fit maior ac ualidior :

Ou., *Am.*, II, XIX, 23 : durat amor longosque adolescit in annos.

Adserere est ab Amoris iugo liberare :

Ou., *Am.*, III, XI, 3 : adserui iam me; — cf. Ou., *Rem.*, 73.

Digitized by Google

Adsiduus aliquando idem ualet ac perpetuus :

Cat., LXVIII, 55 : adsiduo tabescere fletu ; — cf. Cat., LXIV, 71 ; LXVI, 88 ; Tib., I, III, 64 ; Prop., III, XXI, 3.

Saepius *adsiduus* est quasi peruicax et constans, sed modo in bonam partem accipitur hoc uerbum :

Prop., I, VIII, 28 : uicimus : adsiduas non tulit illa preces ; — cf. Prop., I, XIX, 24 ;

modo in deteriorem :

Prop., II, XXXIII ; 44 : eleuat adsiduos copia longa uiros ; — cf. Prop., I, IX, 30 ; II, XVIII, 1.

Adsiduus, id est inplacabilis, hostis dicitur Amor :

Prop., II, XII, 16 : adsiduusque meo sanguine bella gerit.

Turpior huic uerbo inest sensus :

Cat., LXI, 227-228 : munere adsiduo ualentem exercete iuuentam ; — cf. Prop., II, XVI, 14.

Adspernari est amantem obliuisci :

Prop., II, XIII, 41 : caue sis nos adspernata sepultos.

Adspirare dicitur Amor quibus fauet :

Tib., II, III, 71 : quibus adspirabat Amor.

Adstringere proprio sensu pauoris dolorisue in corpore effectum significat :

Ou., *Ars Am.*, I, 301 : pectora adstricta dolore.

Alias, sicut apud iureconsultos, *adstringere* est obligare :

Ou., *Her.*, XV, 322 : me adstringam uerbis in tua iura meis ; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 28.

Adtenuare amorem est eum minuere :

Ou., *Rem.*, 288 : nec tamen est illis adtenuatus amor.

Adtonitus dicitur qui repentino ictu feritur uel doloris aut irae :

Ou., *Ars Am.*, III, 714 : adtoniti pectoris ardor ; — cf. Ou., *Her.*, V, 37 ;

uel amoris :

Ou., *Her.*, XV, 135-136 : praecordiaque intima sensi adtonitus intumuisse ; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 296.

Adtonitus quoque dicitur qui, postquam amoris ictum accepit, sui uix compos manet :

Tib., I, IX, 47 : adtonita laudes tibi mente canebam ; — cf. Ou., *Fast.*, II, 769.

Adulter, substantiuo sensu, semper est furtiuus amator :

Prop., II, XXXIV, 7 : hospes in hospitium Menelao uenit adulter ; — cf. Ou., *Am.*, I, III, 22 ; I, X, 4 ; III, IV, 8 ; III, VIII, 33 ; *Her.*, I, 6 ; IV, 34 ; XVI, 18, 46 ; XVIII, 177 ; XIX, 8 ; *Ars Am.*, I, 304, 309 ; II, 365, 637 ; *Fast.*, II, 335.

Digitized by Google

Adultera autem, substantiuo sensu, est modo meretrix :
Cat., LXI, 98 : in mala deditus adultera; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 29;

modo capta inlicito amore femina :
Ou., *Am.*, II, XVIII, 37 : Paris et adultera; — cf. *Her.*, IX, 53; XIII, 133; *Ars Am.*, I, 203;

modo infida Vestae sacerdos :
Ou., *Am.*, III, VI, 77 : designor adultera.

Adiectiuo sensu, eadem uerba raro ad res pertinent[1] :
Ou., *Am.*, III, IV, 5 : adultera mens est;

saepius ad personas;
Ou., *Rem.*, 161 : Aegisthus quare sit factus adulter; — cf. *Am.*, III, IV, 37; *Her.*, V, 125; VI, 133; XVI, 217; XIX, 148.

Adulterium proprio sensu est amor fidei maritae contrarius :
Cat., LXXVIII, 6 : qui patruus patrui monstret adulterium; — cf. Cat., LXVI, 84; LXVII, 36; CXIII, 4; *Her.*, IV, 34; Ou., *Ars Am.*, II, 367; *Trist.*, II, 212.

Est quoque *adulterium* nouus amor quo amanti data fides uiolatur :
Prop., II, XXIX, 38 : spiritus, admisso notus adulterio; — cf. Ou., *Am.*, III, V, 44.

Adulterium etiam uocatur furtiuus amor, etiamsi non sit legibus uetitus :
Ou., *Trist.*, II, 430 : ipse suum fassus adulterium est.

Quin immo ad muta animalia refertur hoc uocabulum :
Ou., *Ars Am.*, II, 484 : haeret adulterio cum cane nexa canis.

Aeger dicitur qui amore, quasi quodam morbo, laborat :
Ps. Tib., III, IV, 19 : menti deus utilis aegrae; — cf. Prop., II, IV, 11; Ou., *Rem.*, 109, 313, 314.

Aemulari est riualem timere :
Prop., II, XXXIV, 19 : ipse meas aemulor umbras.

Aemulus idem ualet ac riualis :
Ou., *Ars Am.*, II, 426 : si nulla subest aemula; — cf. Ou., *Rem.*, 768.

Aequus est qui amorem libenter accipit :
Ou., *Ars Am.*, II, 310 : flet amatori lenis et aequa suo.

Aestus proprie dicitur de aqua quae calore conmota est et bullit; unde duo translatiui oriuntur sensus, quorum unus ad motum, alter ad calorem refertur. Prioris generis haec sunt :
Cat., LXVIII, 107-108 : tanto te absorbens uertice amoris aestus in abruptum detulerat barathrum; — cf. Prop., III, XXIV, 17; Ou., *Her.*, XV, 25;

1. Cf. Ou., *Ars Am.*, III, 643 : adultera clauis.

Digitized by Google

alterius autem :

Prop., II, xxxiii, 47 : semper in absentes felicior aestus amantes; — cf. Ou., *Am.*, III, ii, 39; v, 36; *Ars Am.*, III, 543, 697.

Aetas, siue aliquod adiciatur epitheton, siue non, est iuuentus amoribus apta :

Tib., I, iv, 27 : transiet aetas; — cf. Tib., I, viii, 47; Prop., II, xxxiii, 33; Ou., *Am.*, I, viii, 49; *Ars Am.*, III, 65, 571.

At e contrario *aetas* est pars maturior uitae :

Ou., *Ars Am.*, I, 65 : sera et sapientior aetas; — cf. *Ars Am.*, L, 667;

aut etiam senectus :

Prop., III, xxv, 11 : aetas grauis.

Agitare, exagitare, refertur ad crudelitatem seu Amoris :

Cat. LXIV, 94 : exagitans inmiti corde furores; — cf. Ou., *Fast.*, II, 779;

seu amatae mulieris :

Prop., II, viii, 19 : exagitet nostros Manes.

Agitare est alias agere cum gravi labore :

Prop., I, vii, 5 : nostros agitamus amores.

Agere est modo inpellere :

Tib., I, v, 3 : namque agor, ut per plana citus sola uerbere turben;

modo aliquid mali admittere[1] :

Tib., I, vi, 66 : quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus;

alias obscene accipitur :

Cat., XXXII, 9 : si quid ages, statim iubeto.

Alae Amoris saepe describuntur :

Prop., II, xii, 5 : idem non frustra uentosas addidit alas; — cf. Prop., I, ix, 23; II, xxx, 31; Ou., *Am.*, III, ix, 9; *Ars Am.*, I, 233; II, 19; *Rem.*, 39, 701.

Albus modo pro candido ponitur :

Prop., II, iii, 10 : lilia non domina sint magis alba mea; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 35.

modo pro pallido :

Ou., *Am.*, I, vii, 51 : albo et sine sanguine vultu.

Alba senecta dicitur quia canos facit crines :

Prop., III, v, 24 : sparserit et nigras alba senecta comas.

Alere amorem dicitur quodcumque eum potest augere :

Prop., III, xxi, 4 : ipse alimenta sibi maxima praebet amor; — cf. Prop., IV, iv, 70; Ou., *Am.*, II, xix, 24; *Ars Am.*, II, 152; *Rem.*, 95, 746.

1. Cf. uerbum *acta*.

Digitized by Google

Ad corporis uires turpiter refertur haec uox :

Ou., *Am.*, II, x, 25 : et lateri dabit in uires alimenta uoluptas.

Aliena dicitur puella quae amanti datam fidem seruare non uult :

Prop., I, xv, 32 : sis quodcumque uoles, non aliena tamen; — cf. Prop., III, III, 47; Ou., *Rem.*, 681.

Aliquid interdum ponitur quasi femina aliqua :

Prop., II, XXII, 18 : mi fortuna aliquid semper amare dedit.

Altus dicitur amor quasi profundus :

Cat., LXVIII, 117 : sed tuus altus amor barathro fuit altior illo.

Alta uerba sunt superba :

Ou., *Her.*, IV, 150 : heu! ubi nunc fastus altaque uerba?

Amarum dicitur quod in amore ipso molestum est, curae, dolores, suspiciones :

Cat., LXVIII, 18 : quae dulcem curis miscet amaritiem; — cf. Tib., II, IV, 11; Prop., I, I, 33; II, XVII, 3; IV, III, 29; Ou., *Her.*, XII, 169[1];

aut quod amori obest :

Prop., II, XXIII, 9 : uultum custodis amari; — cf. Prop., II, XXXIII, 6; Ou., *Her.*, XVII, 115 :

Amabilis proprio sensu est idem ac dignus qui ametur aut placeat :

Ou., *Ars Am.*, II, 107 : ut ameris, amabilis esto; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 289;

aliquando tamen pro *amatorio* ponitur :

Ou., *Ars Am.*, II, 723 : amabile murmur; — cf. *Ars Am.*, III, 675.

Amans plerumque dicitur qui amore captus est :

Cat.. LXVI, 31 : amantes non longe a caro corpore abesse uolunt; — cf. Cat., LXI, 47; LXX, 3; LXXII, 7; Tib., I, III, 65; I, IV, 77; I, V, 57; I, VIII, 1, 61, 71; II, IV, 15, 39; Prop., I, II, 22; I, V, 23; I, VIII, 41; I, XIII, 25; I, XV, 41; I, XVI, 45, 47; I, XVIII, 7; I, XX, 3; II, V, 13; II, XII, 3; II, XIV, 19, 28; II, XV, 53; II, XVII, 1, 9; II, XXII, 45; II, XXIII, 23; II, XXVII, 17; II, XXX, 7; II, XXXIII, 43; III, III, 47; III, XVI, 11, 19, 27; III, V, 1; III, XVII, 11; Ou., *Am.*, I, VI, 31, 41, 72; I, VIII, 78, 91; I, IX, 2, 10, 15, 25, 28; I, XIII, 41; I, XV, 38; II, XIX, 5, 33; III, I, 9; III, III, 39; III, VI, 22; III, VIII, 65; III, XII, 1; *Her.*, I, 22; II, 7, 65, 74, 93, 101, 147; III, 26; IV, 154; IX, 145; XI, 32, 126; XIII, 1, 11; XV, 315; XVI, 35; XVII, 56, 171; XIX, 1, 159; *Ars Am.*, I, 420, 439, 502, 525, 611, 729; II, 3, 177, 515; II, 69, 454, 473, 534, 805; *Rem.*, 36, 321, 611, 619, 677, 691, 755.

Plurali numero, *amantes* saepe dicuntur qui inter se mutuo amore iunguntur aut antea iuncti sunt :

Cat., LXIV, 335 : nullus amor tali coniunxit foedere amantes; — cf. Ps. Tib., III, VI, 49; IV, IV, 15; IV, VI, 7; Prop., I, X, 15; I, XIX, 25; II, XVI, 47; II, XXVI, 32; II, XXXIII, 5; III, XIII, 35; III, XVII, 5; Ou., *Am.*, III, X, 15; *Her.*, XVIII, 67; *Ars Am.*, I, 633; II, 579, 703.

1. Propertius et Ouidius *noctes* dicunt *amaras*.

Digitized by Google

Amantes etiam bestiae dicuntur :

Ou., *Am.*, I, VIII, 8, et *Med.*, 38 : uirus amantis equae.

Cum ad res spectat, *amans* idem ualet atque *amatorius* :

Ou., *Her.*, XVIII, 25 : lacrimae per amantia lumina manant; — cf. Ou., *Fast.*, VI, 113.

Amare plerumque, simplici sensu, animi affectum significat :

Cat., VIII, 5 : amata nobis quantum amabitur nulla; — cf. Cat., XI, 19; XXIV, 6; XXXVII, 12, 15; XL, 8; XLV, 3, 20; LVIII, 3; LXI, 40; LXXV, 4; LXXXVII, 1, 2; CIV, 3; Tib., I, IX, 45; Prop., I, XII, 19; II, IV, 17; II, V, 8; II, XIII, 52; II, XXII, 18; II, XXXII, 35; III, XV, 46; Ou., *Am.*, I, III, 2, 3; I, VII, 33; I, VIII, 71; I, X, 13; I, XIII, 43; II, IV, 28; II, V, 9; II, VIII, 12; II, X, 2, 4; II, XVIII, 26, 34; II, XIX, 4, 8, 46; III, II, 57; III, IV, 26; III, IX, 55; III, XI, 38; III, XII, 5; III, XIV, 39; *Her.*, IV, 95, 168; V, 105, 139; VII, 22; VIII, 40; IX, 137; XV, 85; XVI, 112, 136, 137; XVII, 81, 153, 179; XVIII, 93, 179; XIX, 32, 35, 168, 177; XX, 57; *Ars Am.*, I, 35, 91, 175, 263, 511, 613, 741; II, 107; III, 28, 156, 351, 583, 673; *Rem.*, 13, 89, 297, 305, 345, 455, 469, 661, 685.

Saepe *amare* absolute ponitur, et de eius statu et habitu dicitur qui amore captus est et captus manet :

Cat., LXXXV, 1 : odi et amo; — cf. Cat., XCII, 2, 4; Ps. Tib., IV, IV, 16; Prop., I, VI, 12; I, VIII, 42; I, XII, 8; I, XIII, 32; II, VIII, 12; II, XXIII, 24; II, XXIV, 24; II, XXVI, 28; II, XXX, 34; II, XXXIV, 34; III, XX, 30; IV, V, 75; Ou., *Am.*, I, VIII, 95; II, II, 54; II, IV, 10; II, XIV, 21; II, XVIII, 8; III, XI, 35, 50, 52; *Her.*, II, 27; IV, 26; V, 130; VII, 30, 33, 164; XI, 34; XV, 40; XVI, 73, 88; XVIII, 4, 16, 18, 109; XIX, 8, 88; *Ars Am.*, I, 1, 2, 615, 738; II, 161, 165, 167, 501, 511; III, 41, 534, 544, 565, 598; *Rem.*, 7, 8, 43, 71, 137, 167, 211, 502, 513, 579, 613, 648, 658, 745.

Alias *amare* est amoris uoluptatibus se tradere, in amore uitam agere totam, sicut in uulgato illo « amare, potare » :

Cat., V, 1 : uiuamus atque amemus; — cf. Tib., I, I, 71; II, III, 69; Ou., *Am.*, I, IX, 46; II, II, 65; III, I, 15; *Her.*, XIII, 83, 84; XVI, 254; XVIII, 171.

Amare quoque dicuntur muta animalia :

Ou., *Ars Am.*, II, 481 : ales habet quod amet.

Amare est aliquotiens *satis habere*, contentum esse :

Prop., II, VI, 24 : quaecumque uiri femina limen amat.

Nonnumquam de duobus amandi generibus, altero amatorio, altero ad parentes, fratres, amicos, pertinente ludunt poetae :

Tib., I, VI, 65 : te semper natamque tuam, te propter, amabo; — cf. Tib., I, IV, 61; Ou., *Her.*, XI, 23; *Ars Am.*, I, 283, 745.

Adamare pro *amare* aliquotiens ponitur :

Ou., *Ars Am.*, II, 100 : sit licet antiquo Nireus adamatus Homero.

Amatores dicuntur qui puellis munera dare solent :

Tib., I, V, 47 : adest huic diues amator; — cf. Tib., I, VIII, 29; Prop., II, XVI, 12; Ou., *Am.*, I, VIII, 31, 58, 68; III, XI, 13; III, XII, 11.

Digitized by Google

Sed plerumque eam uim habet hoc uerbum, ut *amator* sit qui et se amare profitetur et amori omnem operam inpendit :

Prop., II, xx, 35-36 : solus amator nec cito desisto nec temere incipio; — cf. Prop., II, xxi, 4; III, xiv, 32; III, xvi, 13; Ou., *Am.*, I, iv, 39; I, viii, 66; *Her.*, XV, 246; *Ars Am.*, I, 722; II, 310, 564, 738; III, 209, 481, 497, 591; *Rem.*, 17.

Amator interdum nihil amplius significat quam *amans* :

Prop., I, vii, 13 : neglectus amator; — cf. Prop., II, iii, 16; II, xxi, 14.

Amens est furens, sui inpotens, seu ob dolorem :

Cat., LXIV, 197 : amenti caeca furore; — cf. Ou., *Am.*, III, xi, 25; *Ars Am.*, I, 527;

seu ob nimium amorem :

Prop., I, i, 11 : amens errabat in antris;

seu denique ob effrenatam uoluptatem :

Ou., *Ars Am.*, II, 691 : dominae uictos amentis ocellos.

Amicus raro ponitur pro *amatore* :

Prop., III, xx, 9 : modo sit tibi fidus amicus; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 737;

nec frequentius *amicitia* pro amore :

Cat., CIX, 6 : sanctae foedus amicitiae;

saepissime uero *amica* pro *domina* :

Cat., LXXII, 3 : dilexi tum te, non tantum ut uulgus amicam; — cf. Cat., XLI, 4; CX, 1; Tib., IV, xiii, 13; Prop., I, vi, 10; II, vi, 41, 42; II, xvi, 21; II, xxix, 31; II, xxx, 23; II, xxxiii, 34; IV, v, 61; Ou., *Am.*, I, vi, 45; I, ix, 19; II, i, 17; II, v, 10, 26; II, vii, 20; II, ix, 43; III, vii, 20; *Her.*, III, 114, 150; V, 70; IX, 110; *Ars Am.*, I, 398, 417, 465; II, 156, 175, 288, 293, 531; III, 520; *Rem.*, 215, 239, 315, 380, 441.

Adiectiuo sensu *amica* pro leni et beueuola ponitur :

Prop., III, viii, 40 : offensa illa mihi, non tibi amica, dedit.

Amor (deus) et amor (animi affectus) quomodo inter se distingui possint in priore huius libri parte diximus. Hic pauca solum notanda sunt, ac praesertim discernendi loci in quibus *amores* sunt animi motus et ii in quibus haec uox personam amatam significat. Prioris generis haec sunt :

Cat., XCVI, 3 : ueteres renouamus amores; — cf. Cat., VII, 8; LXIV, 334, 372; LXVIII, 69; LXXVIII, 3; Tib., I, ii, 59, 89; II, ii, 11; II, iv, 47, 57; Prop., I, iv, 15; I, vii, 5; I, viii, 45; I, ix, 1; I, xii, 5; I, xiii, 11; I. xv, 19; I, xvi, 19; I, xviii, 19; II, i, 1; II, viii, 7; II, xxv, 39; II, xxix, 19; II, xxxiii, 7; II, xxxiv, 25, 49, 71; IV, vii, 69; Ou., *Am.*, I, xii, 21; II, iv, 9; III, i, 69; III, vi, 101; *Her.*, IV, 23; IX, 47; XV, 257; XVII, 131, 167; *Med.*, 27; *Ars Am.*, II, 385, 639; *Rem.*, 557.

At alias *amores* sunt idem ac persona amata :

Cat., X, 1 : me ad suos amores duxerat; — cf. Cat., VI, 16; XV, 1; XXI, 4;

Digitized by Google

XXXVIII, 6; XL, 7; XLV, 1; LXIV, 27[1]; Tib., I, III, 81; I, VI, 35; Ps. Tib., IV, V, 11; Prop., I, XX, 51; IV, IV, 37[2]; Ou., *Am.*, III, VIII, 59.

Eundem sensum habet quoque *amor* singulari numero :

Prop., II, VIII, 36 : in crepto amore; — cf. Prop., I, XIII, 2; II, I, 48; Ou., *Am.*, III, IX, 32; *Her.*. XV, 96.

Amplecti, conplecti crebro inueniuntur (saepius tamen *amplecti*). Plerumque sensum habent haec uerba amatorium quidem, non tamen omnino obscenum :

Cat., LXI, 105 : inplicabitur in tuum conplexum; — cf. Tib., I, VIII, 32; I, IX, 74; Prop., I, VI, 5; I, X, 5; I, XII, 5; I, XIII, 19; II, IX, 9; II, XV, 9; II, XVIII, 11; IV, VII, 96; Ou., *Am.*, III, VI, 43; III, VIII, 11, 12; *Her.*, II, 93; IV, 139; VI, 95; XII, 173; XIII, 12, 154; XIV, 69; XVII, 101; XVIII, 80; *Ars Am.*, III, 732; *Rem.*, 668; *Pont.*, I, IV, 51.

Aliis in uersibus inest turpior sensus :

Cat., XI, 18 : quos simul conplexa tenet trecentos; — Cf. Prop., II, XXII, 29; II, XXVI, 49; IV, V, 33; Ou., *Am.*, I, IX, 35; I, XIII, 39; II, VII, 22; *Her.*, V, 100; XV, 86, 216, 252; XVI, 94; *Ars Am.*, I, 770; *Fast.*, II, 180; III, 496, 509; IV, 171; VI, 126, 554.

Anhelitus oris in re uenerea describenda notatur :

Ou., *Ars Am.*, III, 803 : quid iuuet et uoces et anhelitus arguat oris.

Animam deponere, reddere, tradere, est prae amore mori, quae exaggeratio apud amatorios poetas frequenter incurrit :

Cat., XXX, 7 : tute iubebas animam tradere; — cf. Prop., I, VI, 26; I, XIII, 17.

Animus ea est pars mentis quam affectus occupant :

Cat., LXIV, 70 : toto animo, tota pendebat perdita mente; — cf. Cat., II, 10; LXIII, 47; Ps. Tib., III, VI, 13; Prop., III, VIII, 17; III, XV, 5; III, XVII, 6, 12; IV, V, 61; Ou., *Am.*, I, IX, 42; *Her.*, IV, 24; VII, 26; XII, 89; XIII, 160; XVII, 62, 125; *Ars Am.*, I, 237, 243, 348, 456, 619; II, 412; *Rem.*, 147, 160, 197, 270, 559, 753, 805.

Interdum non certa est huius uerbi significatio, sed fere expletiua :

Cat., LXIV, 372 : optatos animi coniungite amores; — cf. Cat., XV, 3; Ou., *Am.*, II, IX, 27; *Ars Am.*, II, 516; *Rem.*, 417.

Sed plerumque magis proprius est huius uocabuli sensus.

Saepe *animus* pro ardore amoris ponitur[3] :

Cat., XLV, 20 : mutuis animis amant, amantur; — cf. Ou., *Am.*, I, IX, 5; II, XIX, 24; *Her.*, XIII, 85; XV, 10; *Ars Am.*, I, 115, 733; II, 250.

Alias *animus* corpori opponitur :

Prop., III, XXI, 10 : quantum oculis, animo tam procul ibit amor; — cf. Ou., *Am.*,

1. *Meros amores* uocat odorem quendam uenustum et suauem Catullus, XIII, 9.
2. Cf. Prop., II, XXVIII, 39 (una ratis fati nostros portabit amores); ubi *amores* sunt et poeta amans et puella amata.
3. Forsan ad hunc sensum referri possit uerbum Ou., *Am.*, III, VI, 51 : Anien animosus.

Digitized by Google

I, x, 13; *Her.*, VI, 55; XV, 37, 101; *Ars Am.*, II, 119, 407; *Rem.*, 231; *Fast.*, II, 738.

Alias *animus*, praesertim cum plurali numero ponitur, uigorem ferocis superbaeque mentis significat :

Prop., II, v, 18 : parce tuis animis, uita, nocere tibi; — cf. Prop., I, v, 12; Ou., *Her.*, IV, 165; XII, 184; *Rem.*, 295, 518;

aut contra (rarius quidem) clementiam et indulgentiam :

Prop., II, xx, 26 : quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.

Saepe *animus* est animi genus, natura, habitus :

Ou., *Ars Am.*, I, 756 : mille animos excipe mille modis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 159; II, 477; III, 557; *Rem.*, 123, 312, 523, 718.

Ex animo idem ualet ac sincere, libere ac libenter [1] :

Cat., CIX, 4 : id sincere dicat et ex animo; — cf. Ou., *Am.*, II, v, 51; *Ars Am.*, III, 472.

Denique *animus* pro *anima* ponitur aliquando :

Ou., *Her.*, III, 60 : sanguinis atque animi pectus inane fuit.

Anni plerumque iuuentutem significant :

Ou., *Her.*, XIV, 55 : femina sum et uirgo, natura mitis et annis; — cf. Ou., *Her.*, XV, 205; *Ars Am.*, I, 61; III, 61, 62; *Rem.*, 24;

interdum tamen grandiorem aetatem :

Ou., *Ars Am.*, III, 557 : stabiles animos annis.

Amplior alias est huius uerbi sensus :

Ou., *Ars Am.*, I, 765 : nec tibi conueniet cunctos modus unus ad annos.

Anteferre raro reperitur :

Ou., *Her.*, XV, 206 : nec Menelaus nobis anteferendus erit.

Antiquus, quod uerbum in communi sermone magnam uim laudis habet, in amatoria lingua, in ridiculam partem accipitur, quasi barbarus, rusticus :

Ou., *Med.*, 11 : antiquae Tatio sub rege Sabinae.

Anxius dicitur qui ob amantis absentiam dolet :

Tib., I, III, 16 : quaerebam tardas anxius usque moras; — cf. Prop., I, xv, 17;

aut qui metuit ne decipiatur :

Ou., *Her.*, XVI, 214 : et non exemplis anxius esse tuis.

Apertus plerumque est quasi *nudus* :

Tib., I, VI, 18 : pectus aperta; — cf. Ou., *Am.*, III, VI, 58; *Rem.*, 429.

Apertus coniunx est legitimus, non furtiuus :

Prop. IV, III, 40 : omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior.

1. Cf. *ueris animis*, apud Prop., III, VI, 35.

Digitized by Google

Aptus est saepe idem ac decens, congruens :

Tib., I, VII, 44 : chorus et cantus et leuis aptus amor; — cf. Prop., III, XXII, 42; Ou., *Her.*, XIII, 121; *Ars Am.*, I, 44; III, 226, 761, 808.

Aptum quoque dicitur quod ad aliquid faciendum adcommodatum est :

Ou., *Am.*, I, V, 20 : forma papillarum quam fuit apta premi; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 534; *Rem.*, 94.

Interdum hoc uerbum ad morum uersatilitatem pertinet :

Ou., *Ars Am.*, I, 760 : qui sapit, innumeris moribus aptus erit; — cf. Ou., *Am.*, II, VIII, 4; II, XIX, 16;

alias ad corporis habitum :

Tib., I, IV, 54 (oscula) apta dabit; — Ou., *Am.*, I, IV, 5 : apte subiecta.

Aqua pro lacrimis ponitur :

Prop., III, VI, 10 : illius ex oculis multa cadebat aqua?

Aras fingunt poetae esse ubi foedera paciscantur amantes :

Prop., III, XX, 25 : qui pactas in foedera ruperit aras.

Arbitrium est tyrannica dominae potestas :

Ps. Tib., III, VI, 14 : ille ferocem contudit et dominae misit in arbitrium; — cf. Prop., IV, I, 143; Ou., *Ars Am.*, I, 504.

Arcana sunt secreta quae amantes sibi uerbis aut signis tradunt :

Ou., *Ars Am.*, I, 137 : nil opus est digitis, per quos arcana loquaris.

Hoc uerbum ad uenereas res quoque pertinet :

Ou., *Ars Am.*, III, 804 : arcanas pars habet ista notas.

Arcus Amoris saepe nominatur :

Tib., II, V, 103 : pereant arcus pereantque sagittae; — cf. Tib., II, I, 69; Prop., I, VII, 15; I, IX, 21; Ou., *Am.*, I, I, 23; I, XI, 11; I, XV, 27; II, I, 7; II, VII, 27; II, IX, 5; III, II, 55; III, IX, 8; *Her.*, II, 40; XV, 39; *Ars Am.*, I, 21; II, 102; III, 29; *Rem.*, 139, 435, 702; *Pont.*, III, III, 33.

Ardens dicitur cupidus amans :

Cat., LXII, 23 : iuueni ardenti castam donare puellam;

aut qui uehementi dolore adficitur :

Cat., LXIV, 197 : inops, ardens, amenti caeca furore; — cf. Cat., LXIV, 124.

Ardere saepe natiuam et ualidam uim retinet :

Cat., XLV, 16 : ignis mollibus ardet in medullis; — cf. Cat., LXVIII, 53; Ou., *Her.*, XII, 33; XV, 104; *Rem.*, 533; *Ibis*, 357; *Fast.*, III, 545, 546.

Alias *ardere* nihil est fere amplius quam adamare :

Ou., *Am.*, III, II, 33 : his ego non uisis arsi; — cf. Ou., *Her.*, V, 105; XV, 149; *Ars Am.*, I, 284; *Rem.*, 13; *Fast.*, II, 779; VI, 575.

Digitized by Google

Non modo amore, sed dolore dicuntur amantes ardere :

Ou., *Ars Am.*, II, 377-378 : femina socii deprensa paelice lecti ardet; — cf. Ou., *Rem.*, 287.

Quod ad grammaticam pertinet, notandum est pariter in usu esse duo dicendi genera : *ardere* puella :

Ou., *Am.*, II, VIII, 11 : facie Briseidos arsit;

aut *ardere* in puella :

Ou., *Am.*, I, IX, 33, ardet in abducta Briseide; — cf. Ou., *Her.*, IV, 99.

Exardere significat amorem uel incipientem :

Cat., LXIV, 93 : imis exarsit tota medullis;

uel inritamento aliquo auctum :

Ou., *Ars Am.*, II, 334 : exarsit uelis acrius illa datis; — Cf. Ou., *Ars Am.*, III, 481.

Redardescere est amorem depositum resumere :

Ou., *Rem.*, 734 : flamma redardescet quae modo nulla fuit.

Ardor nihil est amplius quam magnus amor, amissa fere originis significatione[1] :

Ps. Tib., IV, XII, 6 : ardorem cupiens dissimulare meum; — cf. Cat., II, 8; Prop., I, VII, 24; I, X, 10; I, XIII, 28; Ou., *Am.*, II, IX, 27; II, XVI, 12; *Her.*, XII, 180; XV, 309; XIX, 17, 42; *Rem.*, 720.

Ut amor, sic *ardor* pro amata persona ponitur :

Prop., I, XX, 6 : Theodamanteo proximus ardor Hylae; — cf. Ou., *Fast.*, II, 308.

Arguere est modo uituperare nimium amorem :

Ps. Tib., IV, III, 16 : arguar ante ipsas concubuisse plagas;

modo cum amante de eius culpis litem facere :

Ou., *Am.*, II, V, 7 : o utinam arguerem sic, ut non uincere possem; — cf. *Am.*, II, VII, 6.

Argutare est dictitare :

Prop., I, VI, 7 : illa mihi totis argutat noctibus ignes.

Argutus modo ad ingenii res refertur et est quasi acutus, uersutus :

Prop., I, XVI, 16 : arguta blanditia; — cf. Prop., I, XVIII, 26; III, XX, 28;

modo de oculis dicitur, quorum aciem iocosam et amatoriam significat :

Ou., *Am.*, III, II, 83 : argutis ocellis; — cf. *Am.*, III, III, 9.

Arida crura sunt macra, et macie ridenda :

Ou., *Ars Am.*, III, 272 : arida nec uinclis crura resolue suis.

1. Apud Ou., *Ars Am.*, III, 714, *ardor* est potius ira quam amor (quis adtoniti pectoris ardor erat?)

Digitized by Google

Arma, inermis, modo pertinent ad bella Amoris aduersus homines:

Tib., II, v, 106 : in terris erret inermis Amor; — cf. Prop. II, xii, 9; II, xxx, 31; Ou., *Am.*, I, ii, 22; I, xv, 27; II, ix, 11; *Ars Am.*, II, 397; *Rem.*, 246; *Pont.*, III, iii, 47.

Alias *arma* sunt hominis contra Amorem repugnantis :

Tib., I, vi, 30 : contra quis ferat arma deos? — cf. Ou., *Am.*, II, ix, 35.

Alias uir cum femina, femina cum uiro *arma* mouere dicuntur :

Prop., III, xiii, 9 : haec etiam clausas expugnant arma pudicas; — cf. Prop., IV, i, 137; Ou., *Am.*, II, x, 3; *Ars Am.*, I, 36; II, 741; III, 1, 5, 46, 492; *Rem.*, 50, 674, 675.

Arma de litibus et contentionibus dicuntur seu inter amantes :

Prop., IV, viii, 88 : toto soluimus arma toro; — cf. Ou., *Am.*, II, iv, 2;

seu inter riuales :

Prop. II, xxxiv, 6 : et bene concordes tristia ad arma uocat; — cf. Prop., III, viii, 33; Ou., *Am.*, I, ix, 26.

Denique *arma* sunt Veneris certamina :

Prop., III, xx, 20 : dulcia quam nobis concitet arma Venus; — cf. Prop., I, iii, 16; Ou., *Am.*, III, vii, 71.

Inermis femina dicitur quasi non compta :

Ou., *Rem.*, 347 : deprendes tutus inermem.

Artes sunt rationes, ad animos capiendos aptae, seu Amoris :

Ou., *Am.*, I, ii, 6 : an subit et tecta callidus arte nocet; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 362;

seu praecipue amantium :

Tib., I, iv, 82 : deficiunt artes, deficiuntque doli; — cf. Tib., I, iv, 76; I, vi, 10; I, viii, 61; Prop., III, iii, 50; III, xxv, 5; IV, v, 38; Ou., *Am.*, II, xii, 4; II, xviii, 19; *Her.*, IV, 23; XVI, 142; *Ars Am.*, I, 265, 387; II, 12, 162, 196, 512, 540, 547, 676; III, 42, 47, 155, 594, 701; *Rem.*, 9, 11, 34, 691.

Ars quoque est calliditas in eis rebus quae ad amorem spectant :

Ou., *Rem.*, 713 : mores quoque confer et artem; — cf. Ou., *Am.*, II, iv, 30; *Ars Am.*, II, 480, 506; III, 291, 301, 331.

Peculiariter *ars* est scientia corporis ornandi :

Prop., I, ii, 8 : formae artificem; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 164, 200, 201, 210, 237, 238; *Rem.*, 350; *Fast.*, II, 764;

ac praesertim capilli comendi :

Tib., I, vi, 39 : quisquis colis arte capillos; — cf. Tib., I, viii, 16; Ou., *Her.*, IV, 77.

Ars est alias ratio amoris deponendi :

Ou., *Rem.*, 16 : nostrae sentiat artis opem; — cf. Ou., *Rem.*, 61, 123, 131, 135, 233, 289, 512, 525, 624, 702.

Digitized by Google

Artae dicuntur corporis partes, ut exiguae :
Ou., *Am.*, III, III, 7 : pedis est artissima forma;

arti quoque amplexus :
Ou., *Her.*, XV, 227 : cum te tenet artius ille.

Artus saepe pro corpore ponitur, sed raro proprium amatoriae rei sensum habet :
Ou., *Her.*, XII, 173 : quos ego seruaui, paelex amplectitur artus.

Asper est aliquando idem ac superbus :
Tib., I, v, 1 : asper eram et bene discidium me ferre loquebar.

Saepius *asper* est difficilis :
Tib., I, vi, 2 : es misero tristis et asper, Amor; — cf. Tib., I, ix, 20; Prop., I, xviii, 13; Ou., *Ars Am.*, II, 146, 183.

Ater proprio sensu dicitur capillus :
Ou., *Am.*, I, xiv, 9 : nec tamen ater erat nec erat tamen aureus ille.

Atrum pectus est durum, crudele :
Ou., *Am.*, I, xiii, 33-34 : quod erat tibi filius ater, materni fuerat pectoris ille color.

Auarae dicuntur mulieres quae munera exposcunt :
Cat., CX, 7 : meretricis auarae; — cf. Tib., II, iv, 29, 33, 45; Ps. Tib., III, i, 7; Prop., I, viii, 38; Ou., *Am.*, III, viii, 22; *Rem.*, 302.

Audere de amatoriis inceptis saepe dicitur :
Tib., I, ii, 16 : audendum est, fortes adiuuat ipsa Venus; — cf. Prop., II, vi, 22; Ou., *Her.*, XVI, 101, 237; XIX, 54; XX, 195; *Ars Am.*, I, 608.

Audax quoque dicitur qui amori resistit :
Tib., II, i, 72 : audaces perdomuisse uiros;

audax etiam femina quae superbe amanti imperat :
Tib., IV, xiii, 19 : nunc tu me audacius ures; — cf. Prop. III, viii, 5.

Audire, aurem praebere, est bona mente amantis uerba accipere :
Prop., II, xxi, 15 : nimium faciles aurem praebere puellae; — cf. Prop., II, xxxiii, 23.

Auersari est odisse :
Ou., *Am.*, III, xi, 38 : auersor morum crimina.

Auferre proprio sensu est rapere, unde :
auferre dona :
Ou., *Ars Am.*, I, 419 : cum bene uitaris, tamen auferet; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 101;

auferre oscula :
Ou., *Her.*, XVI, 27-28 : oscula pauca proteruus abstulit;

auferre puellam aut uirum :
Ou., *Her.*, XV, xv, 201 : Phryx erat Aurorae coniunx, tamen abstulit illum....

Digitized by Google

Translatiue *auferre* amantem est ei, prae nimio amore, libertatem rapere :

Ou., *Her.*, VI, 131 : Colchis ablate uenenis; — cf. Ou., *Her.*, XII, 36; *Ars Am.*, I, 310; *Rem.*, 343.

Auidus interdum eundem sensum habet quem auarus :

Prop., III, XIII, 1 : quaeritis, unde auidis nox sit pretiosa puellis;

sed potius amorem significat quam lucri cupiditatem :

Cat., LXVIII, 83 : auidum saturasset amorem; — cf. Ou., *Rem.*, 247.

Aura est uentus secundus qui amanti fauet :

Prop., II, XII, 8 : nostraque non ullis permanet aura locis; — cf. Ou., *Am.*, II, IX, 33.

Aureus dicitur Amor :

Ou., *Am.*, II, XVIII, 36; *Rem.*, 39;

aurea Venus :

Ou., *Her.*, XV, 35, 291;

aurea puella :

Prop., IV, VII, 85;

aurea anus mater puellae :

Tib., I, VI, 58;

aureoli pedes puellae :

Cat., LXI, 160;

quibus in exemplis nihil est *aureus* nisi uox summae admirationis.

Sed proprium sensum habet hoc uerbum cum ad capillos refertur :

Ou., *Am.*, I, XIV, 9 : nec tamen ater erat nec erat tamen aureus ille.

Auspicia sunt signa secunda Amoris aut Veneris :

Cat., XLV, 19 : ab auspicio bono profecti; — cf. Cat., XLV, 26.

Austeri dicuntur uiri qui amori repugnant :

Prop., III, III, 50 : austeros ferire uiros;

et mariti qui uxoribus non indulgent :

Prop., III, XIV, 24 : nec grauis austeri poena cauenda uiri.

Auxilium dicitur quodcumque amoris dolores leuare potest, seu amor minuendus est :

Prop., I, I, 26 : non sani pectoris auxilium; — cf. Prop., III, XXI, 9; Ou., *Rem.*, 107, 582;

seu contra amor pari amore est pensandus :

Ou., *Her.*, V, 154 : auxilium tu mihi ferre potes.

Digitized by Google

Barathro, id est gurgiti inmenso, conparatur profundus amor :
Cat., LXVIII, 117 : sed tuus altus amor barathro fuit altior illo; — cf. Cat., LXVIII, 108.

Barbarus est modo rusticus :
Prop., II, XVI, 27 : barbarus excussis agitat uestigia lumbis; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 276, 532;

modo crudelis :
Ou., *Am.*, I, VII, 19 : quis mihi non « demens », quis non mihi « barbare » dixit?

Basia aliquando pro osculis ponuntur :
Cat., V, 7 : da mihi basia mille; — cf. Cat., V, 13; VII, 1, 9; VIII, 18; XVI, 12; XLVIII, 2, 3; XCIX, 16.

Beatus dicitur amans amatus :
Cat., XLV, 25 : quis ullos homines beatiores uidit? — cf. Tib., I, x, 63;

aut qui uenereas uoluptates capere potest :
Ou., *Her.*, XIX, 61 : cetera si possem laudare, beatior essem.

Per hypallagen ad res haec uox refertur :
Prop., II, XV, 2 : lectule deliciis facte beate meis.

Bella sunt pugnae Amoris et hominis :
Prop., II, XII, 16 : adsiduusque meo sanguine bella gerit; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 21; *Rem.*, 2, 25, 160.

Sunt quoque *bella* nonnumquam iurgia inter riuales :
Cat., XXXVII, 13 : pro qua mihi sunt magna bella pugnata;

rixae inter amantes :
Tib., I, x, 53 : sed Veneris tunc bella calent;

lites inter amantes :
Prop., III, VI, 41 : quod mihi si e tanto felix concordia bello exstiterit; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 146.

Saepissime amor ipse *bellum* dicitur :
Ou., *Ars Am.*, III, 3 : ite in bella pares; — cf. *Am.*, I, IX, 45; II, XVIII, 12.

Denique *bella* sunt Veneris certamina :
Prop., III, VIII, 32 : ille Helenae in gremio maxima bella gerit.

Belli dicuntur uiri feminaeque seu serio :
Cat., VIII, 10 : cui uideberis bella? — cf. Tib., I, IX, 71; Tib., IV, XIII, 5; Ps. Tib., III, IV, 52;

seu iocose :
Cat., XLIII, 6 : ten' prouincia narrat esse bellam?; — cf. Cat., XXII, 9; XXIV, 7, 8; LXIX, 8; LXXVIII, 3, 4; LXXXI, 2; CVI, 1.

Ad res aliquotiens refertur hoc uerbum :
Cat., XLIII, 2; nec bello pede; — cf. Cat., III, 14, 15.

Digitized by Google

Bene dicere, bene facere, est uerbis aut dictis amorem ostendere :
Cat., LXXVI, 7-8 : quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt aut facere; — cf. Prop., I, I, 10.

Bene uelle est mentis sanae iudicio amare, non caeco pectoris impetu :
Cat., LXXII, 7-8 : amantem iniuria talis cogit amare magis, sed bene uelle minus; — cf. Cat., LXXV, 3.

Benignus idem fere ualet atque amans aut amatorius :
Prop., I, x, 24 : neu tibi pro uano uerba benigna cadant; — cf. Prop., IV, IV, 66.

Bipertitus, biuius dicitur animus amore duplici haesitans :
Ou., *Rem.*, 443, 486.

Blandiri modo est alicuius beneuolentiam captare :
Ou., *Ars Am.*, II, 527 : durae supplex blandire puellae; — cf. Ou., *Am.*, I, VI, 15; I, VIII, 103;

modo amatorios tactus, amatoria uerba, significat :
Ou., *Her.*, XX, 195 : et minus audacter blanditur.

Similiter *blanditiae* sunt modo ad fauorem amantis adquirendum apta uerba aut dona :
Prop., I, XV, 42 : nullis tutum credere blanditiis; — cf. Prop., I, IX, 30; I, XVI, 16; II, XIX, 4; III, XIII, 33; Ou., *Am.*, II, IX, 45; III, XI, 31; *Her.*, XVI, 91; *Ars Am.*, I, 439, 480, 619; *Rem.*, 35, 507;

modo amatoria uerba aut facta :
Tib., I, I, 72 : dicere nec cano blanditias capite; — cf. Tib., I, II, 91; I, IV, 71; I, IX, 77; Ou., *Am.*, I, IV, 66; II, XIX, 17; III, VII, 11; *Her.*, XIII, 153; *Ars Am.*, I, 571; II, 159, 466; *Fast.*, IV, 868;

modo amatorii uersus :
Ou., *Am.*, II, I, 21 : blanditias elegosque leues; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 46.

Blanditiae, ut deae, Amori comites adsignantur :
Ou., *Am.*, I, II, 35.

Blanditiae rosae sunt iucundi rosae odores :
Prop., IV, VI, 72.

Blandus quoque duplici sensu accipitur. Saepe blandus est idem atque ad capiendos animos aptus :
Cat., LXIV, 139 : at non haec quondam blanda promissa dedisti uoce mihi; — cf. Tib., I, VI, 1; Ps. Tib., III, IV, 75; III, VI, 46; Prop., I, VIII, 40; I, XIII, 31; II, III, 16; Ou., *Am.*, I, XI, 14; I, XV, 18; II, II, 34; *Her.*, II, 49; XV, 260; XVI, 182; *Ars Am.*, I, 273, 362, 455, 468, 703, 710; II, 334, 411, 477; III, 315; *Rem.*, 332; *Fast.*, IV, 99.

Saepe autem *blandus* pro amatorio, uoluptario, ponitur :
Tib., I, II, 22 : blandaque conpositis abdere uerba notis; — cf. Prop., I, XI, 13; I, XX, 42; III, XXIII, 18; IV, I, 137; Ou., *Am.*, I, VII, 42; II, VI, 56; III, VII, 55; *Ars Am.*, I, 663; II, 177; III, 624, 705; *Rem.*, 379, 717; *Trist.*, II, 465; V, I, 17.

Digitized by Google

Alias *blandus* est idem prope ac benignus :

Prop., IV, iv, 25 : blandis Nymphis; — cf. Ou., *Am.*, III, ii, 55; *Rem.*, 11.

Interdum *blandae* dicuntur res, cum aliquem iucundum sensum adferunt :

Prop., IV, v, 19 : blanda lympha; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 136; *Fast.*, I, 157; III, 19.

Bona sunt modo possessiones in quas ius habere amantes uidentur sibi :

Cat., LXXVII, 4 : mi misero eripuisti omnia nostra bona; — cf. Tib., I, vi, 33; Ou., *Am.*, II, v, 32;

modo gaudia amoris :

Cat., VI, 15 : quidquid habes boni malique dic nobis; — cf. Prop., II, xxxiv, 24; III, xxiii, 2;

modo commoda :

Prop., III, xiv, 2 : uirginei tot bona gymnasii; — cf. Prop., III, xiv, 34; Ou., *Rem.*, 672;

saepius naturales dotes ac uirtutes corporis :

Prop., I, ii, 6 : in propriis membra nitere bonis; — cf. Prop., II, iii, 28; Ou., *Ars Am.*, II, 112, 113, 662, 693; III, 79; *Rem.*, 323.

Bonus plerumque idem ualet ac pretiosus. Hoc modo *bonae* dicuntur cum personae :

Ou., *Am.*, II, iv, 46 : haec melior specie corporis; — cf. Ou., *Her.*, XV, 154; *Ars Am.*, II, 700;

tum res :

Prop., II, xviii, 32 : caerula forma bona est? — cf. Ou., *Am.*, III, xi, 42; *Ars Am.*, III, 66, 164, 308, 482, 776.

Bona saepe dicuntur oscula :

Ou., *Am.*, II, v, 51, 53, 55; III, vii, 55.

Illa omnia ad corpus spectant : haec ad animos. *Bonus* est nonnumquam probus, uirtutis fideique studiosus :

Cat., LXXV, 3 : iam nec bene uelle queat tibi, si optuma flas; — cf. Cat. XV, 10; LXI, 19, 179, 225; Tib., II, iv, 45; II, vi, 44; Prop., IV, xi, 48.

Alias, *bonus* est indulgens, facilis [1] :

Prop., II, xxi, 16 : discite desertae non temere esse bonae; — cf. Prop., II, xiii, 15; III, xxiii, 14.

Bonus etiam est prope idem atque amans :

Prop., IV, vii, 13 : nec cuiquam melior sperande puellae; — cf. Ou., *Rem.*, 761.

Bonus dicitur Amor, *bona* Venus :

Cat., LXI, 44; Prop., II, xviii, 22.

1. Cf. Cat., XI, 16 : non bona dicta.

Digitized by Google

Bonus amor est legitimus :
Cat., LXI, 198.

Bona mater ironice dicitur :
Cat., LXXXIX, 1.

Bracchia nominant poetae cum amplexus describunt amantium :
Cat.. LXIV, 332 : leuia substernens robusto bracchia collo; — cf. Ps. Tib., III, VI, 45; Prop., II, XV, 9; II, XVI, 24; Ou., *Am.*, III, VII, 8; *Her.*, V, 48; XV, 167; XVIII, 60, 190.

Bracchiorum pulchritudo laudatur :
Ou., *Her.*, XIX, 140 : candida bracchia; — cf. Ou., *Rem.*, 319;

aut in saltatione docta mobilitas :
Ou., *Am.*, II, IV, 29 : numerosaque bracchia ducit; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 595 ; II, 305; III, 350; *Rem.*, 754.

Bracchia ab irato uiro laesa memorantur :
Prop., II, XV, 20.

Bracchia tendere est supplicis gestus :
Cat., LXVI, 10; Ps. Tib., III, IV, 64; Ou., *Her.*, IV, 154.

Bracchiolum idem ualet ac bracchium :
Cat., LXI, 174 : mitte bracchiolum teres.

Breuis ad staturam pertinet et in deteriorem partem accipitur :
Ou., *Ars Am.*, II, 661 : dic habilem quaecumque breuis; — cf. *Am.*, II, IV, 35, 36; *Ars Am.*, III, 263; *Rem.*, 321.

Cadere dicuntur affectus qui iam non queunt exstare :
Cat., XI, 22 : amorem qui illius culpa cecidit; — cf. Ps., Tib. III, VI, 4; Prop., II, III, 2;

et amantes qui in amore infelices sunt :
Ou., *Am.*, I, IX, 30 : quosque neges umquam posse iacere cadunt.

Recidere est rursus in amorem induci :
Ou., *Rem.*, 611 : reccidit, ut cupidos inter deuenit amantes.

Caecus est qui, luctu aut metu inpeditus, nescit quid sibi sit agendum :
Cat., LXIV, 197 : amenti caeca furore; — cf. Prob., II, XIV, 17.

Caecus amor dicitur cum homini omnem libertatem ac sui conscientiam eripit :
Cat., LXVII, 25 : caeco flagrabat amore; — cf. Ou., *Trist.*, II, 383; *Fast.*, II, 762.

Caecus est quoque qui aliquid non curat, ne uidet quidem :
Prop., II, XXII, 20 : numquam ad formosas, inuide, caecus ero; — cf. Prop., IV, VIII, 47; Ou., *Fast.*, VI, 576.

Digitized by Google

Caecare maritos est deludere :

Prop., IV, v, 13 : posset et intentos astu caecare maritos.

Caelebs dicitur lectus amantis sine amore uiuentis :

Cat., LXVIII, 6; Ou., *Her.*, XIII, 107.

Caeleste dicitur quod in puellis eximia admiratione dignum uidetur :

Prop., II, III, 23 : haec tibi contulerunt caelestia munera diui; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 67, 168, 169.

Calcare dicuntur feminae uiros quos contemnunt :

Prop., II, VIII, 20 : calcet et ossa mea.

Calcare quoque dicuntur amorem qui amare desistunt :

Ou., *Am.*, III, XI, 5 : domitum pedibus calcamus amorem.

Calere aut calescere interdum de rixis amatoriis dicitur :

Tib., I, x, 53 : Veneris tunc bella calent;

sed inprimis de amoris ardore :

Ps. Tib., IV, v, 10 : si modo, cum de me cogitat, ille calet; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 177; *Ars Am.*, I, 520; III, 571.

Nec solum hominem amore *calere* dicunt poetae, sed amorem in homine *calere* :

Ou., *Her.*, XVII, 90 : qui calet in cupido pectore, praestat amor.

Ut ardere, sic *calere* cum ablatiuo casu ponitur :

Ou., *Am.*, III, VI, 83 : aliqua caluisse puella; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 328 (si *uno posse calere uiro* legeris, non *carere*).

Incalescere est amare incipere :

Ou., *Her.*, XVII, 42 : ignibus Actaeis incaluisse negas? — cf. Ou., *Am.*, III, VI, 26; *Trist.*, II, 380; *Fast.*, II, 307.

Recalfacere, *recalescere* non saepe reperiuntur :

Ou., *Ars Am.*, II, 445 : tepidamque recalface mentem; — cf. Ou., *Rem.*, 629.

Calor nihil amplius est quam amor, pariter quoque *calores* :

Prop., III, VIII, 9 : nimium ueri signa caloris; — cf. Prop., I, XII, 17; Ou., *Her.*, XVIII, 173; *Ars Am.*, I, 237.

Callidus est qui dolis utitur ad fidem uiolandam :

Tib., I, VI, 6 : nescio quem tacita callida nocte fouet; — cf. Tib., I, IV, 76;

aut qui acutis artibus utitur ad fauorem amantis sibi conciliandum :

Ou., *Am.*, II, XIX, 10 : quaque capi possem callida norat opem; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 25; *Ars Am.*, II, 262;

aut ad celandum amorem :

Ou., *Ars Am.*, I, 400 : ambiguis callidus abde notas;

Digitized by Google

aut ad cauendam perfidiam :

Ou., *Her.*, XV, 302 : mira calliditate uirum.

Callidus dicitur Amor :

Ou., *Am.*, I, II, 6

Candidus aliquando idem ualet ac pallidus, albus :

Cat., LXXX, 2 : labella hiberna candidiora niue.

Sed, proprio sensu, hoc uerbum colorem iucundum ac nitidum significare solet[1] :

Cat., LXIV, 162 : candida permulcens liquidis uestigia lymphis; — cf. Cat., LXI, 108 ; Ps. Tib., IV, III, 10 ; IV, IV, 6; Prop., II, III, 9; II, IX, 10; II, XVI, 24; II, XXII, 5; III, XVII, 29; IV, IV, 40; Ou., *Am.*, I, V, 10; III, VII, 8; *Her.*, XV, 252; XIX, 140; XX, 217; *Med.*, 52; *Ars Am.*, I, 723, 728; II, 457.

Saepe non ad corporis unam partem refertur hoc uerbum, sed ad ipsam personam :

Cat., XIII, 4 : non sine candida puella; — cf. Cat., XXXV, 8; LXVIII, 70, 134 ; LXXXVI, 1; Ps. Tib., IV, II, 12; Prop., II, XXII, 8; II, XXVI, 16; II, XXVIII, 51; II, XXIX, 30; II, XXXII, 58; IV, VIII, 32; Ou., *Am.*, I, VII, 40; II, IV, 39; II, VII, 5; III, III, 5; III, VII, 23; *Fast.*, III, 493.

Interdum haec uox ad mores transfertur, et probitatem, fidem, significat :

Ps. Tib., IV, IV, 17 : te solum candida secum cogitat; — cf. Ou., *Am.*, II, XVIII, 20; *Pont.*, II, V, 38.

Candidus amor est beneuolus :

Prop., II, III, 24.

Candidus interdum est idem ac laetus :

Cat., VIII, 3 : fulsere quondam tibi candidi soles ; — cf. Prop., II, XV, 1; Ou., *Her.*, XV, 320.

Candor saepe ad corporis colorem pertinet :

Ps. Tib., III, IV, 29 : candor erat qualem praefert Latonia Luna ; — cf. Prop., I, II, 10; I, XX, 45; II, XXV, 41; III, XXIV, 8; Ou., *Am.*, III, III, 5; *Ars Am.*, III, 199, 227;

raro ad mores :

Ou., *Her.*, IV, 31-32 : ille prior, quo me sine crimine gessi, candor.

Canere, cantare est laudibus puellam celebrare :

Tib., II, V, 111 : usque cano Nemesim ; — cf. Ou., *Am.*, II, XVII, 33 :

Solitus huius uerbi sensus reperitur quoque :

Prop., II, XXXIV, 72 : huic Tityrus ipse canat.

Capere est saepe alicuius amorem dolis, artibus, muneribus, labore, studio, sibi conciliare :

Tib., I, IV, 3 : quae tua formosos cepit sollertia? — cf. Tib., I, IX, 11, 19; Ps.

1. Cf. *candentes lacertos* apud Tib., I, VIII, 33.

Digitized by Google

Tib., III, I, 7; Prop., III, xv, 6; Ou., *Am.*, I, VIII, 70; II, XII, 4, 8; II, XIX, 10; *Her.*, II, 74; XII, 92; XVI, 92; XIX, 43, 44, 65, 66; XX, 104, 122, 128, 132; *Ars Am.*, I, 159, 265, 270, 358, 359, 458; II, 12, 145, 346; III, 558, 591, 653.

Sed saepe quoque, etiamsi nulli labores, nullae adhibeantur artes, *capere* est simpliciter amorem inicere :

Tib., I, IV, 13 : hic, quia fortis adest audacia, cepit; — cf. Prop., I, I, 1; II, III, 9; II, XV, 15; II, XXX, 10; III, X, 15; Ou., *Am.*, I, X, 10; II, IV, 13, 23, 30; II, XVII, 16; III, II, 40; III, IV, 28; III, VI, 33; *Her.*, I, 76; IV, 64; IX, 104; XV, 134; XVI, 180; *Ars Am.*, I, 61, 83, 348; III, 133, 518; *Rem.*, 402, 747; *Fast.*, II, 585; III, 10; VI, 119.

Hoc sensu, notandum est *capi* saepe cum ablatiuo casu poni sine praepositione *ab*[1] :

Ou., *Her.*, IV, 64 : capta parente soror; — cf. Ou., *Her.*, V, 126; XVIII, 102; *Rem.*, 554; *Fast.*, I, 416.

Captus aliquando est amore occupatus et obsessus :

Prop., III, XIX, 4 : nescitis captae mentis habere modum; — cf. Ou., *Rem.*, 108. — (cf. *captiua mente* apud Ou., *Am.*, I, II, 30).

Capere est alias decipere, fraudare :

Ps. Tib., III, VI, 45 : nec uos aut capiant pendentia bracchia collo; — cf. Prop., III, XXV, 5; Ou., *Am.*, III, VII, 70; *Her.*, II, 54; *Ars Am.*, I, 382;

aut deprehendere :

Prop., II, XXIII, 10 : captus et inmunda saepe latere casa; — cf. Prop., IV, VIII, 70; Ou., *Ars Am.*, II, 393, 562, 581.

Capillos saepe nominant poetae, qui loquuntur de eorum longitudine :

Tib., I, III, 91; II, V, 121; Ps. Tib., III, II, 11; Ou., *Am.*, III, III, 3;

colore :

Prop., III, XXV, 13; Ou., *Am.*, I, XIV, 1; II, IV, 43;

cultu et ornatu :

Tib., I, VI, 39; I, VIII, 9; Prop., I, II, 1; I, III, 23; II, IV, 5; IV, III, 15; Ou., *Am.*, I, VII, 11;

inornato habitu :

Tib., I, III, 91; Ps. Tib., III, II, 11; IV, II, 9; Prop., I, XV, 11; II, I, 7.

Capilli lacerati in rixis describuntur :

Tib., I, X, 53; Prop., III, VIII, 5; Ou., *Am.*, I, VII, 11, 65.

Captare est capere niti seu amorem :

Ou., *Her.*, XIX, 43 : sit dubium possisne capi, captabere certe; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 28; *Her.*, XVI, 262; XX, 3; *Ars Am.*, I, 351, 403;

seu corporis tactum :

Ou., *Her.*, XX, 200 : captantem tactus reicioque manum; — cf. Ou., *Fast.*, VI, 334.

1. Cf. Prop., II, IX, 24 (isto capta fruare uiro), ubi tamen : *isto uiro fruare* intellegi potest.

Digitized by Google

Carere est absentiam amantis ferre :

Tib., I, II, 64 : nec te posse carere uelim; — cf. Ou., *Her.*, I, 50; VII, 28; *Ars Am.*, II, 249; *Rem.*, 540, 775;

uel eandem absentiam ultro quaerere :

Ou., *Her.*, VII, 48 : si, dum me careas, est tibi uile mori.

Contra *carere* est aegre orbatum esse amante :

Ou., *Her.*, XIII, 108 : dum careo ueris, gaudia falsa iuuant.

Carpere est proprie libare fructum :

Ou., *Rem.*, 103 : Veneris decerpere fructum; — cf. Ou., *Her.*, IV, 27; *Ars Am.*, III, 79, 80.

Reperitur quoque *carpere oscula* :

Prop., I, XX, 27; Ou., *Am.*, II, XI, 45; *Her.*, XI, 117.

Alias *carpere* est furari, eripere :

Prop., II, XXXIV, 74 : agricolae domini carpere delicias; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 661;

alias consumere :

Prop., III, V, 3 : nec tamen inuiso pectus mihi carpitur auro; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 114; III, 680; *Rem.*, 724; *Fast.*, II, 769.

Denique *carpere* est pecunia spoliare :

Prop., II, XVI, 8 : stolidum carpe pecus; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 91; *Ars Am.*, I, 420.

Carus proprio sensu est pretiosus, multa existimatione dignus :

Cat., LXXXII, 2 et 4 : carius oculis; — cf. Cat., LXVIII, 159; CIV, 2; CVII, 3; Tib., I, IV, 53; I, VIII, 31; Ps. Tib., III, I, 25; Prop., I, XVII, 21; Ou., *Am.*, III, IV, 29; *Her.*, VIII, 26.

Saepius tamen *carus* pro amato ponitur :

Cat., LXII, 58 : cara uiro magis; — cf. Cat., LXVI, 32; Tib., I, II, 93; Ps. Tib., III, III, 32; III, IV, 51; III, VI, 12, 50; Prop., I, IV, 22; I, XIX, 18; II, VIII, 1; II, IX, 2; III, IV, 13; III, X, 11; Ou., *Her.*, XIII, 65; *Ars Am.*, III, 742; *Trist.*, III, IV, 53; III, VIII, 10; V, I, 39; *Pont.*, I, VIII, 32; *Fast.*, V, 525.

Carus aliquando substantiue ponitur :

Ps. Tib., III, II, 1 : qui primus caram iuueni carumque puellae eripuit iuuenem.

Cassibus conparantur infidae puellae doli :

Tib., I, VI, 5 : iam mihi tenduntur casses;

auarae puellae insidiae :

Ou., *Ars Am.*, III, 554 : nouus uiso casse resistet amans;

amantis callidi artes :

Ou., *Ars Am.*, II, 2 : decidit in casses praeda petita meos.

Castigatum pectus est pulchrum, tam bene formatum ut ne ullum quidem uitium deprehendi possit :

Ou., *Am.*, I, V, 21.

Digitized by Google

Castra Amoris fingunt poetae, ubi amantes stipendia faciant :

Tib., II, III, 34 : nostra sint tua castra domo; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 32; I, IX, 1, 44; II, IX, 4; *Her.*, VII, 32; *Ars Am.*, II, 236; III, 559.

Castra referuntur ad amatas puellas :

Prop., IV, VIII, 28 : mutato uolui castra mouere toro; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 157.

Castus aliquando uirginitatem significat :

Cat., LVII, 23 : iuueni ardenti castam donare puellam; — cf. Cat., XV, 4; LXII, 46; LXIV, 87; LXV, 20; Prop., II, XXXII, 60; IV, VIII, 13; Ou., *Her.*, II, 116; XIX, 10; *Fast.*, IV, 307, 321, 324; VI, 290.

Castus dicitur quoque qui rebus Veneris abstinet aliquandiu :

Ps. Tib., IV, III, 20 : caste puer, casta retia tange manu.

Castae quoque dicuntur non modo uirgines, sed et uxores quae fidem coniugalem seruant :

Cat., LXVI, 83 : casto colitis quae iura cubili; — cf. Prop., III, XII, 15; Ou., *Am.*, II, II, 14; III, IV, 3, 36, 41; *Her.*, I, 23; V, 133; XIII, 30; XV, 286, 294; *Ars Am.*, I, 623; II, 400; *Trist.*, II, 308; *Fast.*, II, 139, 841; IV, 313; V, 242.

Etiam puellae *castae* uocantur cum amantibus datam fidem retinent :

Tib., I, VI, 67-68 : sit modo casta, doce, quamuis non uitta ligatos inpediat crines; — cf.. Tib., I, III, 83; I, VI, 75; Ps. Tib., III, I, 23; Prop., I, I, 5; I, XI, 29; Ou., *Am.*, I, VIII, 43; *Ars Am.*, I, 100; *Fast.*, IV, 224.

Castae quoque uocantur castarum feminarum domus [1] :

Ps. Tib., III, IV, 60 : nec gaudet casta nupta Neaera domo; — cf. Prop., II, XIX, 3; Ou., *Fast.*, II, 174.

Cum de litteris agitur, *castus* est qui nihil amatorii scribit :

Cat., XVI, 5, 6 : nam castum esse decet pium poetam ipsum, versiculos nihil necesse est; — cf. Ou., *Pont.*, I, I, 8.

In rebus diuinis describendis *casti* dicuntur qui pure sacra faciunt :

Tib., II, I, 13 : casta placent Superis; — cf. Ou., *Her.*, VI, 73; *Fast.*, IV, 412, 726;

casta numina ipsa [2] :

Cat., LXVI, 56; Tib., II, V, 122; Ps. Tib., IV, VI, 14; Prop., II, XXIX, 27; III, XX, 7; Ou., *Am.*, I, VII, 18.

Casus sunt aut peculiariter quae tristia sunt :

Cat., LX, 4 : ut supplicis uocem in nouissimo casu contemptam haberes; — cf. Prop., I, XIII, 1; Ou., *Am.*, I, XII, 1;

aut quae in amore eueniunt :

Tib., I, IX, 82 : notet casus aurea palma meos; — cf. Ou., *Am.*, II, I, 10.

1. Apud Cat., LXIV, 383, *castae domus heroum* sunt nullo scelere contactae.
2. Ps. Tib., III, IV, 23, *castam* uocat Apollinis laurum.

Digitized by Google

Catena modo in deteriorem partem accipitur, et durum amantium seruitium significat :

Tib., II, IV, 3; seruitium sed triste datur, teneorque catenis; — cf. Ou., *Am.*, III, XI, 3;

modo meliorem sensum habet, et exprimit mutui amoris uincula :

Ps. Tib.. IV, V, 15 : ualida teneamur uterque catena; — cf. Prop., II, XV, 25; Ou., *Her.*, IV, 135.

Causa est id quod amorem efficit :

Tib., I, IV, 10 : causam iusti semper amoris habent; — cf. Ou., *Rem.*, 138.

Causae sunt quoque commenticiae rationes ad negandum amorem fictae :

Tib., I, VI, 11 : fingere tunc didicit causas; — cf. Prop., IV, V, 29; Ou., *Am.*, I, VIII, 74;

vel ad uoluptarios tactus quaerendos :

Tib., I, VI, 26 : per causam memini me tetigisse manum;

vel ad munera exposcenda :

Ou., *Am.*, I, VIII, 93 : poscendi munera causae.

Causae sunt quoque eroticorum carminum materiae :

Prop., II, 1, 12 : inuenio causas mille poeta nouas.

Causam agere dicuntur aut in aemulatione riuales :

Ou., *Her.*, XIX, 171 : pro causa pugnat iniqua; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 92; *Ars Am.*, I, 86;

aut in contentionibus amantes :

Ou., *Rem.*, 696 : ut melior causa causa sit illa tua; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 8.

Cauere, cautus esse, dicitur qui curat ne in amorem adducatur :

Tib., I, II, 87-88 : caueto mox tibi; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 84;

aut qui timet ne decipiatur :

Tib., I, IX, 46 : poteram ad laqueos cautior esse tuos; — cf. Tib., I, VI, 17;

uel ne amanti displiceat :

Prop., I, X, 21 : tu caue ne tristi cupias pugnare puellae; — cf. Prop., I, X, 20; Ou., *Ars Am.*, II, 190, 386.

Cedere est a riualibus vinci :

Prop., II, II, 13 : cedite iam, diuae; — cf. Prop., I, XIV, 8; Ou., *Ars Am.*, II, 164; *Rem.*, 454 (forsan addere possimus Ps. Tib., IV, X, 6 : *ne cedam ignoto toro*, ubi tamen sensus ambiguus est).

Cedere est quoque uim ferre amoris :

Prop., I, IX, 31 : illis et silices possunt et cedere quercus; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 9, 10.

At contra *amor* cedere rebus dicitur, cum uincitur :

Ou., *Rem.*, 144.

Digitized by Google

Cedere dicitur quoque de iurgiis inter amantes exortis :

Ou., *Rem.*, 518 : animis cedat ut illa tuis.

Denique *cedere* est quasi *concedere* :

Tib., I, IV, 39-40 : tu, puero quodcumque tuo temptare libebit, cedas; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 197.

Celare est amatorias res clam agere :

Tib., I, II, 34 : celari uult sua furta Venus; — cf. Tib., I, IX, 23; Ou., *Am.*, III, XIV, 41; *Ars Am.*, I, 397; II, 389; 409, 427, 571.

Celare furorem est intra sese cohibere :

Ou., *Her.*, XV, 237 : luctor celare furorem.

Celebrare est multum cum aliquo loqui :

Tib., I, VI, 17 : neu iuuenes celebret multo sermone, caueto;

aut uersibus canere :

Prop., III, II, 15 : meo si qua est celebrata libello; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 59.

Censura est uituperatio infidae puellae obiecta :

Ou., *Am.*, III, XIV, 3 : nec te nostra iubet fleri censura pudicam.

Certamen est de pulchritudine contentio :

Ou., *Her.*, XV, 69, 139.

Turpiorem sensum habent *Veneris certamina* :

Ou., *Am.*, II, X, 29.

Certae dicuntur esse Amoris sagittae :

Prop., I, VII, 15 : te quoque si certo puer hic concusserit arcu; — cf. Prop., II, XXXIV, 60; Ou., *Am.*, II, 23.

Translatiue *certi* dicuntur qui obstinati sunt in amando :

Ou., *Ars Am.*, III, 617 : adsit modo certa uoluntas; — cf. *Am.*, III, VI, 30;

aut contra in amore abnuendo :

Prop., I, XIX, 24 : flectitur adsiduis certa puella minis; — cf. Ou., *Her.*, IV, 152; *Ars Am.*, II, 461.

Ideoque *certus* saepe idem ualet quod constans :

Prop., II, XXXIV, 11 : quid, si non constans illa et tam certa fuisset? — cf. Prop., I, VIII, 45; I, XIII, 6; II, XXIV, 36, 37; II, XXIX, 19; Ou., *Her.*, V, 107; XVI, 191; *Ars Am.*, III, 544.

Certus alias pro uero, solido, fide digno, ponitur :

Prop., III, VIII, 19 : non est certa fides, quam non in iurgia uertas; — cf. Prop., III, VIII, 18; III, XX, 21; Ou., *Med.*, 45; *Ars Am.*, II, 248; III, 575.

Cessare aliquando idem est ac cedere :

Prop., I, VI, 21 : nam tua non aetas umquam cessauit amori;

sed saepius otium significat :

Prop., I, XI, 1 : te mediis cessantem Bais; — cf. Prop., III, XXIII, 15;

Digitized by Google

aut inertiam amore destitutam :
Prop., I, IV, 26 : sibi cum rapto cessat amore deus; — cf. Ou., *Her.*, VI, 17.

Cetera saepe ad significandas res obscenas usurpatur :
Ou., *Am.*, I, V, 25 : cetera quis nescit? — cf. Ou., *Am.*, III, II, 35, 84; *Her.*, XVII, 105; XIX, 61; *Ars Am.*, I, 669.

Cibus est quod amorem auget :
Ou., *Rem.*, 138 : haec sunt iucundi causa cibusque mali.

Cicatrix est uulnus amoris iam sanatum :
Ou., *Rem.*, 623 : uulnus in antiquum rediit male firma cicatrix.

Cinis dicitur amor exstinctus :
Ou., *Rem.*, 244 : dum perdat uires sitque sine igne cinis.

Clam dicitur de furtiuo amore :
Tib., I, IX, 2 : foedera clam uiolanda; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 171.

Clamare est modo puellam salutare :
Prop., II, XIX, 6 : nec tibi clamatae somnus amarus erit;

modo queri, gemere :
Ou., *Her.*, V, 102-103 : ut minor Atrides clamat,... tu quoque clamabis.

Claudere ad ianuas aut domos saepe refertur, seu puellae a uiris custodiuntur :
Tib., I, II, 6; Prop., II, XXIII, 12; Ou., *Am.*, II, XIX, 38; III, IV, 7; *Ars Am.*, II, 635;

seu ipsae aditus amantibus negant :
Tib., II, IV, 22; II, VI, 12; Prop., II, V, 22; Ou., *Am.*, II, I, 17, 20; III, VIII, 7; III, XI, 12; *Ars Am.*, II, 523; *Rem.*, 500.

Claudi quoque dicuntur ipsae puellae, cum priore sensu :
Prop., III, III, 49; III, XIX, 23; Ou., *Ars Am.*, III, 415; *Rem.*, 460;

tum altero :
Prop., III, XIII, 9.

Coire est aliquando conloqui[1] :
Ou., *Her.*, XVI, 181 : etiam sermone coimus;

alias in eundem locum conuenire :
Ou., *Her.*, XVIII, 67 : firmius o cupidi coeamus amantes; — cf. Ou., *Am.*, II, II, 63; *Her.*, XVIII, 167; *Rem.*, 33.

Alias ad amoris gaudia refertur hoc uerbum :
Ou., *Her.*, IV, 129 : priuigno coitura nouerca; — cf., Ou., *Her.*, IV, 133;

et aliquando quidem turpissime accipitur :
Ou., *Ars Am.*, II, 615 : in medio passimque coit pecus.

1. Cf. Prop., III, XV, 8 : uix memini nobis uerba coisse decem.

Digitized by Google

Coeptum est facinus ab amante incohatum :

Ou., *Her.*, XV, 18 : coepto non leue numen adest; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 19.

Cognoscere est amore iungi :

Prop., II, xxix, 33 : sat erit mihi cognitus unus; — cf. Ou., *Her.*, VI, 43, 133; *Fast.*, V, 526.

Cogi dicuntur amantes Amoris imperio :

Prop., II, xxxiii, 42 : est quiddam quod uos quaerere cogat amor; — cf. Ou., *Am.*, III, xi, 50;

raptae raptorum uiolentia :

Prop., I, iii, 30 : neue quis inuitam cogeret esse suam; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 183, 188; *Ars Am.*, I, 677.

uxores maritorum potestate :

Ou., *Am.*, I, iv, 64 : iure coacta dabis;

meretrices lenonum iussis :

Ou., *Am.*, I, x, 24 : quod uos facitis sponte, coacta facit;

puellae amantium insidiis :

Ou., *Her.*, XX, 131 : cogere cur potius quam persuadere uolebas?

Qui ad uenerem corpus remediis incitare solent, *cogi* quoque dicuntur :

Ou., *Ars Am.*, II, 419 : sed dea non patitur sic ad sua gaudia cogi.

Cohibere affectus est reprimere eos.

Prop., II, xxv, 30 : in tacito cohibe gaudia clausa sinu.

Collum saepe nominant nostri poetae, praesertim cum amplexus describunt :

Cat., LXIV, 332; LXVIII, 81; Tib., I, iv, 50; Ps. Tib., III, vi, 45; Prop., I, xiii, 15 : III, xii, 22; III, xv, 10; IV, vii, 18; Ou., *Am.*, I, iv, 6, 35; II, xviii, 9; III, vii, 7; *Her.*, II, 93, 141; III, 131; V, 48; XIII, 106; XV, 167, 222; XVII, 164; XVIII, 103; XIX, 58; *Ars Am.*, II, 457; *Fast.*, II, 760.

Saepe quoque dicuntur morderi aut notari dentibus amantium *colla*[1] :

Tib., I, viii, 38 : Prop., III, viii, 21; IV, iii, 26; IV, v, 39; Ou., *Am.*, I, viii, 98; III, xiv, 34.

Colla comis sparsa quoque haud raro depinguntur :

Prop., II, iii, 13 : nec de more comae per leuia colla fluentes; — cf. Ou., *Am.*, I, v, 10; *Ars Am.*, III, 784 :

Translatiue amantium *colla* premi dicuntur amoris iugo :

Tib., I, ii, 90 : Veneris uinclis subdere colla; — cf. Tib., I, iv, 16; Prop., II, v, 14; II, xxx, 8; Ou., *Her.*, IX, 12; *Rem.*, 90, 530.

1. Cf. Prop., IV, viii, 65 (inponitque notam collo morsuque cruentat), ubi tamen de ira, non de uoluptate, agitur.

Digitized by Google

Colere, cultus, aliquando natiuam uim retinent :

Cat., LXII, 56 : uirgo, dum inculta senescit.

Saepius *cultus* est ornatus, elegantia a puellis aut uiris exquisita :

Tib., I, VIII, 13 : quamuis inculto uenerit ore; — cf. Ps. Tib., IV, II, 1; Prop., I, II, 5, 16, 26; II, XXII, 22; IV, VIII, 73; Ou., *Am.*, I, VIII, 26; II, IV, 32; II, X, 5; III, VI, 55; III, VII, 1; *Her.*, IV, 76; VIII, 95; IX, 128; XV, 191, 195; XVI, 221; *Med.*, 26, 30; *Ars Am.*, I, 511; III, 101, 107, 108, 127, 223, 433, 447, 681; *Rem.*, 343; *Fast.*, IV, 108, 309.

Peculiariter ad capillorum curam haec uerba referuntur :

Tib., I, IV, 4 : non tibi culta coma est; — cf. Tib., I, VI, 39; I, VIII, 9; Ou., *Am.*, II, V, 45; *Her.*, IX, 125;

aut ad apparatum uestium et habitus :

Ou., *Am.*, III, VI, 47 : quamuis erat horrida cultu; — cf. Ou., *Her.*, IX, 69, 102; *Ars Am.*, III, 23.

Interdum *cultus* idem ualet quod elegans, uenustus [1] :

Tib., I, IX, 74 : et senis amplexus culta puella fugit; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 97; II, 175; III, 51.

Denique ad uersuum elegantiam *cultus* pertinet [2] :

Ou., *Am.*, I, XV, 28 : culte Tibulle; — cf. Ou., *Am.*, III, IX, 66; *Ars Am.*, II, 121; III, 341.

Illis cunctis in exemplis, *colere* est ornare. Sed *colere* est quoque fouere, laudibus prosequi :

Tib., II, IV, 52 : illius est nobis lege colendus amor; — cf. Prop., II, XXVI, 26; III, II, 8.

Color dicitur modo de coloris genere quouis :

Prop., II, XXV, 42 : ducit uterque color; — cf. Prop., I, II, 21; Ou., *Am.*, II, IV, 40; III, V, 37; *Ars Am.*, II, 643; *Fast.*, II, 763;

modo de pulchro colore :

Prop., III, XXIV, 7 : color roseo conlatus Eoo; — cf. Prop., I, IV, 13; Ou., *Ars Am.*, II, 504; III, 74.

***Color* abire dicitur cum amantes dolent :**

Prop., IV, III, 28 : e desiderio sit color iste meo; — cf. Prop., I, VI, 6; I, XV, 39; I, XVIII, 17; Ou., *Her.*, III, 141; XI, 27; *Ars Am.*, II, 450; III, 730.

Illa de oris aut corporis *colore*; haec de capillis :

Prop., II, XVIII, 26 : turpis Romano Belgicus ore color; — cf. Ou., *Am.*, I, XIV, 10; II, V, 41.

Comae saepissime nominantur, ubi de earum agitur longitudine et tenuitate :

Tib., II, III, 12 : II, V, 8; Ps. Tib., IV, IV, 2; Ou., *Am.*, I, I, 20;

1. Cf. Ou., *Am.*, III, XV, 15 : culte puer (Amor).
2. Apud Ps. Tib., III, I, 17, *cultum libellum* de libri pulchritudine potius quam de versuum laudibus dici uidetur.

Digitized by Google

aut de colore :

Tib., I, II, 92; I, V, 44 : II, II, 20; Prop., II, XVIII, 18; Ou., *Her.*, V, 122.

aut de modis quibus tinguntur :

Tib., I, VIII, 43; Prop., II, XVIII, 28; Ou., *Am.*, I, XIV, 2;

aut de odoribus quibus unguntur :

Ps. Tib., III, IV, 28; Prop., III, XIV, 28;

ac praecipue de accurato aut neglecto earum ornatu :

Tib., I, III, 31, 66; I, IV, 4; I, VIII, 10; I, IX, 14, 68; I, X, 62; II, V, 66; Ps. Tib., IV, II, 10; Prop., II, I, 8; II, III, 13; III, XIII, 18; III, XVII, 30; IV, VIII, 52; IV, XI, 34; Ou., *Am.*, I, V, 10; I, VII, 12, 68.

De *comis* laceratis ab iratis amantibus quoque loquuntur poetae :

Prop., IV, V, 31; IV, VIII, 61.

Comere est ornare[1] :

Ps. Tib., IV, VI, 3 : tibi se laetissima compsit; — cf. Ou., *Her.*, IV, 75; *Med.*, 24;

ac peculiariter capillos ornare :

Tib., I, VIII, 16 : nec nitidum tarda compserit arte caput; — cf. Ps. Tib., III, II, 11; IV, II, 10; Prop., I, XV, 11; III, VI, 9; Ou., *Am.*, I, I, 20; *Ars Am.*, I, 510.

Comes est qui puellae fideliter adhaeret :

Ou., *Am.*, III, XI, 18 : ipse tuus custos, ipse uir, ipse comes.

Comis dicitur puella quae iucunde amantem accipit :

Ou., *Am.*, II, XIX, 16 : uotis comis et apta meis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 710; II, 177.

Comes quoque dicuntur oculi :

Ou., *Ars Am.*, III, 510 : comibus est oculis adliciendus amor.

Commoda sunt seu ad amorem exercendum opportunae occasiones :

Ou., *Am.*, III, II, 20 : haec commoda circus habet; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 136;

seu amoris gaudia :

Cat., LXI, 61-63 : nil potest sine te Venus commodi capere; — cf. Ou., *Am.*, III, X, 4; *Ars Am.*, I, 131, 132.

Commoditas est indulgentia ac facilitas :

Ou., *Ars Am.*, II, 372 : usa est humani commoditate uiri; — cf. Ou., *Her.*, XV, 312; XVI, 176.

Communes amores sunt mutui :

Cat., LXVIII, 69 : ad quam communes exerceremus amores; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 31.

Communis culpa dicitur cuius uir et femina simul sunt participes :

Ou., *Ars Am.*, I, 395 : tunc neque te prodet communi noxia culpa.

1. Apud Ps. Tib., III, I, 14, *comptum*, *opus* est liber ornatus.

Digitized by Google

Concedere est modo se amari sinere :
Prop., II, xv, 37 : quod mihi si secum tales concedere noctes illa uelit;

modo riuali cedere :
Ou., *Am.*, II, xix, 52 : mihi concessa finis amoris erit; — cf. Ou., *Her.*, IV, 35;

Concessa furta sunt legibus non uetiti amores :
Ou., *Ars Am.*, I, 33.

Conciliare interdum est nuptias parare :
Cat., LXVIII, 130 : ut semel es flauo conciliata uiro; — cf. Ou., *Am.*, I, xiii, 42; *Her.*, XIX, 24.

Sed saepius hoc uerbum dicitur cum de rebus quibus aliquis sibi parare potest amorem :
Ou., *Med.*, 44 : ingenio facies conciliante placet; — cf. *Her.*, VI, 94; *Ars Am.*, II, 278;

tum de uiris qui aliis amorem adquirere student :
Ou., *Ars Am.*, II, 554 : quo ueniunt alii conciliante uiro; — cf. Ou., *Rem.*, 524.

Concipere est sentire incipere :
Cat., LXIV, 92 : cuncto concepit corpore flammam; — cf. Cat., LXVIII, 139.

Concordia est amantium unanimitas :
Cat., LXVI, 87-88 : semper concordia uestras sedes incolat; — cf. Cat., LXIV, 336;

aut reconciliatio, in gratiam reditus :
Prop., III, vi, 41-42 : quod mihi si e tanto felix concordia bello exstiterit; — cf. (mythologice) Ou., *Ars Am.*, II, 463.

Per hypallagen dicitur *concors torus* :
Prop., IV, v, 6.

Concurrere de amatorio inter uiros feminasque bello dicitur :
Ou., *Ars Am.*, III, 5 : non erat armatis aequum concurrere nudas.

Concutere est sagittis amatoriis ferire :
Prop., I, vii, 15 : si certo puer hic te concusserit arcu.

Condicio est ratio amoris adquirendi :
Prop., II, xiv, 15-16 : utinam non tam sero mihi nota fuisset condicio.

Conducere est muneribus puellae amorem emere :
Ou., *Am.*, I, x, 44 : pro male conducto toro.

Conferre est pulchritudinis aliarumue uirtutum inter plures iudicium facere[1] :
Prop., II, xxviii, 9 : num sibi conlatam doluit Venus? — cf. Prop., I, iv, 9; I, v, 7; Ou., *Her.*, XV, 205; *Rem.*, 709, 712, 713.

1. Longe alius sensus est eiusdem uerbi apud Tib., I, ii, 21 : nutus conferre loquaces.

Digitized by Google

Confidere est se amari credere :

Tib., I, IX, 45 : stulte confisus amari; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 143;

aut alienae fidei credere :

Ou., *Her.*, XVI, 173 : uitae confidit.

Confundi est turbari, interdum maerore ac luctu :

Ou., *Her.*, XVII, 129 : cur ego confundor, quotiens confunditur aequor?

aut pauore :

Ou., *Her.*, XVIII, 193 : hesternae confundor imagine noctis;

aut pudore :

Ou., *Her.*, XX, 111-112 : confusa pudore sensi me totis erubuisse genis; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 147.

Coniugator est qui coniungit :

Cat., LXI, 45 : boni coniugator Amoris.

Coniungere est modo inter se aliquid commune facere per amorem :

Cat., LXIV, 331 : tecum coniungere somnos; — cf. Cat., LXIV, 372; Ou., *Her.*, XX, 247;

modo amantem cum amante conciliare :

Cat., LXIV, 335 : nullus amor tali coniunxit foedere amantes; — cf. Prop., I, x, 15.

Coniugium est modo legitimum conubium[1] :

Cat., LXVI, 28; Tib., II, II, 18; Prop., III, XIII, 20; IV, XI, 11, 87;

modo incestus amor :

Cat., XC, 2;

aut animalium mutorum copulatio :

Prop., II, XV, 28.

Cum de fabulosis heroinis agitur, usurpatur *coniugium* de iustis nuptiis[2] :

Cat., LXVIII, 84, 107 : Prop., II, IX, 5; Ou., *Her.*, II, 34; VI, 163; VII, 178; IX, 150; XIII, 160; XIX, 7; XX, 45, 111, 139.

Coniunx, masculino genere, est fere semper legitimus maritus :

Cat., LXI, 32, 226; LXII, 59; LXIV, 373; LXVI, 33, 80; LXVIII, 73, 81; Tib., I, II, 41; I, VI, 15; Prop., I, XV, 15, 21; II, XXVIII, 48; III, XI, 31; IV, III, 49; Ou., *Am.*, I, X, 2; *Her.*, V, 75; VI, 100; VII, 113; VIII, 2, 81; IX, 30, 147; XII, 162; XIII, 157; XV, 201; XVI, 118; XIX, 8, 194; *Ars Am.*, I, 302; II, 381; III, 699; *Rem.*, 274.

Notandum est tamen *coniugem* dici Theseum Ariadnae :

Cat., LXIV, 123, 182;

1. Forsan de uero iustoque coniugio loquatur Ps. Tib., III, IV, 74, 79.

2. Atque Helenae quidem et Paridis amor hoc nomine uocatur : Ou., *Her.*, XV, 100, 106, 173. Sed non mirum, cum ueteres poetae Paridem quasi legitimum Helenae maritum fuisse tradant.

Digitized by Google

Herculem Omphalae :
Ou., *Her.*, IX, 18;

ita ut non modo iustae legitimaeque nuptiae, sed etiam amores interdum hoc modo significari uideantur.

Eadem fere fiunt in femineo genere. *Coniunx* est legitima uxor :
Cat., LXIV, 208, 320; LXXVIII, 1; Tib., I, IV, 74; I, VI, 33; Ps. Tib., III, I, 26, 27; III, II, 4, 30; III, III, 32; Prop., I, XIX, 7; II, VI, 23; II, XXVIII, 33; III, XXII, 42; Ou., *Am.*, III, IV, 37; III, XIII, 1; *Her.*, I, 30, 77, 84; III, 37, 72, 92, 97, 99; VI, 112, 115, 155; VII, 103; VIII, 18, 86; XIV, 28; XV, 81, 374; XVI, 109, 118, 179; XVII, 111; *Ars Am.*, I, 334; II, 6, 574; III, 19, 303, 391; *Rem.*, 275, 454, 459, 565, 773.

Hic quoque adnotandum est latiore sensu dici coniugem Achillis Briseidem :
Prop., II, VIII, 29;

Aiacis Tecmessam :
Ou., *Ars Am.*, III, 111;

Aeneae Didonem :
Ou., *Her.* VII, 69.

Ad animalia refertur hoc uerbum :
Ou., *Am.*, II, XII, 25; III, V, 16.

Conlecta dicitur flamma, quasi concepta :
Ou., *Am.*, III, VI, 41.

Conloquium de uerbis amatoriis dicitur :
Ou., *Ars Am.*, I, 607 : conloquii iam tempus adest; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 262.

Commendare est pretium pulchritudinis augere :
Ou., *Med.*, 1 : quae faciem commendet cura.

Conminuere est duritiam amatae personae flectere :
Ou., *Her.*, III, 134 : lacrimis conminuere meis.

Conmittere est coniungere, seu de corpore agitur :
Prop., IV, VII, 19 : saepe uenus triuio conmissa est; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 43;

seu de animi affectibus :
Ou., *Her.*, XI, 21 : quae nos conmisit in unum hora.

Alias *se conmittere* est se dedere, se tradere :
Ou., *Ars Am.*, I, 769 : quae se timuit conmittere honesto.

Denique *conmittere* est culpam facere :
Ps. Tib., IV, XII, 3 : si quicquam tota conmisi stulta iuuenta; — Ou., *Am.*, II, II, 27; III, XIV, 12; *Ars Am.*, II, 303; *Fast.*, IV, 590.

Conpescere est reprimere affectus animi :
Tib., I, II, 1 : uinoque nouos conpesce dolores; — cf. Prop., I, XIII, 11; III, XVII, 3; Ou., *Rem.*, 69.

Digitized by Google

Conpescere ocellos est lacrimas retinere :
Prop., I, xvi, 31.

Conponere saepe de comis et ornatu dicitur :
Prop., I, xv, 5 : hesternos manibus conponere crines; — cf. Ou., *Am.*, I, vii, 68; II, xvii, 10.

Conpositae notae sunt pactae :
Tib., I, ii, 22.

Conpositi amores sunt firmi, bene iuncti :
Ou., *Ars Am.*, II, 385.

Conposita pax est ficta, falsa :
Prop., II, ii, 2.

Conposita mens est quieta, placida :
Ou., *Ars Am.*, III, 572.

Conponere saepe ad corporis tactus refertur :
Tib., I, v, 8 : per uenerem quaeso conpositumque caput; — cf. Prop., II, ii, 12; II, xxvi, 33; Ou., *Her.*, XVIII, 138.

In litore conposita est posita, iacens :
Prop., I, xi, 14.

Conscius est plerumque qui alieno amori testis et adiutor adest :
Prop., I, x, 2 : adfueram uestris conscius in lacrimis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 354; III, 621, 625, 649; *Rem.*, 637.

Quo sensu non modo personae, sed res etiam dicuntur *consciae* :
Ou., *Her.* XVI, 205 : furtiuae conscia mentis littera; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 105 (turris); *Ars Am.*, II, 703 (lectus); *Rem.*, 725 (loca).

Alias *conscius* est qui meminit :
Prop., I, xv, 14 : longae conscia laetitiae;

aut quem culpae paenitet :
Prop., I, xv, 38 : admissae conscia nequitiae; — cf. Ou., *Am.*, II, v, 34.

Conserere idem ualet ac conponere et ad tactus corporis pertinet :
Tib., I, viii, 26 : femori conseruisse femur; — cf. Tib., I, viii, 36; Ou., *Her.*, II, 58.

Consilium est ratio excogitata ad gaudium percipiendum;
Ou., *Am.*, I, iv, 54 : consilium nobis resque locusque dabunt.

Consilia sunt secreta, arcana :
Ou., *Ars Am.*, I, 353 : proxima consiliis dominae sit.

Nullo uiuere consilio est efferri amore inpotenti :
Prop., I, i, 6.

Digitized by Google

Conspicere est cum admiratione intueri, praesertim in uoce *conspicienda* :

Tib., II, III, 52 : incedat donis conspicienda meis; — cf. Ps. Tib., IV, VI, 4; Ou., *Am.*, I, XIV, 56; II, IV, 42; *Ars Am.*, III, 308, 780; *Rem.*, 680; *Fast.*, II, 310.

Constans est modo aduersus amorem firmus :

Cat.. XCI, 3 : quod te cognossem bene constantemue putarem; — cf. Prop., I, I, 3; Ou., *Rem.*, 718;

modo in amore stabilis ac fidus :

Prop., II, XXVI, 27 : multum in amore fides, multum constantia prodest; — cf. Prop., II, XXXIV, 11; Ou., *Her.*, XV, 163; XVI, 109.

Constringere est ratum facere foedus amantium :

Prop., III, XX, 17 : haec Amor ipse suo constringit pignera signo.

Consumere est amori inpendere :

Prop., I, III, 37 : ubi longa meae consumpsti tempora noctis? — cf. Ou., *Am.*, II, X, 27.

Contagium est facilitas communicandi amoris :

Ou., *Rem.*, 613 : facito contagia uites.

Contemnere est amantem parui facere, repudiare amorem :

Prop., I, V, 13 : mea contemptus quotiens ad limina curres; — cf. Prop., I, X, 25; I. XIII, 9; I, XIX, 21; II, XIV, 19; II, XXV, 19; Ou., *Am.*, II, XVII, 13; *Her.*, III, 81; XV, 281; *Rem.*, 517.

Contendere amori est resistere :

Prop., I, XIV, 7.

Contenti dicuntur arcus Amoris :

Ou., *Rem.*, 435.

Contentus est qui nihil praeter amantem quaerit :

Cat., CXI, 1 : uiro contentam uiuere solo; — cf. Cat., LXVIII, 135; Prop., II, XXX, 23; IV, XI, 91; Ou., *Her.*, V, 9; *Ars Am.*, II, 399.

Contingere est donari, permitti :

Ou., *Her.*, XVII, 171 : exigue misero contingis amanti; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 150.

Turpiorem sensum haec uox habet :

Ou., *Am.*, III, VII, 43.

Continuare est plura deinceps Veneris gaudia capere :

Ou., *Am.*, III, VII, 24.

Contrarius est maleuolus, amanti repugnans :

Prop., I, V, 9 : quod si forte tuis non est contraria uotis...

Contundere est rebellantes amare cogere :

Ps. Tib., III, VI, 13-14 : ille ferocem contudit; — cf. Prop., I, I, 10.

Digitized by Google

Conualescere dicitur amor ubi fit fortior :
Ou., *Rem.*, 92 : cum mala per longas conualuere moras.

Conubium modo significat iustas nuptias :
Cat., LXII, 27, 57; LXIV, 141, 158; Ou., *Her.*, II, 81; VI, 41; XI, 99;

modo furtiuum amorem :
Ou., *Am.*, II, VII, 21 : ueneris famulae conubia.

Conuellere sagittas Amoris est contra eum reluctari :
Ou., *Her.*, XV, 41.

Conuellere pectus est concutere, mouere :
Ou., *Her.*, XVI, 111.

Conuenire dicuntur omnes res quarum alteram altera decet :
Ou., *Ars Am.*, I, 79 : et fora conueniunt amori; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 765; II, 617; III, 328; *Rem.*, 656;

peculiariter *conuenire* dicitur uestis cum corpore :
Ou., *Ars Am.*, I, 314; III, 188, 273;

aut animus cum forma :
Ou., *Her.*, XV, 12.

Cum bene femina uirque iunguntur, hoc uerbum quoque usurpatur :
Prop., III, XXV, 8 : tu bene conueniens non sinis ire iugum; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 36; *Rem.*, 312, 471.

Alias *conuenire* est cum amante conuersari :
Ou., *Ars Am.*, II, 394 : non uno est omnis conuenienda loco; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 586.

Conuertere est amantem uel fidum facere eum qui non erat :
Prop., I, I, 21 : dominae mentem conuertite nostrae; — cf. Prop., I, XV, 23.

Conuicia sunt amantium contemptorum criminationes :
Prop., I, VI, 15; III, VIII, 11; Ou., *Rem.*, 507.

Conuiuia (**conuiuae**) saepe nominantur :
Prop., II, XVI, 3; II, XXX, 13; II, XXXIV, 57; III, XXV, 1; Ou., *Am.*, III, I, 17; III, IV, 47; III, XI, 23.

Copia est facultas cum amante conuersandi aut frequens :
Prop., II, XX, 24 : nonnumquam lecti copia facta tui; — cf. Prop., III, VIII, 39;

aut nimia :
Prop. II, XXXIII, 44 : eleuat adsiduos copia longa uiros; — cf. Ou., *Rem.*, 541.

Est etiam *copia* abundantia puellarum inter quas facienda sit electio :
Ou., *Ars Am.*, I, 98 : copia iudicium saepe morata meum est.

Digitized by Google

Coqui est amore iraque consumi :

Cat., LXXXIII, 6; uritur et coquitur.

Cor plerumque est animus :

Cat., LX, 5 : nimis fero corde; — cf. Cat., LXV, 54, 94, 99, 124; Ps. Tib., III, II, 6; III, VI, 16; Ou., *Am.*, II, IX, 2; *Her.*, IV, 156; V, 68; VI, 70; XI, 26; XIV, 17; XVIII, 150; — cf. *cordi esse*, Cat., LXIV, 158; LXXXI, 5; Ou., *Med.* 32.

Nonnumquam simul partem corporis atque animum significat hoc uerbum :

Tib., I, I, 64 : neque in tenero stat tibi corde silex; — cf. Prop., II, XII, 6; Ou., *Am.*, I, II, 7; *Ars Am.*, III, 722.

Cor est quoque est intelligendi ac sapiendi facultas :

Ou., *Her.*, XVI, 102 : nec tibi plus cordis, sed magis oris adest; — cf. Ou., *Rem.*, 806.

Coronae quibus amantes aut sua capita aut dominarum fores solent ornare saepe memorantur. Eundem sensum habet *corolla* :

Prop. I, XVI, 7; II, XXXIV, 59.

Corpus saepe proprio solitoque sensu accipitur :

Cat., LXIV, 15 : nudato corpore Nymphas; — cf. Tib., I, IX, 73; Prop., II, XXIX, 37; III, XIV, 3; Ou., *Her.*, III, 141; VII, 134; X, 135; XIII, 32, 58, 80; XVIII, 150; XIX, 3; *Ars Am.*, I, 728; II, 118, 653; III, 73, 107, 202, 269, 743, 808; *Rem.*, 417, 429.

Alias *corpus* pro persona ponitur :

Cat., LXVI, 32 : non longe a caro corpore abesse uolunt; — cf. Prop., II, XXVI, 57; Ou., *Am.*, III, IV, 30, 34; *Her.*, XI, 60; *Ars Am.*, II, 633, 624;

Saepius hoc uocabulum ad pulchritudinem refertur :

Ou., *Am.*, I, VII, 26 : dignus corpore cultus; — cf. Ou., *Am.*, III, II, 42; *Her.*, XVI, 123; XX, 30; *Ars Am.*, I, 252.

Aliquando singulae uirtutes corporis laudantur :

color :

Ps. Tib., III, IV, 30, 36; Ou., *Am.*, III, II, 42;

statura :

Prop., II, II, 6;

sed potius *corpus* totum animi dotibus opponitur :

Ou., *Am.*, I, X, 13 : animum cum corpore amaui; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 5, 7; III, XI, 38; *Her.*, VII, 5; XVIII, 7; *Ars Am.*, I, 384; II, 112, 144; *Rem.*, 229, 232.

Corpus quoque nominatur in describendis amoris gaudiis, seu agitur de turpioribus rebus [1] :

Cat., LXVI, 80 : corpora coniugibus tradite; — cf. Cat., LXIII, 17; CX, 8; Tib., I, VIII, 25; I, IX, 66; Ou., *Am.*, I, V, 24; I, X, 22; II, VIII, 5; II, X, 24, 28; III,

1. Notandum est apud Cat., LXIV, 92 : cuncto concepit corpore flammam.

Digitized by Google

VII, 28; III, XIV, 9; *Her.*, V, 144; VIII, 113; IX, 134; XVI, 253; XIX, 146; *Ars Am.*, III, 771; *Rem.*, 401, 414, 800;

seu de blanditiis :

Ou., *Her.*, XIII, 148 : excipietque suo corpora lassa sinu ; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 199.

Per *corpus* amantis aliquotiens iuratur :

Ou., *Her.*, XII, 150.

Correptus est acri atque uehementi amore, sicut flamma, captus :

Prop., I, III, 13 : duplici correptum ardore; cf. Prop., III, XXIV, 13; Ou., *Fast.*, III, 681 ; VI, 373.

Corrumpere est minorem facere seu uenustatem corporis :

Prop., II, XXXIII, 33 : uino corrumpitur aetas; — cf. Ou., *Am.*, III, VI, 57; *Ars Am.*, I, 129;

seu uoluptatem uenerem :

Prop,, II, XV, 71 : in caeco uenerem corrumpere motu ;

seu animi laetitiam :

Ou., *Am.*, II, XIX, 50 : corrumpit uitio gaudia nostra suo.

Saepius uero *corrumpere* est propter amorem ab officio, innocentia, fide auertere [1] :

Tib., I, IX, 53 : qui puerum donis corrumpere es ausus; — cf. Prop., I, VIII, 21; II, VI, 20; II, XIX, 3, 9; II, XXXII, 33, 38; II, XXXIV, 69; IV, III, 60; Ou., *Am.*, III, VIII, 30; *Ars Am.*, I, 714; *Trist.*, II, 301, *Fast.*, II, 763;

aut simpliciter in amorem inducere :

Ou., *Am.*, II, IV, 35 : corrumpor utraque; — cf. Ou., *Her.*, IV, 163.

Corruere Venus dicitur in eum qui uehementi amore captus est :

Cat., LXVIII, 52.

Credere, credulus, plerumque de iis dicuntur qui simulato amori dolosisque uerbis nimiam adhibuerunt fidem [2] :

Cat., LXIV, 143 : nulla uiro iuranti femina credat; — cf. Tib., I, VI, 7; I, IX, 38; Prop., I, XV, 34, 42; II, XXI, 6; II, XXV, 22; Ou., *Am.*, III, XIV, 30; *Her.*, II, 49 sqq.; II, 63; V, 106; XII, 120; XV, 310; XVI, 39, 172; *Ars Am.*, III, 457 673; *Rem.*, 686.

Eodem sensu dicitur *credi*, *se credere*, quasi se conmittere :

Tib., I, IV, 9 : o fuge te tenerae puerorum credere turbae; — cf. Ou., *Her.*, X, 2; *Rem.*, 451.

Alias *credere* est suspicari, anxium esse, indicia libentius excipere :

Tib., I, II, 53 : ille nihil poterit de nobis credere cuiquam; — cf. Tib., I, II, 41; Ou., *Her.*, VI, 21; *Ars Am.*, III, 661, 683, 719.

1. *Corruptas* dicit Baias quasi corruptrices Prop., I, XI, 27.
2. De uero errore agitur apud Ou., *Her.*, XVI, 56 : quae falsam gremio credulà, fouit auem.

Digitized by Google

Crescere dicitur amor cum fit ualidior :

Prop., III, xxi, 3 : crescit enim adsidue spectando cura puellae; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 16; *Ars Am.*, II, 559.

Crimen dicitur quodcumque uituperari potest :

Prop., III, xxiii, 14 : non bona de nobis crimina ficta iacis? — cf. Ou., *Am.*, II, xiv, 7; II, xvii, 25; *Her.*, V, 6; VII, 104; XII, 177; *Med.*, 28; *Rem.*, 324, 328, 428.

Sed plerumque *crimina* sunt aut eae culpae aut earum culparum suspiciones, indicia, obiurgationes, quae ex amore oriuntur, seu contra leges admittuntur, seu contra officium, pudorem, promissam fidem. Sic *crimina* referuntur ad adulteria :

Ou., *Her.*, XVI, 17 : sine crimine lusi ; — cf. Ou., *Am.*, II, ii, 38, 51; II, viii, 37; *Her.*, I, 79; IV, 18, 23, 31; VI, 22; IX, 51, 53, 137; XV, 206; XVI, 4, 8, 95, 218; XIX, 7; *Ars Am.*, II, 23, 371; III, 12; *Fast.*, IV, 9;

ad raptus :

Ou., *Ars Am.*, II, 110 : Naiadumque tener crimine raptus Hylas; — cf. Ou., *Her.*, XV, 326; XIX, 38, 68;

ad sacrilegia :

Ou., *Fast.*, IV, 308 : falsi criminis acta rea est; — cf. *Fast.*, IV, 323.

Saepe quoque *crimina* sunt perfidiae amantium :

Tib., IV, xiv, 3 : crimina non haec sunt nostro sine facta dolore; — cf. Ps. Tib., III, iv, 84; Prop., IV, vii, 70; Ou., *Am.*, II, iv, 4; II, v, 6, 14; II, vii, 1, 8, 17, 28; III, xi, 37; III, xiv, 20, 27, 35; *Her.*, XVIII, 105, 112; *Ars Am.*, I, 390; II, 386, 427, 446, 449; III, 32, 454, 459; *Fast.*, III, 400, 474.

Crimen quoque obicitur riualibus qui firmum amorem soluere student :

Prop., II, xxxiv, 21 : una tamen causa est cur crimina tanta remitto; — cf. Prop., I, iv, 20; III, xv, 11.

Atque in summa *crimen* dicuntur admittere quicumque nimium libere amori uoluptatique indulgent :

Prop., II, vi, 34 : tum paries nullo crimine pictus erat; — cf. Prop., I, xi, 30; II, xxx, 24; II, xxxii, 2, 30; III, xi, 3; III, xix, 15; IV, iv, 43; IV, xi, 45; Ou., *Am.*, I, viii, 46; III, iv, 39; III, x, 24; *Her.*, II, 28; XI, 49, 56, 66; XV, 206; XVI, 23; XVIII, 132; *Ars Am.*, II, 634; III, 632; *Fast.*, II, 162.

Ad hunc sensum referri possunt loca quibus *crimina* uocantur liberi furto concepti :

Ou., *Her.*, IV, 58; XI, 64.

Turpiter *crimen* dicitur corporis ad rem ueneream exercendam infirmitas :

Ou., *Am.*, III, vii, 4.

Crines saepe dicunt poetae longos esse et intonsos :

Tib., I, iv, 38; Ps. Tib., III, iv, 27; Ou., *Am.*, I, i, 11;

Digitized by Google

aut ornatos et comptos :
Tib., I, IX, 67; Prop., I, XV, 5; II, V, 23;

aut contra neglectos[1] :
Tib., I, I, 68; II, III, 25; Ps. Tib., IV, II, 9; Prop., II, XXII, 9.

Cruciatus sunt acerbi et ex amore nati dolores :
Cat., LXXVI, 10 : cur te iam amplius excrucies? — cf. Cat., LXXXV, 2; XCIX, 4, 12; Prop., II, XXX, 40.

Crudelis non semper proprie amatorium sensum habet :
Cat., LXII, 20; LXIV, 136, 175; LXXVII, 5; Ou., *Her.*, X, 29, 111, 113, 115; *Ars Am.*, I, 531.

In amatorio sermone *crudelis* dicitur aut Amor qui homines excruciat :
Tib., I, VIII, 7 : deus crudelius urit; — cf. Ps. Tib., III, IV, 95;

aut amans quem amantis non miseret :
Ps. Tib., III, IV, 61 : crudele genus nec fidum femina nomen; — cf. Prop., I, VIII, 16; Ou., *Her.*, VII, 182.

Aliquotiens per hypallagen *crudelis* dicitur ianua :
Prop., I, XVI, 17; Ou., *Am.*, I, VI, 73; *Ars Am.*, III, 581.

Crura bona aut uidenda laudantur :
Ou., *Am.*, III, II, 27, 29, 31; *Ars Am.*, I, 156; III, 775;

ridentur autem *crura* mala aut arida :
Ou., *Ars Am.*, III, 272; *Rem.*, 317.

Cubile est saepe maritalis legitimusque torus :
Cat., LXVI, 83 : casto colitis quae iura cubili; — cf. Cat., LXI, 107, 170; LXVI, 21; LXVII, 23; Prop., IV, IV, 90; IV, XI, 35;

saepe quoque amantium lectus :
Cat., LXVIII, 29 : deserto cubili; — cf. Cat., VI, 7; Prop., I, XIV, 21; II, III, 31; Ou., *Am.*, II, X, 17; *Her.*, III, 109; XV, 317.

Cubare fere semper ad res uenereas spectat[2] :
Tib., I, VI, 11 : fingere tunc didicit causas ut sola cubaret; — cf. Tib., I, I, 45; Prop., II, XV, 17; II, XVI, 23; Ou., *Ars Am.*, II, 370; III, 205; *Rem.*, 727;

praecipue uox *cubare cum* :
Cat., LXXVIII, 4 : cum puero ut bello bella puella cubet; — cf. Cat., LXIX, 8; Tib., I, IX, 50.

Adcumbere, *adcubare*, modo ad uoluptatem amatoriam spectant :
Tib., I, IX, 75 : huic tamen adcubuit noster puer; — cf. Prop., II, III, 30; II, XXX, 36; II, XXXII, 36; III, XV, 12;

1. Apud Prop., I, II, 3; I, XVII, 21; III, XIV, 15, *crines* quoque nominantur.
2. Attamen apud Tib., I, VI, 18 (neue cubet laxo pectus aperta sinu), *cubare* ad mensam, non ad lectum refertur.

Digitized by Google

modo ad statum corporis solum pertinent :

Cat., LXI, 164 : intus adcubans uir tuus; — cf. Prop., I, III, 3; Ou., *Am.*, I, IV, 16.

At contra *concumbere*, *concubitus* semper ad uoluptatem Veneris referuntur[1] :

Tib., II, V, 53 : concubitusque tuos furtim; — cf. Tib., I, VIII, 35[2]; Ps. Tib., IV, III, 16; Prop., II, XV, 16; Ou., *Am.*, II, VIII, 6, 22; II, XVII, 18; *Her.*, VII, 92; XV, 204; *Ars Am.*, I, 377; II, 307, 414, 462, 571, 632, 683; III, 322, 766; *Rem.*, 390, 726; *Trist.*, II, 418; *Fast.*, IV, 32, 172; V, 86; VI, 127, 574.

Procumbere plerumque nihil uoluptarii habet :

Tib., I, IX, 30 : ad teneros procubuisse pedes; — cf. Ou., *Am.*, I, VII, 61; *Her.*, VIII, 108.

Turpis significatio eiusdem uerbi aliquando reperitur :

Ou., *Am.*, III, VII, 76.

Recubare est quasi cubare :

Tib., I, II, 75.

Secubare est seorsum cubare :

Cat., LXIV, 378-379 : discordis puellae secubitu; — cf. Cat., LXI, 101; Ou., *Am.*, II, XIX, 42.

Peculiariter religiosam castitatem significat hoc uerbum :

Tib., I, III, 26 : puro secubuisse toro; — cf. Ou., *Am.*, III, IX, 34; III, X, 2, 16, 43; *Fast.*, II, 328.

Culpa est saepe infidum facinus :

Cat., LXVIII, 139 : coniugis in culpa; — cf. Cat., XI, 22; LXXV, 1; Prop., IV, VIII, 73; Ou., *Am.*, I, VIII, 80; II, II, 55; II, VIII, 26; II, XIX, 13; III XIV, 6, 43; *Her.*, IV, 138, 145, 151; XV, 288; XVI, 50, 68, 146, 183; XVIII, 106; *Ars Am.*, I, 305; II, 389, 582; *Fast.*, III, 492.

Alias *culpa* est nimia erga amorem procliuitas et indulgentia :

Prop., II, XXX, 32 : communis culpae cur reus unus agor? — cf. Prop., I, V, 25; IV, IV, 70; Ou., *Her.*, V, 131; VII, 86, 105, 191; *Rem.*, 240, 730.

Culpa quoque dicitur quodcumque amantem offendere potest :

Prop., II, XIV, 31 : si forte aliqua nobis mutabere culpa; — cf. Prop., I, XI, 20; Ou., *Her.*, III, 41; *Ars Am.*, II, 174.

Ad ianuam transfertur *culpa* :

Cat., LXVII, 10, 14.

Culpa Cydippae est nolle promissum seruare :

Ou., *Her.*, XIX, 187, 200.

Culpa est quoque eniti ad alienos amores rapiendos :

Cat., XV, 15; XCI, 10.

1. Excepto tamen hoc uersu Prop., IV, VIII, 36 (quaeris concubitus : inter utramque fui), ubi de mensa agitur.
2. Si cum Hillero, optimos codices secuto, *concumbere* legendum est.

Digitized by Google

Culpare aliquem est eum iudicare parum probum :

Prop., II, I, 49 : solet illa leues culpare puellas;

aut parum pulchrum :

Ou., *Her.*, XIII, 45 : Taenariae faciem culpasse maritae; — cf. Ou., *Am.*, II, VII, 8; *Her.*, XX, 30;

aut parum ingeniosum :

Ou., *Am.*, III, IV, 21, 22 : est etiam quae me uatem et mea carmina culpet.

Cumulare se est abunde amore frui :

Ou., *Rem.*, 541 : dum bene te cumules et copia tollat amorem.

Cupere est aliquando optare aliquid facere quod ad amorem pertineat :

Cat., LXIV, 145 : dum aliquid cupiens animus praegestit apisci; — cf. Prop., I, XIII, 17; II, XV, 41; Ou., *Am.*, II, IV, 22; II, XV, 11; *Her.*, XV, 133; XVI, 128; XX, 247; *Ars Am.*, I, 711.

Saepius *cupere* est amare uehementer :

Cat., LXI, 197 : quod cupis cupis; — cf. Cat., XV, 3; Tib., I, VIII, 40; Ps. Tib., III, VI, 60; Prop., II, XXXII, 2; Ou., *Am.*, I, VIII, 32; II, IV, 5; II, XIX, 31; III, IV, 25; *Her.*, XV, 93; *Ars Am.*, I, 63, 717; *Fast.*, I, 417; III, 21.

Cupere absolute ponitur quasi cupidine occupari :

Ou., *Ars Am.*, I, 276 : tectius illa cupit; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 610; *Fast.*, II, 766.

Ad res turpiores hoc uerbum refertur :

Ou., *Am.*, III, VII, 5 : nec potui cupiens, pariter cupiente puella.

Cupido (deus) et *cupido* (animi affectus) quomodo distinguendi sint iam monstrauimus.

Cum animi affectum hoc uerbum significat, modo masculino genere est :

Ou., *Fast.*, VI, 575;

modo femineo [1] :

Ou., *Ars Am.*, III, 397.

Cupidus dicitur qui in amore inpatiens est nouaeque rei auidus :

Cat., LXI, 32 : dominam coniugis cupidam noui; — cf. Tib., I, VIII, 74;

Est quoque *cupidus* qui corporis amatoriis uoluptatibus pleno animo frui uult aut fruitur :

Cat., LXIV, 147 : simul ac cupidae mentis satiata libido est; — cf. Cat., LXIV, 374; Ps. Tib., IV, III, 18; Prop., I, XX, 11; Ou., *Am.*, II, V, 26; II, VI, 50; III, VII, 9; *Her.*, XVIII, 67; *Ars Am.*, III, 88; *Fast.*, IV, 153;

aut qui uehementer et feruide amat :

Cat., LXX, 3 : mulier cupido quod dicit amanti; — cf. Tib., I, IV, 24; I, VIII, 56;

1. De genere nihil statui potest apud Ou., *Fast.*, VI, 119 : uisaeque cupidine captus.

Digitized by Google

I, IX, 58; II, V, 54; Ps. Tib., III, IV, 52; IV, VI, 11; Prop., I, II, 17; I, XIX, 9; II, XXXIII, 3; Ou., *Her.*, III, 26; VI, 71; *Ars Am.*, I, 420; III, 674; *Rem.*, 611.

Res quoque *cupidae* dicuntur, scilicet oculi, aures, lacerti, pectus :

Cat., LXIV., 86 : hunc simul ac cupido conspexit lumine uirgo; — cf. Cat., LXI, 54; Prop,, II, XXII, 37; Ou., *Her.*, XIII, 115; XVII, 90; XIX, 48; *Ars Am.*, I, 116, 128.

Cura est aliquotiens studium et labor placendi :

Ou., *Rem.*, 681 : nulla sit ut placeas alienae cura puellae; — cf. Ou., *Med.*, 1, 23; *Ars Am.*, III, 380.

Saepius *curae* dicuntur dolores seu amoribus conmixti :

Cat., LXV, 1-2 : me adsiduo defectum cura dolore seuocat a doctis uirginibus; — cf. Cat., LXIV, 62, 250; LXVI, 23; Ou., *Her.*, I, 20, 72;

seu ex ipso amore orti :

Cat., LXIV, 72 : spinosas Erycina serens in pectore curas; — cf. Cat., II, 10; LXIV, 95; LXVIII, 18, 51; Tib., I, V, 37; II, III, 13; II, VI, 51; Ps. Tib., III, II, 20; III, VI, 7, 37; Prop., I, III, 40; I, V, 10; I, X, 17; I, XVIII, 23; II, XVIII, 21; III, XVII, 4; Ou., *Am.*, II, X, 12; II, XIX, 43; *Ars Am.*, I, 238, 240, 736; *Rem.*, 69, 241, 259, 809.

Curare est quoque amantium rationem habere, amantes non neglegere :

Ps. Tib., III, VI, 29 : nulla mei superest tibi cura, Neaera; — cf. Ps. Tib., IV, XI, 1; Prop., I, VIII, 1; I, XI, 5; Ou., *Am.*, II, XVI, 47; *Her.*, VIII, 15; XIV, 123; XVI, 198; XX, 59; *Ars Am.*, I, 301; II, 295, 331; *Rem.*, 205.

Ideoque *cura* saepe pro *amore* ponitur :

Prop., I, XV, 31; quam tua sub nostro mutetur pectore cura; — cf. Prop., II, XII, 4; III, XXI, 3; Ou., *Am.*, I, IX, 43; *Her.*, VII, 34; *Ars Am.*, II, 357; *Rem.*, 311, 484.

Dolorem simul atque amorem *cura* significat alias :

Prop., I, XIII, 7 : perditus in quadam tardis pallescere curis; — cf. Ou., *Her.*, XV, 136; *Ars Am.*, III, 680; *Rem.*, 493.

Saepe *cura* est persona quae curam mouet, id est aut persona quam amans cupit et adpetit[1] :

Tib., II, III, 31 : cui sua cura puella est; — cf. Ps. Tib., IV, XII, 1; Prop., I, I, 36; II, XXV, 1; II, XXXIV, 9; Ou., *Am.*, I, III, 10; III, IX, 32; *Her.*, XV, 96; *Ars Am.*, I, 512, 553; II, 350; *Fast.*, V, 525;

aut riualis quem timet amans :

Prop., II, XVI, 2 : maxima cura mihi;

aut uir de quo puella sollicita est :

Ou., *Fast.*, II, 730 : coniugibus nostris mutua cura sumus?

1. Quod ad loquendi rationem adtinet, etsi non de amatoriis rebus agatur, cf. Tib., I, IX, 34 : Bacchi cura Falernus ager; Ou., *Ars Am.*, III, 405 : cura deum fuerunt poetae.

Digitized by Google

Curare est quoque, medicorum modo, fouere ac sanare animi morbum :
Ou., *Rem.*, 313 : curabar propriis aeger Podalirius herbis.

Non curare est neglegere, non moueri :
Ou., *Rem.*, 657.

Cursus est amoris impetus :
Prop., III, xix, 9 : uestros reprehendere cursus; — cf. Prop., I, v, 2; Ou., *Rem.*, 430;

interdum *cursus* est in uoluptate Veneris percipienda celeritas :
Ou., *Ars Am.*, II, 726.

Custos, custodia, custodire saepissime apud nostros poetas occurrunt :
Tib., I, ii, 5, 15; I, vi, 10; I, viii, 55; II, i, 75; II, iii, 73; Ps. Tib., IV, vi, 11; Prop., II, vi, 37, 39; II, xviii, 35; II, xxiii, 9, 14; III, viii, 13; Ou., *Am.*, II, ii, 9, 45; II, xii, 3; III, i, 40, 55; III, iv, 1, 6, 23, 35; III, viii, 63; *Her.*, IV, 142; XVI, 165; *Ars Am.*, II, 635; III, 601, 612, 613, 619, 625, 633, 639, 645, 652.

Translatiue dicitur Amor *custos*, aut cum puellam beneuole protegit :
Tib., I, vi, 51 : parcite, quam custodit Amor, uiolare puellam;

aut cum amantem acriter urget :
Prop., II, xxx, 9 : excubat ille acer custos.

Sancti pudoris *custos* dicitur Deliae mater :
Tib., I, iii, 84.

Custodia est aliquando diligentia qua amans inuigilare puellae solet :
Ou., *Am.*, III, xi, 18 : ipse tuus custos; — cf. Prop., I, xi, 21.

Custodire nonnumquam est retinere intra sese :
Prop., III, xvii, 9 : quod uceteres custodit in ossibus ignes.

alias obseruare fideliter ac sequi :
Prop., II, xxix, 41 : tam sancti custos amoris.

Cumbae aliquotiens amor conparatur, quae secundo aut aduerso uento nauigat :
Prop., II, iv, 19; Ou., *Ars Am.*, III, 584.

Cytherea pro Venere ponitur :
Ou., *Am.*, I, iii, 4; *Her.*, XV, 20, 138; XVI, 241; *Ars Am.*, II, 15, 607; III, 43.

Damnum est saepe quod ad uiolandam fidem tendit :
Prop., I, iv, 25 : non ullo grauius temptatur Cynthia damno; — cf. Ou., *Am.*, III, xi, 22; *Her.*, V, 58.

Damnum dicitur etiam quodcumque amantibus nocet :
Ou., *Rem.*, 300 : et pone ante oculos omnia damna tuos;

Digitized by Google

ac praesertim quod corporis uim, pulchritudinem, integritatem, minuit :

Ou., *Ars Am.*, II, 677 : annorum damna; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 72; *Ars Am.*, III, 92, 98, 160.

Damnum est quoque quod inpedit ne quis placeat uel ametur :

Ou., *Ars Am.*, II, 174 : culpae damna timete meae; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 280.

Damnum est alias quod pudorem aut famam laedit :

Ou., *Ars Am.*, I, 100 : casti damna pudoris; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 560.

Denique, quia malum nocentissimum saepe habetur amor, *damnum* uocatur quod amorem redintegrat :

Ou., *Rem.*, 102 : dilatum longae damna tulisse morae; — cf. Ou., *Rem.*, 248.

Dare, donare, proprie de muneribus dicuntur quibus puellarum amores emuntur :

Prop., I, VIII, 37 : quamuis magna daret, quamuis maiora daturus; — cf. Prop., II, XXVI, 28; II, XXXII, 42; III, XIII, 28; III, XV, 6; IV, V, 55; Ou., *Am.*, I, VIII, 58, 68, 100, 101, I, X, 34, II, XV, 2; III, VIII, 62; *Ars Am.*, I, 418, 447, 449; II, 262, 391; III, 531; *Rem.*, 671.

Notandum est hoc uerbum aliquando absolute poni :

Prop., III, XIII, 13 : nulla est reuerentia dandi; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 62; I, X, 63, 64; *Ars Am.*, II, 162.

Frequenter occurrit quoque uox *donum* [1] :

Tib., II, III, 52 : incedat donis conspicienda meis; — cf. Tib., I, IX, 53; II, IV, 21; Prop., II, XVI, 18, 29; II, XXIV, 14; Ou., *Am.*, II, XV, 8; *Her.*, XVI, 70, 222.

Alias *dare* non ad munera, sed ad amorem ipsum pertinet, et pluribus quidem modis. Nam saepe *dare* est corpus aut animum amantis in manus et imperium alicuius tradere :

Cat., LXII, 23 : et iuueni ardenti castam donare puellam; — cf. Ps. Tib., IV, V, 1; Ou., *Am.*, I, III, 12; *Her.*, VI, 134; XII, 197.

Dare se, *dare se facilem* est amanti indulgere :

Ou., *Her.*, XV, 163 : da modo te; — cf. Ou., *Her.*, XV, 197.

Eodem uerbo significantur quaecumque amatae puellae concedere uiris queunt, ut gaudia uel noctes [2] :

Prop., II, XV, 39 : si dabit haec multas (noctes); — cf. Prop., III, VIII, 40; Ou., *Rem.*, 306, 520, 728;

uel, uoce *gaudia* aut *noctes* omissa :

Cat., CX, 4 : nec das et fers saepe; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 64, 70; III, VIII, 82; *Ars Am.*, I, 345, 434, 670, 674; II, 576; III, 579.

1. Longe alium sensum habet haec uox apud Prop., II, III, 27 (non humani partus sunt talia dona), ubi *dona* sunt dotes corporis.
2. *Dare gaudia Veneris* puellae uir quoque dicitur apud Ou., *Ars Am.*, II, 439.

Digitized by Google

Denique *dare oscula* saepissime reperitur :

Cat., V, 7; Tib., I, I, 62; I, IV, 54, 55; I, VIII, 25, 37; Prop., II, XV, 50; III, XIII, 34; Ou., *Am.*, I, IV, 38, 39; II, IV, 26; II, V, 50, 51; II, VI, 50; II, XIX, 18; *Her.*, III, 14; IV, 144; V, 51; XIII, 7, 120; XV, 225; XVI, 159; XVIII, 168; *Ars Am.*, I, 424, 664; II, 551, 552.

Debitus modo ad legitimum foedus refertur :

Ou., *Her.*, XIX, 8 : debitus ut coniunx, non ut adulter, amo;

modo, per extensionem, ad ea gaudia quae amantes quasi propria sibi uindicant :

Prop., I, VI, 17 : oscula sibi debita; — cf. Ou, *Her.*, XIII, 153.

Decere, decens, decenter, dedecere, aliquando solitum sensum habent et ad mores officiaque hominum pertinent :

Ou., *Ars Am.*, III, 614 : hoc decet, hoc leges iusque pudorque iubent; — cf. Ou., *Her.*, IV, 154; XVIII, 174.

Alias ea uocabula ad dignitatem personarum, aetatum, condicionum spectant :

Tib., I, I, 71 : iam subrepet iners aetas, nec amare decebit; — cf. Ou., *Am.*, II, VIII, 14; III, XV, 4; *Her.*, IX, 66; *Ars Am.*, II, 241, 530; III, 761.

Decere quoque dicuntur quae alicui apta et adcommodata sunt :

Tib., I, IV, 38 : decet intonsus crinis utrumque deum; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 24; *Her.*, V, 86; *Ars Am.*, I, 730; III, 571; *Rem.*, 24.

Sed saepius eiusmodi uerba ad corporis pulchritudinem spectant et ad res quae eam commendare possunt :

Ou., *Ars Am.*, I, 509 : forma uiros neglecta decet; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 298; III, 133, 145, 153, 189, 191, 309.

Praecipue haec uox inuenitur cum poetae depingere uolunt aliquid quod puellarum iuuenumue pulchritudinem minuere posse uideatur nec tamen minuat, immo vero augeat :

Ps. Tib., IV, II, 9 : fusis decet esse capillis; — cf. Prop., IV, VIII, 52; Ou., *Am.*, I, VII, 12; I, VIII, 35; I, XIV, 21; II, V, 43, 44; III, VII, 82; *Her.*, IV, 78; V, 35; *Ars Am.*, I, 126, 533; II, 509; III, 291, 432; *Rem.*, 350, 410; *Fast.*, II, 757.

Similis sensus, sed turpior, aliquando reperitur :

Ou., *Ars Am.*, III, 772 : non omnes una figura decet; — cf. Ou., *Rem.*, 408.

Quia quod *decet* pulchritudinem exornat, *decens* saepe idem est ac pulcher, uenustus[1] :

Ou., *Am.*, III, III, 8 : longa decensque fuit; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 9; *Ars Am.*, III, 751; *Trist.*, III, VIII, 33.

Decor est quod decet, quod uenustum aliquem aut elegantem efficit :

Tib., I, IX, 13 : puluisque decorem detrahet; — cf. Ps. Tib., IV, II, 8; Ou., *Her.*, XII, 12; XIX, 59; *Ars Am.*, III, 139, 282, 299, 352, 424; *Fast.*, II, 764, 774;

1. Cf. Prop., IV, II, 44 : flos decenter inpositus fronti.

Digitized by Google

praesertim quod, cum uenustati obesse uideatur, prodest tamen :
Ou., *Am.*, III, I, 10 : et pedibus uitium causa decoris erat; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 295; *Fast.*, V, 603.

Pariter ad corpus referuntur *decorus* :
Ou., *Fast.*, II, 503 : pulcher et humano maior trabeaque decorus;

et *dedecorare* :
Prop., III, XXII, 36 : aut faciem turpi dedecorare boue.

Sed contra *decor* nonnumquam significat morum integritatem aut uerecundiam :
Ou., *Ars Am.*, II, 379 : positoque decore fertur; — cf. Ou., *Pont.*, II, III, 13.

Decus dicitur qui inter ceteros enitet :
Cat., LXIV, 78 : decus innuptarum; — cf. Cat., LXIII, 64; Ou., *Her.*, XV, 273.

Decus alias idem ualet ac decor, decens forma[1] :
Prop., I, II, 5 : naturaeque decus mercato perdere cultu.

Dedecus est modo quod faciem dedecorat :
Ou., *Ars Am.*, III, 248 : inque nurus Parthas dedecus illud eat;

aut quod ridendum est :
Ou., *Am.*, III, VII, 84 : dedecus hoc sumpta dissimulauit aqua ;

aut est *dedecus* flagitium eius qui indigno amore captus est :
Ou., *Am.*, II, XV, 21 : non ego dedecori tibi sim futurus;

vel puellae quae uim passa est :
Ou., *Fast.*, II, 826 : eloquar infelix dedecus ipsa meum.

Decipere est saepe custodem effugere aut uirum :
Tib., I, VI, 19 : neu te decipiat nutu; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 40; *Her.*, III, 17; IV, 142.

Saepius *decipere* est amantem falsa amoris specie captare :
Prop., II, XXI, 11 : Colchida decepit Iason; — cf. Prop., I, IX, 25; I, XIII, 5; II, XVI, 54; Ou., *Am.*, II, IX, 43; III, III, 22; *Her.*, II, 65; VII, 69, 105; *Ars Am.*, III, 89, 454, 460; *Rem.*, 41.

Decipere est quoque in falsam inducere opinionem :
Ou., *Her.*, XVI, 55 : Leda cycno decepta; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 21, 97; XX, 55, 145, 241; *Ars Am.*, I, 325.

Amor quoque homines *decipere* dicitur cum eorum iudicium corrumpit :
Ou., *Rem.*, 346 : decipit hac oculos aegide diues Amor;

aut cum eos capit inprouisos :
Ou., *Rem.*, 301 : deceptum risi qui se simulabat amare; — cf. Ou., *Am.*, II, X, 3.

1. Minus certus est sensus apud Prop., I, IV, 13 : multis decus artibus.

Digitized by Google

Denique *decepti* dicuntur qui sperata uoluptate sunt fraudati :
Ou., *Her.*, XVIII, 55 : sic ubi deceptae pars est mihi maxima noctis acta; — cf. Ou., *Am.*, II, x, 26.

Dedere est proprie in manus tradere :
Cat., LXIV, 374 : dedatur nupta marito; — cf. Cat., LXI, 58.

Saepius *deditus* est qui amore captus est, quasi aliquo seruitio :
Cat., LXI, 98 : in mala deditus uir adultera; — cf. Tib., I, II, 97; Ou., *Am.*, II, IX, 11; *Her.*, VII, 103.

Dedignari est amantem contemnere quasi inferiorem, seu ortu et genere, seu moribus :
Ou., *Her.*, XV, 197 : nec dedignare maritum Phrygem; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 63; *Her.*, XII, 83.

Deducere est ab amore auertere :
Prop., II, XXV, 9 : at me ab amore tuo deducet nulla senectus.

Defendere est crimina refellere :
Prop., I, XVI, 9 : nec possum infamis dominae defendere noctes.

Alias *defendere* ad contentiones refertur inter amantes coortas :
Ou., *Am.*, II, v, 48 : defensa est armis nostra puella suis.

Deficere est prae nimio amore quasi mori :
Ou., *Her.*, XVIII, 8 : deficiam, parui temporis adde moram.

Deformis idem ualet ac parum formosus, et refertur modo ad personas :
Ou., *Her.*, XX, 35 : si tibi deformis, quod mallem, uisa fuissem;

modo ad res :
Ou., *Ars Am.*, III, 217 : ista dabunt formam, sed erunt deformia uisu.

Defunctus, quasi ueteranus, dicitur amans qui amoris peregit militiam :
Ou., *Am.*, II, IX, 24 : me defunctum placide uiuere tempus erat.

Delectare est praebere iucundum sensum seu animo :
Ou., *Ars Am.*, I, 623 : delectant etiam castas praeconia formae;

seu corpori :
Ou., *Rem.*, 103 : delectat Veneris decerpere fructum.

Delicatus amatoriam uenustatem significat :
Cat., XVII, 15 : puella tenellulo delicatior haedo; — cf. Cat., L, 3.

Deliciae sunt proprie uenereae uoluptates :
Prop., II, XV, 2 : lectule, deliciis facte beate meis; — cf. Ou., *Am.*, III, XIV, 18; *Ars Am.*, III, 649; *Fast.*, V, 334, 307.

Digitized by Google

Nonnumquam hoc uerbum idem valet quod amor :
Cat., XLV, 24 : uno in Septumio facit delicias; — cf. Ou., *Trist.*, II, 368;

et, ut amor, amatam personam significat :
Cat., XXXII, 2 : meae deliciae, mei lepores; — cf. Cat., VI, 1; Prop., II, xxxiv, 74;

et, hoc sensu, non modo amantes dicuntur *deliciae*, sed ancillae carissimae, animalia, gemmae, ornamenta :
Cat., II, 1 : passer, deliciae meae puellae; — cf. Cat., III, 4; Prop., IV, vii, 75; LXIX, 4; Ou., *Her.*, XV, 194; *Med.*, 10.

Deliciae sunt quoque amatoria uerba, amatorii lusus :
Cat., LXXIV, 2 : si quis delicias diceret aut faceret; — cf. Ou., *Rem.*, 154;

aut erotici uersus :
Ou., *Trist.*, V, i, 15 : deliciae lasciuaque carmina; — cf. Ou., *Am.*, III, xv, 4; *Rem.*, 374; *Trist.*, II, 78, 349.

Delinire est blanditiis precibusque in amorem inducere :
Ou., *Her.*, XVI, 23 : crimen erat nostrum, si delinita fuissem.

Delinquere, delictum, modo de puellarum saeuitia dicuntur :
Prop., II, iv, 1 : multa prius dominae delicta queraris oportet;

modo de periuriis et fallaciis :
Ou., *Her.*, XVI, 219; delicti fles idem reprehensor et auctor; — cf. Ou., *Am.*, II, iv, 3; II, viii, 9; *Trist.*, II, 256;

modo de ui ac stupro :
Ou., *Am.*, III, vi, 49 : delicta Martis.

Demens dicitur quicumque iam nescit quid faciat, aliquo nimio animi motu turbatus, seu ardentiore spe :
Tib., I, v, 19-20 : mihi felicem uitam fingebam demens;

seu ira :
Tib., I, ii, 11 : mala si qua tibi dixit dementia nostra; — cf. Tib., I, x, 56; Ou., *Am.*, I, vii, 19;

seu amatoria cupiditate :
Prop., I, xiii, 20 : demens inter utrosque furor; — cf. Prop., II, vi, 17; Ou., *Her.*, VI, 131;

seu timore et anxietate :
Ou., *Her.*, I, 71 : timeo tamen omnia demens.

Haud minus quam qui nimis amori indulget, qui amorem fugere nimis conatur *demens* uocari potest :
Tib., I, ix, 78 : tunc aliis demens oscula ferre mea; — cf. Prop., I, viii, 1, II, xxx, 1; II, xxxii, 18.

Denique *dementes* dicuntur qui in amore non satis prudenter sese gerunt :
Tib., IV, xiii, 17 : quid facio demens? heu heu mea pignora cedo; — cf. Ou., *Am.*, II, iv, 4; *Ars Am.*, II, 301.

Digitized by Google

Demissis ceruicibus ire amantis spreti tristitiam uiuide depingit :
Prop., II, xiv, 11 : at dum demissis supplex ceruicibus ibam.

Dentium notae amantium collis inpressae saepe memorantur a nostris poetis :
Tib., I, vi, 14; I, viii, 38; Prop., IV, iii, 25; Ou., *Am.*, I, vii, 42; etc.

Deponere amorem, tamquam morbum, est ab amore liberari :
Cat., LXXVI, 13 : difficile est longum subito deponere amorem; — cf. Cat., LXXVI, 25; Ou., *Rem.*, 250.

Deprendere est eos qui rebus amatoriis dant operam subito inprouisos conspicere :
Cat., LVI, 5 : deprendi modo pupulum; — cf. Ps. Tib., IV, vi, 11; Ou., *Am.*, I, ix, 30; III, xiv, 43; *Ars Am.*, II, 377, 503; III, 717.

Alias *deprendere* est furtim ac dolose sibi amorem alicuius parare :
Ou., *Ars Am.*, I, 619 : blanditiis animum furtim deprendere nunc sit.

Deserere dicuntur amantes qui absunt, uel inuiti :
Cat., LXVI, 21 : orbum luxti deserta cubile; — cf. Prop., II, viii, 29;

uel sua sponte [1] :
Cat., LXIV, 57 : desertam in sola harena; — cf. Ou., *Her.*, II, 46; V, 32.

Translatiue hoc uerbum refertur ad eos qui amantes fallunt aut deludunt [2] :
Cat., LXVIII, 6 : desertum in lecto caelibe; — cf. Prop., I, iii, 43; II, xvii, 3; II, xviii, 8; II, xxi, 16; Ou., *Am.*, II, ix, 52; *Her.*, V, 75; XII, 161; XVIII, 157; *Rem.*, 215, 636.

Nec solae personae *desertae* dicuntur, sed res quoque :
Cat., LXVIII, 29 : deserto cubili; — cf. Ou., *Her.*, I, 7; *Ars Am.*, III, 702.

Alias *deserere* est auxilio destitutum relinquere aliquem :
Ou., *Her.*, III, 62 : quis mihi desertae mite leuamen erit? — cf. Ou., *Her.*, III, 110.

Turpior sensus inest huic uerbo :
Tib., I, v, 40 : admonuit dominae deseruitque Vēnus.

Desiderium non est cupiditas, sed cura amantis morte uel casu uel perfidia abrepti :
Cat., XCVI, 3 : quo desiderio ueteres renouamus amores; — cf. Prop., IV, iii, 28; Ou., *Rem.*, 646.

Desinere est aut amare desinere :
Ou., *Rem.*, 683 : desinimus tarde, quia nos speramus amari; — cf. Ou., *Rem.*, 21, 22, 647, 650;

1. Cf. Prop., I, xv, 10 : desertis olim fleuerat aequoribus.
2. Cf. Cat., LXI, 122 : desertum domini amorem.

Digitized by Google

aut uoluptatem uenerem capere desinere :
Ou., *Ars Am.*, II, 725-726 : neque tu dominam desine; — cf. Ou., *Rem.*, 404.

Desistere est ab amore deterreri :
Prop., II, xx, 30 : nec cito desisto; — cf., Prop., I, xii, 19; Ou., *Her.*, XVI, 151, 152.

Despicere est amorem alicuius, ut sese indignum, repellere :
Cat., LXIV, 20 : tum Thetis humanos non despexit hymenaeos; — cf. Prop., I, xii, 17; Ou., *Her.*, II, 81; V, 88; XVI, 231; *Fast.*, I, 420.

Despuere eundem sensum habet :
Cat., L, 18-19 : precesque nostras, oramus, caue despuas.

Destinatus dicitur qui amantis iniurias ferre potest aequo animo :
Cat., VIII, 19 : at tu, Catulle, destinatus obdura.

Destituere, ut deserere, est modo amantem relinquere :
Ou., *Am.*, III, v, 42 : frigidus in uiduo destituere toro; — cf. Ou., *Her.*, V, 78; VI, 155; X, 90; XVI, 196;

modo opem negare :
Ou., *Her.*, III, 143 : qua (spe tui) si destituor; — cf. Ou., *Rem.*, 110.

Interdum sensum habet haec uox parum honestum :
Ou., *Am.*, III, vii, 14.

Desultor amoris iocose dicitur qui amorem saepe mutat :
Ou., *Am.*, I, iii, 15 : non mihi mille placent, non sum desultor amoris.

Detrahere est quasi auferre, eripere :
Ou., *Rem.*, 545 : qui timet ut sua sit, ne quis sibi detrahat illam.

Deuouere est magica potestate uti, seu ad iniciendum amorem :
Tib., I, viii, 18 : num te deuouit tacito tempore noctis anus?

seu contra ad inpediendum :
Tib., I, v, 41 : tunc me discedens deuotum femina dixit:

seu ad infelicem amantium uitam efficiendam :
Ou., *Her.*, VI, 104 : uiuite deuoto nuptaque uirque toro.

Deus, dea, dii, saepissime apud nostros poetas occurrunt. *Dea* ad Venerem saepissime refertur :
Cat., LXVIII, 17 : non est dea nescia nostri, quae...; — cf. Ou., *Am.*, III, i, 44; III, ii, 30, 39; *Ars Am.*, II, 419; III, 106.

Deus est aliquotiens Hymen[1] :
Cat., LXI, 46; Prop., IV, iii, 16;

1. Apud Ou., *Her.*, V, 120 (deseruit socios deos), dii sunt coniugalis domus Penates.

Digitized by Google

saepius Amor[1] :

Cat., LXVI, 31 : quis te mutauit tantus deus?; — cf. Tib., I, II, 88; I, III, 22; I, VI, 4, 43; I, VIII, 7, 56; II, I, 79, 83; Ps. Tib., III, VI, 26; Prop., I, IV, 26 : II, XII, 6; II, XXXIV, 3, 60; III, XXI, 6; Ou., *Her.*, VIII, 38; XI, 26; XII, 211; *Ars Am.*, II, 98.

Aliquotiens *deos* (plurali numero) ponunt poetae pro Amore :

Prop., I, VII, 16 : quam nolim nostros te uiolasse deos? — cf. Prop., II, XXXIV, 26.

Alias, incerto quidem modo, dicunt poetae *deum* uel *deos* amantibus prodesse aut nocere :

Tib., I, VIII, 72 : ultorem post caput esse deum; — cf. Tib., I, V, 20, 57; I, IX, 11, 24, 25, 27; Ps. Tib., IV, IV, 15; Prop., I, I, 8, 31; I, XII, 9; Ou., *Am.*, III, VIII, 65; *Her.*, I, 23; V, 5; VII, 4; XII, 84; *Ars Am.*, III, 103.

Denique *dii* cuncti saepe fidei datae testes, custodes, uindices adhibentur :

Cat., LXIV, 134 : discedens neglecto numine diuum; — cf. Tib., I, IX, 2; Prop., I, VI, 8; I, XI, 16; I, XV, 26; II, XX, 3; II, XXVIII, 6; III, XX, 5, 22; IV, V, 27; Ou., *Am.*, III, III, 20; III, XI, 22, 46; *Her.*, II, 32, 53; *Ars Am.*, I, 632; III, 458; *Rem.*, 676, 688, 784.

Nonnumquam, per hyperbolen, *deos* nominant poetae ut summum gradum depingant uel pulchritudinis aut potentiae :

Tib., I, X, 60 : e caelo deripit ille deos; — cf. Ou., *Am.*, II, VIII, 2; *Ars Am.*, III, 682;

uel felicitatis :

Prop., II, XV, 40 : nocte una quiuis uel deus esse potest.

Itaque, nimio ardore elatus amans dominam suam *diuam* uel *deam* uocat :

Cat., LXVIII, 70 : mea candida diua; — cf. Ou., *Am.*, I, VII, 32; III, II, 60; *Her.*, XV, 334; XVII, 65, 68;

uel etiam *deos* (plurali numero) :

Ou., *Am.*, II, XI, 44 : nostros aduehit illa deos; — cf. *Her.*, II, 126.

Diducere est separare amantes inter se iunctos :

Prop., I, XIII, 19 : non ego complexus potui diducere uestros: — cf. Prop., II, VII, 3.

Dies interdum absolute ponitur quasi laetus dies :

Ou., *Ars Am.*, II, 170 : haec mihi quam multos abstulit ira dies.

Differre est modo de aliquo male loqui :

Prop., I, XVI, 48 : aeterna differor inuidia; — cf. Prop., I, IV, 22;

modo in posterum remittere :

Prop., II, III, 8 : differtur, numquam tollitur ullus amor; — cf. Prop., II, XXIII, 17; IV, V, 30.

1. Apud Ps. Tib., III, VI, 13, incertum est num deus sit Amor an Bacchus.

Digitized by Google

Difficilis, id est parum amantibus indulgens, uocatur seu Venus :
Tib., I, IX, 20 : asperaque est illi difficilisque Venus;

seu femina :
Tib., I, VIII, 27 : nec tu difficilis puero tamen esse memento; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 566;

seu feminae ianua :
Ou., *Am.*, I, VI, 2 : difficilem pande forem.

Diffidere est timere quidquid amori potest nocere, seu sua uitia :
Ou., *Ars Am.*, I, 768 : diffidet miserae protinus illa sibi;

seu alienas fallacias :
Ou., *Rem.*, 543 : amor quem diffidentia nutrit.

Dignus dicitur aut qui, ortu et genere, cum amante bene congruit :
Ps. Tib., IV, VII, 10 : cum digno digna fuisse ferar; — cf. Ou., *Rem.*, 275;

aut qui miserationem iure mouere potest :
Ou., *Her.*, V, 155 : dignae miserere puellae.

Diligere interdum, ut proprius eius uocabuli fert sensus, tranquilliorem mentis motum significare uidetur, quam *amare* :
Ou., *Ars Am.*, III, 517 : odimus et maestas : Tecmessam diligat Aiax!

Sed multo saepius idem ualet *diligere* atque amare :
Cat., VI, 4-5 : nescio quid febriculosi scorti diligis; — cf. Cat., LXXVI, 23; LXXXI, 2; Prop., II, XXIV, 43; II, XXV, 29; IV, I, 117; Ou., *Am.*, I, IV, 3; *Her.*, IV, 56; XVI, 195; XVIII, 205; *Rem.*, 305, 655, 771; *Fast.*, VI, 555.

Quin etiam ad animalia ipsa refertur hoc uerbum :
Ou., *Fast.*, IV, 102 : frontem dilectae laedere parcit ouis.

Dimittere proprie est repudiare :
Ou., *Ars Am.*, III, 33 : Phasida fallax dimisit Iason.

Dimittere Amorem est eius uim fugere :
Ou., *Am.*, I, VI, 35 : hunc ego nusquam dimittere possum.

Dimicare est aduersus amantis suspiciones reluctari :
Ou., *Am.*, II, VII, 2 : ut uincam, totiens dimicuisse piget.

Discere de dolis dicitur quibus ad fallendum utuntur puellae :
Tib., I, VI, 11 : fingere tunc didicit causas; — cf. Ps. Tib., III, IV, 62; Prop., II, IX, 32; Ou., *Am.*, III, I, 49; *Her.*, IV, 25; XVI, 90;

aut de artibus quibus student quo magis placeant :
Ou., *Am.*, I, VIII, 83 : discant oculi lacrimare coacti; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 281, 291, 296, 298.

Etiam amor *discitur*, id est hominibus notus fit ac familiaris :
Ou., *Ars Am.*, III, 27 : per me discuntur amores; — cf. Ou., *Rem.*, 43, 71.

Digitized by Google

Discitur etiam rei uenereae scientia :

Tib., I, IX, 65 : at tua perdidicit; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 56; *Ars Am.*, II, 479.

Denique *discere* est experientia propria cognoscere quid in amore eueniat, quid sit uitandum aut faciendum, sperandum aut timendum :

Ps. Tib., III, VI, 44 : dolore alterius disces posse cauere tuum; — cf. Prop., I, V, 20; II, XXI, 16; III, VIII, 18; III, XI, 8; III, XXV, 18; Ou., *Her.*, VII, 180; X, 98; *Ars Am.*, III, 455.

Dediscere amare est amorem paulatim deponere :

Ou., *Rem.*, 503 : intrat amor mentes usu, dediscitur usu; — cf. Ou., *Rem.*, 211; 297.

Discedere est abesse ab amante seu consulto :

Cat., LXIV, 123 : inmemori discedens pectore coniunx; — cf. Cat., LXIV, 134;

seu casu :

Ou., *Her.*; V, 43 : flesti discedens.

Translatiue *discedere* accipitur quasi amorem abrumpere :

Prop., II, V, 9 : nunc est discedere tempus; — cf. Prop., III, XXV, 7; Ou., *Her.*, I, 81; *Rem.*, 243, 609, 765.

Turpiorem sensum haec uox habet :

Tib., I, V, 41 : tunc me discedens deuotum femina dixit.

Discidium modo de eo dicitur qui forte et casu proficiscitur :

Cat., LXVI, 22 : fratris cari flebile discidium;

saepius autem de eo qui cum amante iam non uult uiuere :

Tib., I, V, 1 : bene discidium me ferre loquebar; — cf. Prop., I, XI, 28; II, XXIV, 32.

Disertus idem ualet ac callidus, ad amorem conciliandum aptus :

Prop., III, XXIII, 6 : et quaedam sine me uerba diserta loqui; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 610.

Displicere dicitur facies :

Tib., IV, XIII, 6 : displiceas aliis; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 46;

aut indoles :

Prop., IV, V, 49 : nec tibi displiceat miles non factus amori.

Disponere plerumque ad crines refertur :

Tib., I, VIII, 10; I, IX, 67;

interdum ad rem uenerem :

Tib., I, IX, 64; Ou., *Am.*, III, VII, 64.

Dissimulare est amorem abscondere :

Tib., I, VIII, 7 : desine dissimulare; — cf. Ou., *Am.*, III, XIV, 4; *Her.*, XV, 7, 238; XVI, 151, 152; *Ars Am.*, I, 276.

Digitized by Google

Distineri est inter diuersos amores distrahi :
Ou., *Rem.*, 486 : ut tuus in biuio distineatur amor.

Diuellere est amantes separare :
Ps. Tib., IV, vi, 7 : neu quis diuellat amantes.

Diuersi amantes dicuntur qui inter se dissentiunt :
Prop., I, x, 15 : possum ego diuersos iterum coniungere amantes

Diues translatiue dicitur qui amoribus suis potest perfrui :
Ou., *Am.*, III, vii, 50 : possedi diues auarus opes.

Diuidere est prohibere ne amantes inter se conuenire possint :
Prop., II, xxxiii, 5 : quae dea tam cupidos totiens diuisit amantes? — cf. Prop., I, xii, 3 10; II, vii, 3.

Diuortium ad amantes refertur haud secus atque ad coniuges :
Ou., *Rem.*, 603 : nec causas aperi quare diuortia malis.

Doceri est saepe quid in amore cauendum aut sperandum sit experiri :
Cat., LXVIII, 118 : ferre iugum docuit; — cf. Tib., I, viii, 6; Ps. Tib., III, iv, 65, 66; Prop., I, x, 19; Ou., *Rem.*, 52, 684.

Etiam ad fraudes et fallacias amantium *docere* refertur :
Tib., I, ii, 19 : illa docet molli furtim derepere lecto; — cf. Tib., I, ii, 23; I, vi, 9; I, ix, 37; Ou., *Her.*, II, 51;

et ad amatorias uoluptates, oscula, etc. :
Ou., *Am.*, II, v, 61 : illa nisi in lecto nusquam potuere doceri; — cf. Ou., *Am.*, v, 55; *Ars Am.*, I, 767; III, 769.

Docere est alias artis amatoriae aliquem facere peritum :
Ou., *Ars Am.*, III, 195 : non Caucasea doceo de rupe puellas; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 43, 251, 255; *Rem.*, 9;

uel contra amantibus monstrare quomodo amor exui possit :
Ou., *Rem.*, 489-490 : si quid Apollo utile mortales perdocet ore meo; — cf. Ou., *Rem.*, 298.

Dolere, dolor, saepe in uniuersum significant quaecumque in amore possunt esse grauia et molesta :
Cat., II, 7 : solaciolum sui doloris; — cf. Cat., L, 17; Prop., I, x, 13; I, xvii, 19 : II, xv, 35 : III, xx, 27 : III, xxiii, 17; Ou., *Am.*, II, x, 11; *Ars Am.*, I, 240, 736; II, 235, 519.

Sed saepius ad certum propriumque dolendi genus pertinent haec uerba. *Dolere* enim dicuntur ii quorum amor est spretus :
Tib., I, viii, 73 : lacrimas risisse dolentis; — cf. Tib., II, iii, 73; II, iv, 7; Prop.,

Digitized by Google

I, I, 38; I, IX, 7; I, XIII, 9; I, XIV, 18; I, XVI, 21, 23, 35; I, XVIII, 3, 13; Ou., *Her.*, XV, 235; — (cf. uocem *dedolere* apud Ou., *Rem.*, 294);

uel ii qui se ab amantibus esse delusos suspicantur :

Prop., III, VIII, 10 : nam sine amore graui femina nulla dolet; — cf. Prop., III, VIII, 23; Ou., *Am.*, II, V, 59; II, VII, 4; *Ars Am.*, III, 599;

uel qui promissa uiderunt uiolata seque desertos :

Cat., VIII, 14 : at tu dolebis cum rogaberis nulla; — cf. Tib., I, II, 1; I, V, 38; IV, XIV, 3; Ps. Tib., III, VI, 3, 43; Prop., I, XVIII, 26; II, V, 10, 15; II, XVI, 13, 32; II, XVIII, 4; II, XXII, 43; II, XXV, 1, 40; III, VIII, 35; Ou., *Am.*, II, II, 50; II, V, 33; II, XV, 18; III, XI, 7; *Her.*, V, 8, 75, 102; VI, 76; X, 33, 44; XII, 133; XVIII, 107, 117; *Ars Am.*, I, 365, 658, 688, 750; II, 448; III, 677, 702; *Rem.*, 59, 310, 493, 510, 694, 726, 773, 791; *Fast.*, III, 489.

Alias *dolor* est ira, liuor [1] :

Prop., II, XXVIII, 9 : num sibi conlatam doluit Venus?; — cf. *Her.*, VI, 140; VIII, 58; *Ars Am.*, II, 490.

Dolere quoque dicuntur ii quibus amans ereptus est aut mortis fato :

Cat., XCVI, 1-2 : si quicquam mutis gratum sepulcris accidere a nostro dolore potest; — cf. Ps. Tib., III, II, 13; Prop., IV, XI, 79; Ou., *Am.*, I, III, 18;

aut ui casuue :

Ps. Tib., III, II, 3 : tantum ferre dolorem; — cf. Ps. Tib., III, II, 6, 29; Prop., I, XV, 13; II, VIII, 36; II, XXXIII, 21; Ou., *Her.*, XIII, 29; *Ars Am.*, II, 125, 403.

Dolere est etiam senectutem moleste ferre uenientem :

Ou., *Med.*, 18 : et ueniet rugis altera causa dolor.

Sicut *amor* est saepe amata persona, sic *dolor* pro ea persona ponitur quae dolorem parit :

Ou., *Her.*, XIII, 104 : tu mihi luce dolor, tu mihi nocte uenis.

Doli sunt nonnumquam artes quibus aliquis amantis pectus permouere conatur :

Tib., I, IV, 82 : deficiunt artes deficiuntque doli; — (cf. *subdola lingua*, Ps. Tib., III, VI, 46).

Doli uocantur saepius artes quibus amantes uirorum aut custodum diligentiam fallunt :

Tib., I, IX, 54 : te rideat adsiduis uxor inulta dolis; — cf. Tib., I, IX, 24; Ps. Tib., III, VI, 12; Prop., III, XXIII, 18; IV, VII, 16; Ou., *Am.*, II, XIX, 44.

At contra *dolus* est aliquando uiri cauta custodia :

Ou., *Ars Am.*, II, 562 : Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.

Domare dicitur Amor homines rebellantes :

Tib., II, I, 72 : audaces perdomuisse uiros; — cf. Ps. Tib., III, VI, 16; Prop., II, III, 50.

1. Apud Ou, *Am.*, I, VII, 63 (minuet uindicta dolorem), ambiguum est utrum dolor sit ira puellae laesae an paenitentia iracundi uiri.

Digitized by Google

At e contrario dicuntur Amorem *domare* qui suam recuperant libertatem :

Ou., *Am.*, III, xi, 5 : domitum pedibus calcamus amorem.

Domari dicitur quoque qui amantis imperium accipere cogitur :

Tib., I, v. 6; horrida uerba doma; — cf. Prop., I, i, 15; I, ix, 6; Ou., *Her.*, XII, 164;

et ille etiam qui paulatim ab amicis ad amantis officia perducitur et quasi mansuetus fit :

Prop., II, xxxiv, 50 : trux tamen a nobis ante domandus eris.

Quo sensu *se domare* dicitur qui sese adsuefacit ad amorem tolerandum :

Ou., *Her.*, IV, 156 : duraque corda doma.

Indomiti uocantur omnes ardentes affectus :

Cat., LXIV, 54 : indomitos furores; — cf. Cat., L, 11; Ou., *Fast.*, II, 585.

Domina saepe suam uim retinet imperiumque feminae in uirum significat :

Tib., II, iv, 1 : hic mihi seruitium uideo dominamque paratam; — cf. Tib., II, iii, 79; IV, xiii, 22; Ps. Tib., III, iv, 74; III, vi, 14; Prop., I, vii, 6; I, xvii, 15; II, iv, 1; II, xiv, 21; Ou., *Am.*, I, vii, 30; II, xvii, 5; II, xviii, 17; III, ii, 62; *Her.*, IX, 71; XIX, 80; *Ars Am.*, I, 504, 572; II, 221; *Rem.*, 73.

Saepius uero *domina* nihil est nisi trita solitaque adpellatio qua amantes puellas suas salutant :

Cat., LXVIII, 68, 156; Tib., I, i, 46; I, v, 40; II, iii, 5; II, iv, 19, 25; II, vi, 41, 47; Ps. Tib., IV, iv, 12; Prop., I, i, 21; I, iii, 17; I, iv, 2; I, x, 16; I, xvi, 28; II, iii, 10, 42; II, ix, 45 : II, xiii, 14; II, xvii, 17: II, xxiv, 16; II, xxv, 17; II, xxxiv, 1, 14; III, v, 2; III, vii, 72; III, xvi, 1; III, xx, 29; Ou., *Am.*, I, iv, 47, 60; I, vii, 3, 12; I, x, 58; I, xii, 22; I, xiii, 5; II, ix, 46; II, xiii, 16; II, xv, 7, 11; II, xvi, 20, 21, 42; III, ii, 18, 57, 80, 81; III, iv, 43; III, v, 40; III, vi, 2; III, viii, 5; *Her.*, XIII, 78, 145; XVII, 93, 118, 164, 176; XIX, 127; *Ars Am.*, I, 139, 421, 488, 601; II, 111, 169, 213, 248, 261, 270, 290, 691, 725; III, 568, 743; *Rem.*, 342, 352, 401. 451, 583, 608, 622, 638, 640, 644, 663, 710, 785.

Dominus aliquando, ut *domina*, est adpellatio amatoria [1] :

Ou., *Am.*, III, vii, 11 : et mihi blanditias dixit dominumque uocauit; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 314.

Alias *dominus* est maritus :

Ou., *Her.*, VIII, 8 : haec tibi sub domino est, Pyrrhe, puella suo.

Domus pro persona aliquando ponitur :

Prop., II, xxiv, 24 : una discat amare domo.

1. Idem uidetur esse sensus apud Cat., XLV, 14 (huic uni domino seruiamus), ubi tamen dominus potest esse Amor.

Digitized by Google

Dormire, ut cubare, saepe amatorium habet sensum :

Tib., I, VIII, 39-40 : quae frigore sola dormiat; — cf. Prop., II, XVIII, 17; II, XXXIII, 17; Ou., *Am.*, II. X, 17; *Her.*, XVI, 179; XVIII, 57; *Ars Am.*, I, 601; *Rem.*, 481, 727.

Sed alias *dormire* est languere :

Prop., III, VI, 34 : noctibus illorum dormiet ipsa Venus.

Dos est proprie uxoris pecunia :

Prop., III, XIX, 23 : hanc igitur dotem uirgo desponderat hosti; — cf. Ou., *Her.*, V, 92; XI, 100.

Sed saepius, in amatorio sermone, *dotes* dicuntur quaecumque artes aut uirtutes faciem feminae commendare possunt :

Ou., *Am Ars.*, I, 506 : quacumque potes dote placere, place; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 17, 38; *Her.*, XV, 307; *Ars Am.*, II, 112; III, 258; *Rem.*, 325, 331.

Ducere est ludere, morari :

Prop., II, XVIII, 1 : promissis ducere amantem;

aut in amorem inpellere :

Prop., II, XXV, 42 : ducit uterque color; — cf. Prop., III, VI, 26; Ou., *Am.*, III, XII, 11;

aut praecepta tradere artis amatoriae :

Ou., *Rem.*, 69 : me duce damnosas conpescite curas.

Dulce dicitur quidquid est lepidum ac uenustum :

Cat., LXIV, 173 : celans dulci crudelia forma consilia; — cf. Cat., C, 4; Tib., II, VI, 47; Ou., *Am.*, II, IV, 25 : *Her.*, XV, 83; *Ars Am.*, II, 284.

Alias *dulcis* est idem ac carus, dilectus, et modo ad res refertur :

Cat., LXVIII, 106 : uita dulcius coniugium; — cf. Cat., LXVIII, 18, 160; XCIX, 2; Ps. Tib., III, III, 27; IV, VIII, 3; Prop., III, VIII, 29; Ou., *Am.*, II, IX, 26; II, XVI, 30; *Her.*, VI, 120; XIII, 122, 142; XVII, 209; *Fast.*, II, 760;

modo ad personas :

Cat., LXVI, 33 : pro dulci coniuge; — cf. Cat., XXXII, 1; Prop., I, XII, 6.

Nec solum qui amatur, sed amans quoque *dulcis* uocatur :

Cat., LXVII, 1 : o dulci iocunda uiro; — apud Cat., XLV, 11 (dulcis pueri ebrios ocellos), uterque sensus confunditur.

Dulcis quoque dicitur amor :

Cat., LXIV, 120 : Thesei dulcem amorem; — cf. Cat., LXVI, 6; LXXVIII, 3;

dulcia pariter quae ad amorem pertinent, ita ut prope idem sit *dulcis* atque amatorius :

Cat., LXVI, 13; dulcia nocturnae uestigia rixae; — cf. Ps. Tib., IV, V, 7; Prop., II, V, 17; II, XXX, 28; III, VIII, 1; III, X, 25 : III, XV, 10; III, XX, 20; Ou., *Am.*, I, IV, 48; II, VIII, 21; *Her.*, XVII, 82; *Ars Am.*, I, 594; II, 480, 724; III, 328, 798; *Fast.*, I, 401.

Digitized by Google

Peculiariter *dulcia* dicuntur amatoria carmina :

Cat., LXV, 3 : dulces Musarum fetus ; — cf. Cat., LXVIII, 7 ; Ou., *Trist.*, V, I, 4 ;

et uerba amantium :

Ou., *Am.*, II, XIX, 17 : quam dulcia uerba parabat ; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 152.

Durum dicitur corpus cuius habitus est parum mollis et elegans [1] :

Cat., XVI, 11 ; duros lumbos ; — cf. Prop., II, V, 24 ; Ou., *Am.*, I, IV, 44 ; II, IV, 23 ; *Ars Am.*, I, 668 ; *Rem.*, 337.

Sed saepius ad mores pertinet hoc uerbum. Nam *duri* dicuntur qui amorem oblatum respuunt neque precibus conmouentur :

Tib., I, VIII, 50 : in ucteres esto dura, puella, senes ; — cf. Tib., I, I, 63 ; II, VI, 28 ; Ps. Tib., III, II, 3 ; III, IV, 76 ; Prop., I, I, 10 ; I, VII, 6 ; I, XVI, 30 ; I, XVII, 16 ; II, I, 78 ; II, V, 7 ; II, XXII, 11, 43 ; II, XXIV, 47 ; III, XII, 20 ; III, XV, 29 ; III, XX, 3 ; Ou., *Am.*, I, IX, 19 ; I, XI, 9 ; *Her.*, II, 137 ; VII, 31, 52 ; XV, 11 ; XX, 5 ; *Ars Am.*, II, 527 ; III, 476 ; *Rem.*, 554, 765 ; *Fast.*, IV, 111 ; VI, 120.

Duri quoque uocantur graues seuerique homines :

Ps. Tib., III, IV, 92 : culta et duris non habitanda domus ; — cf. Prop., I, XIV, 18 ; II, XXX, 13 ; II, XXXII, 47 ; IV, II, 23 ; Ou., *Am.*, I, XII, 24 ; *Her.*, IV, 85, 156 ; XV, 225, 289 ; XVI, 16 ; *Ars Am.*, III, 110 ; *Rem.*, 225, 523.

Inde *dura* dicuntur carmina non amatoria :

Prop., II, I, 41 ; II, XXXIV, 44.

Alias *durus* uocatur uel crudelis et barbarus homo :

Cat., LX, 3 : tam mente dura ac tactra ; — cf. Ou., *Her.*, VII ; 84 ;

uel uir aut custos nimis diligens :

Ou., *Ars Am.*, III, 602 : duri cura molesta uiri ; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 1 ; *Her.*, IV, 141 ; XI, 6 ; *Ars Am.*, III, 587.

Dura est femina quae ab amante multa exposcit officia :

Tib., I, VI, 69 : et mihi sint durae leges ;

durus Amor, *durum* Fatum, cum in homines grauiter incumbunt :

Prop., I, VI, 36 : uiuere me duro sidere certus eris ; — cf. Prop., I, III, 14.

Dura sunt quae non nisi moleste ferri in amore possunt :

Tib., I, VI, 7 ; credere durum est ; — cf. Tib., I, IV, 47 ; Ps. Tib., III, VI, 7 ; Prop., I, VI, 18 ; I, VII, 8 : I, XV, 1 ; I, XIX, 4 ; II, XVII, 9 ; II, XXXIV, 49 ; III, V, 2.

Ebrius aliquando dicitur qui ob amorem amens fit :

Cat., XLV, 11 : dulcis pueri ebrios ocellos.

Eburneus pro candido saepe ponitur :

Prop., II, I, 9 : siue lyrae carmen digitis percussit eburnis ; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 7 ; *Her.*, XIX, 57.

1. Alius sensus, ad corpus quoque pertinens, sed inhonestior, reperitur apud Ou., *Fast.*, II, 346 : cornu durius inguen.

Digitized by Google

Edere dicitur amor, sicut ignis, pectora quae possidet :
Cat., XXXV, 15 : ignes interiorem edunt medullam; — cf. Cat., LXVI, 23; XCI, 6.

Effectus est euentus curarum ab amantibus insumptarum :
Prop., I, x, 28 : hoc magis effectu saepe fruare bono.

Alias turpior est huius uerbi significatio :
Ou., *Am.*, I, VIII, 53-54 : forma, nisi admittas, nullo exercente senescit : nec satis effectus unus et alter habent.

Egregius est quasi eximie pulcher :
Ou., *Her.*, IV, 78 : egregio in ore.

Eicere est amantem repellere et longe a sese dimittere :
Prop., II, IX, 2 : hoc ipso eiecto carior alter erit; — cf. Prop., II, XXI, 12.

Elegantes sunt quicumque uenustate et urbanitate inter omnes enitent :
Cat., VI, 2 : ni sint inlepidae atque inelegantes.

Hoc uerbum tam ad res quam ad personas spectat :
Cat., XLIII, 4 : nec sane nimis elegante lingua; — cf. Cat., XXXIX, 8.

Elicere amorem est eum incitare :
Ou., *Ars Am.*, II, 444 : acribus est stimulis eliciendus amor.

Emptae dicuntur puellae quae pro muneribus corpus uendunt, *empta* quoque gaudia quae amantibus praebent :
Prop., II, XX, 25 : nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis; — cf. Prop., I, IX, 4; III, XIII, 34; IV, V, 33; Ou., *Am.*, I, VIII, 34; I, X, 34; *Her.*, V, 144.

Eneruare ad animos uiribus destitutos refertur aliquando :
Ou., *Rem.*, 753 : eneruant animos citharae.

Equus nonnumquam sensum habet obscenum :
Ou., *Ars Am.*, III, 777, 778, 786.

Era interdum pro domina ponitur :
Cat., LXVIII, 136; Ou., *Her.*, IX, 78.

Errare dicitur amor cum non certam elegit personam cui adhaereret[1] :
Ou., *Her.*, XVIII, 96 : similis uento ne tuus erret amor; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 191; *Ars Am.*, II, 339; III, 436; *Rem.*, 662.

Longe alio sensu *errare* est nimis amoris impetui se ducendum praebere :
Prop., I, XIII, 35 : sit felix, quoniam nouus incidit, error; — cf. Prop., I, IX, 33; Ou., *Am.*, I, X, 9.

1. Cf. Tib., II, VI, 6 : erronem sub tua signa uoca.

Digitized by Google

Vnde allegorice, in triumpho Amoris describendo, ponitur *Error* :
Ou., *Am.*, I, II, 35 : Blanditiae comites tibi erunt Errorque Furorque.

Erudire est artes docere quibus amor conciliari queat :
Ou., *Ars Am.*, III, 48 : haec quoque pars monitis erudienda tuis; — cf. Ou., *Rem.*, 690.

Esse alicuius modo amatorium foedus significat :
Cat., VIII, 17 : cuius esse diceris? — cf. Ps. Tib., III, IV, 58; Prop., II, XXII, 40; IV, III, 2; Ou., *Am.*, III, IX, 49; *Her.*, V, 157; X, 74, 75.

modo subiectionem amantis :
Prop., II, XV, 36 : huius ero uiuus, mortuus huius ero; — cf. Prop., II, IX, 46 :

modo uenerem possessionem :
Prop., I, III, 30 : neue quis inuitam cogeret esse suam; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 628; *Rem.*, 772;

Esse cum amante saepe ad conuersationem amantium refertur :
Cat., L, 13 : ut tecum loquerer simulque ut essem; — cf. Tib., I, I, 57-58; I, II, 71; Ou., *Her.*, V, 157.

Haec uox parum honeste accipitur aliquando[1] :
Ou., *Am.*, II, VIII, 27; *Ars Am.*, III, 664.

Excantare est precibus et uersibus, quasi magica arte, puellas in amorem inducere :
Prop., III, III, 49 : ut per te clausas sciat excantare puellas.

Excidere est minus feliciter rem in amore gerere :
Ou., *Rem.*, 348 : infelix uitiis excidet illa suis.

Excipere est aliquem uenientem accipere amice :
Ou., *Her.*, XVII, 101 : excipis amplexu; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 148.

Alias est *excipere* amantibus insidias struere :
Ou., *Ars Am.*, I, 756 : mille animos excipe mille modis.

Excludere est domus ianuam amanti claudere :
Tib., II, IV, 39; quae pretio uictos excludis amantes; — cf. Tib., II, III, 73; Prop., I, V, 20; I, XVI, 8; II, XXIX, 41; III, XVI, 20; III, XXV, 15; Ou., *Am.*, I, VI, 31; I, VIII, 78; III, IV, 8; *Ars Am.*, III, 588; *Rem.*, 36.

Excubiae sunt noctes quas inuigilant amantes, seu soli, seu ante limina puellarum :
Prop., I, XVI, 14 : supplicis a longis excubiis; — cf. Prop., IV, I, 145; Ou., *Am.*, III, XI, 12.

1. Eundem sensum forsan habeat hic uersus Ou., *Rem.*, 727 : hic fuit, hic cubuit.

Digitized by Google

Amor quoque *excubare* dicitur cum hominem urget :
Prop., II, xxx, 9 : excubat ille acer custos.

Exercere aliquotiens turpem habet sensum :
Cat., LXI, 228 : ualentem exercete iuuentam; — cf. Cat., LXVIII, 69; Ou., *Am.*, I, VIII, 53.

Exire dicitur Amor cum quis amare desinit :
Ou., *Rem.*, 198 : inritus exit Amor; — cf. Ou., *Rem.*, 653.

Exigere obsceno sensu nonnumquam ponitur :
Ou., *Am.*, III, VII, 25.

Exiguus pes a nostris poetis laudatur :
Ou., *Am.*, III, III, 7; *Ars Am.*, I, 622.

Exitium hyperbolice dicitur interdum cura et maestitia quam gignit amor :
Tib., I, V, 48 : uenit in exitium callida lena meum; — cf. Prop., II, XXII, 4; Ou., *Am.*, I, I, 22.

Exorare est precibus aut auctoritate inpetrare amorem aut culpae ueniam :
Ou., *Am.*, III, XI, 43 : facies exorat amorem; — cf. Ou., *Her.*, XX, 128; *Ars Am.*, I, 37; *Fast.*, IV, 141.

Exorabilis deus dicitur Amor :
Prop., II, XXX, 11.

Non expedit est negandi modus apud puellas usitatus :
Ou., *Ars Am.*, III, 95.

Experiri est modo temptare quibus modis amor inpetrari possit :
Cat., XXI, 6 : omnia experiris;

modo cognoscere quae sint amoris incommoda, aut quae potestas :
Prop., II, XXI, 18 : experta in primo, stulta, cauere potes; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 139; *Ars Am.*, III, 511.

Denique parum honestum sensum habet interdum haec uox :
Prop., II, XXII, 23.

Expugnare est contumaciam eorum deuincere qui amori resistunt :
Prop., III, XIII, 9 : haec etiam clausas expugnant arma pudicas; — cf., Ou., *Trist.*, IV, X, 65.

Externum dicitur quod amantem a consueto et quasi domestico amore auertit :
Prop., I, III, 44 : querebar externo longas saepe in amore moras; — cf. Prop., IV, VIII, 83; Ou., *Her.*, V, 102.

Digitized by Google

Externari est ob amorem aut dolorem ratione priuari :
Cat., LXIV, 165 : externata malo; — cf. Cat., LXIV, 71.

Exstinguere ignem aut flammam est amorem in animo hominis abolere :
Tib., II, VI, 16 : exstinctas adspiciamque faces; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 597; *Rem.*, 53, 649, 700; *Fast.*, I, 413.

Exuuiae de uirgine raptae inhonestam significationem habent :
Cat., LXVI, 14.

Fabula est aut malignus rumor :
Prop., III, XV, 45 : fabula nulla tuas de nobis concitet aures; — cf. Prop., II, XXIV, 1; II, XXXII, 26; Ou., *Am.*, II, 630;

aut omnis rumor qui de clandestinis amoribus uulgatur :
Ou., *Am.*, I, IX, 40 : notior in caelo fabula nulla fuit; — cf., *Her.*, XVIII, 132; *Ars Am.*, II, 561;

aut is de quo maligni uolitant rumores :
Tib., I, IV, 83 : ne turpis fabula flam; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 21.

Facere est amorem exercere :
Cat., CX, 5 : aut facere ingenuae est aut non promisse pudicae; — cf. Cat., CX, 2; Ou., *Am.*, I, X, 24; III, IV, 4; III, XIV, 8, 15; *Her.*, XVIII, 64; *Ars Am.*, II, 366, 590, 709, 711; *Rem.*, 779, 781;

aut aliquando amorem inicere aut praebere :
Ou., *Am.*, III, II, 4 : ne tibi non notus, quem facis, esset amor.

Interdum *facere* est male facere :
Cat., LXXV, 4 : omnia si facias.

Vnde fit ut *facta* pro culpis accipiantur, id est uel pro puellarum durioribus fastidiis :
Tib., I, VIII, 28 : persequitur poenis tristia facta Venus; — cf. Prop., I, XVIII, 26; Ou., *Ars Am.*, II, 187;

uel pro perfidiis ac fallaciis :
Ps. Tib., III, VI, 42 : ingrati referens inpia facta uiri; — cf. Prop., III, VI, 21; Ou., *Am.*, II, V, 5; III, XI, 43; *Her.*, X, 150; XVI, 48; *Rem.*, 299;

uel pro audacibus uirorum consiliis :
Ou., *Her.*, XIX, 49 : Paridis factum; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 22; *Her.*, XVI, 25, 32.

Facetus uenustatem significat cum quibusdam salibus iocisque mixtam :
Cat., XII, 9 : leporum dissertus ac facetiarum; — cf. Cat., XLIII, 8; L, 8.

Facies proprio sensu os significat :
Tib., I, IX, 15 : uretur facies; — cf. Tib., I, VIII, 46; I, IX, 69; Ou., *Her.*, XV, 236; Ou., *Ars Am.*, III, 137, 508; *Rem.*, 584; *Trist.*, III, VII, 33; *Fast.*, VI, 699.

Digitized by Google

Sed multo saepius *facies*, etiamsi nullum adiungatur epitheton, oris pulchritudinem exprimit :

Tib., I, v, 43 : facie tenerisque lacertis; — Prop., I, II, 21; I, xv, 6; II, II, 15; II, III, 9; III, XXII, 36; IV, IV, 21, 26; Ou., *Am.*, II, v, 47; *Med.*, 1; *Ars Am.*, I, 232, 621; II, 108, 503; III, 210, 501, 773; *Fast.*, II, 774.

Saepissime autem non solius oris, sed totius corporis pulchritudinem haec uox significat :

Prop., II, XXXIV, 1 : cur quisquam faciem dominae iam credat amico?; — cf. Prop., II, II, 3; II, III, 30; IV, VII, 42; Ou., *Am.*, I, VIII, 33; I, x, 42; II, I, 33; II, III, 13; II, VIII, 11; II, XVII, 7, 11, 12; III, III, 2; III, IV, 27; III, XI, 43, 47; *Her.*, V, 123; VI, 83; XII, 177; XIII, 45; XV, 97, 142, 193, 288, 289; XVI, 38, 93, 173, 252; XVII, 60; XIX, 54, 118; *Med.*, 44; *Ars Am.*, III, 105, 261, 316, 398; *Rem.*, 713; *Fast.*, II, 738; III, 467; IV, 223.

Facilis dicitur qui Amori libenter se tradit :

Tib., I, III, 57 : facilis tenero sum semper Amori; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 358.

Saepius *faciles* uocantur feminae quae erga amantes benignas se praebent :

Tib., II, VI, 27 : Spes facilem Nemesim spondet mihi; — cf. Prop., I, XIII, 22; I, XIV, 10; II, XXI, 15; II, XXIV, 5; II, XXIX, 33; II, XXXIV, 76; Ou., *Her.*, XV, 197; *Ars Am.*, I, 617; III, 475, 547, 579.

Faciles dicuntur etiam qui alieno amori indulgent :

dii :

Prop., I, I, 31; I, IX, 23; Ou., *Her.*, XII, 84;

maritus :

Ou., *Am.*, II, XIX, 57;

custos :

Ou., *Am.*, II, III, 5.

Facundia dicitur nonnumquam ars amoris uerbis exprimendi :

Ou., *Ars Am.*, I, 609 : non tua sub nostras ueniat facundia leges.

Fallere est aliquando spem aut opinionem eludere [1] :

Ou., *Rem.*, 42 : quos suus ex omni parte fefellit amor; — cf. Ou., *Her.*, II, 134; *Ars Am.*, I, 346; *Rem.*, 653.

Saepius *fallere* est custodiam fugere :

Tib., I, II, 15 : ne timide custodes falle; — cf. Tib., I, II, 53; I, VIII, 50, Ps. Tib., III, VI, 12; IV, VI, 12; Ou., *Am.*, II, III, 15; *Ars Am.*, III, 484, 616, 627, 645; *Trist.*, II, 462.

Fallere est quoque uerbis uel facie, sine uero amore, amorem alicuius sibi parare :

Tib., I, IX, 37 : non ego fallere doctus; — cf. Ps. Tib., III, VI, 46; Prop., II, XX,

1. Cf. Prop., II, II, 2 (me conposita pace fefellit Amor), ubi *fallere* est incautum aliquem furtiuo dolo excipere.

Digitized by Google

16; IV, VII, 53; Ou., *Am.*, I, VIII, 85 : III, XIV, 42; *Her.*, II, 63; III, 110; VI, 124; *Ars Am.*, I, 585; III, 443; *Rem.*, 350;

aut promissam uiolare fidem[1] :

Tib., I, VIII, 63 : uel cum promittit, subito sed perfida fallit, — cf. Ps. Tib., III, IV, 62; Prop., I, XIII, 4; IV, I, 140; Ou., *Her.*, V, 133, 134; *Ars Am.*, I, 310, 645, III, 31; *Rem.*, 303; *Fast.*, III, 490.

Fallax est mendax, parum fide dignus. Haec uox modo refertur ad personas :

Tib., I, VI, 15 : fallacis coniunx incaute puellae; — cf. Ps. Tib., III, VI, 47, 51; Prop., II, V, 5; II, XXIV, 16; Ou., *Am.*, II, IX, 43; *Her.*, XVI, 229; *Ars Am.*, III, 33, 456, 641; *Fast.*, III, 487;

modo ad res :

Tib., I, IX, 83 : fallaci resolutus amore; — cf. Prop., IV, VII, 21; Ou., *Her.*, II, 116; *Rem.*, 687.

Falsus est modo fictus arte :

Prop., I, II, 19 : falso candore;

modo mendax :

Ou., *Her.*, II, 32 : in falso ore.

Fama est interdum gloria quam multae in amore uictoriae gignunt :

Prop., I, XIII, 5 : dum tibi deceptis augetur fama puellis;

aut ea quam pulchritudo parit :

Ou., *Her.*, XV, 146 : famaque de forma paene maligna tua est; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 11; I, XIV, 50.

Sed plerumque hoc uerbum ad morum integritatem uitaeque probitatem refertur; at modo in bonam partem accipitur :

Ps. Tib., IV, VII, 9 : uultus conponere famae taedet; — cf. Prop., I, XI, 17; I, XV, 22; I, XVI, 11; II, XXXII, 21; IV, VIII, 20; Ou., *Her.*, IV, 18, 27; VII, 5, 92; XVI, 17, 69, 107, 170; *Ars. Am.*, II, 634;

modo in deteriorem[2] :

Prop., II, XVIII, 37 : credam ego narranti famae; — cf. Prop., II, V, 29; Ou., *Am.*, II, II, 50; III, XIV, 6, 11; *Her.*, IX, 134; XVI, 207; XVIII, 108, 172; *Ars Am.*, III, 453.

Fastidium est contemptus superbiaque erga amantem :

Tib., I, VIII, 69 : oderunt fastidia diui; — cf. Ou., *Her.*, XV, 99; *Rem.*, 305, 542.

Fastus est nonnumquam superbia eorum qui se amari sentiunt :

Prop., II, XXV, 21 : qui pleno fastus adsumis amore;

1. Sic quoque dicitur *falli* fidem, aut iura tori : Ou., *Her.*, VII, 18; XV, 286.
2. Cf., Ou., *Am.*, III, VI, 78 : *famosus pudor*, quasi famae timidus.

Digitized by Google

saepius adrogantia eorum qui amorem spernunt :

Tib., I, VIII, 73 : nunc omnes odit fastus; — cf. Prop., I, I, 3; I, XIII, 27 : I, XVIII, 5; II, XIV, 13; III, XVII, 3; III, XIX, 11; III XXV, 15; IV, V, 42; Ou., *Am.*, II, XVII, 9; *Her.*, IV, 150; *Ars Am.*, I, 715; III, 511; *Rem.*, 511; *Fast.*, I, 419.

Aliquando *fastus* magis e pudore nascitur quam e superbia :

Prop., III, XIII, 10 : quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.

Fateri non modo de culpa dicitur :

Ou., *Am.*, II, IV, 3 : delicta fateri;

sed de cupiditate uel uoluptate quam male celat amans :

Ou., *Ars Am.*, I, 573 : oculis fatentibus ignem; — cf. Ou., *Her.*, IV, 156; XI, 36; XV, 11; XVI, 223; XVIII, 4; XX, 204; *Ars Am.*, II, 689.

Fateri, uel *profiteri*, est quoque aperte prae se ferre :

Prop., II, XXXIV, 89 : haec etiam docti confessa est pagina Calui; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 115; II, 639.

Diffiteri est facta negare :

Ou., *Am.*, III, XIV, 28 : et pudor obscenum diffiteatur opus.

Fatigari dicitur amans cum nimis multa ac uix toleranda ferre cogitur :

Ou., *Am.*, III, XI, 2 : cede fatigato pectore, turpis amor.

Fatum dicitur de calamitatibus quae in amore eueniunt :

Tib., I, V, 69 : mea fata timeto[1]; — cf. Ou., *Her.*, V, 33;

ac praecipue de illa longa miseriarum serie quae nescio qua fortunae potestate inponi amantibus uidetur :

Tib., II, VI, 34 : et mea cum muto fata querar cinere; — cf. Prop., I, VI, 30; Ou., *Her.*, XII, 35.

Est quoque *fatum* mors ab amore exorta :

Prop., II, I, 78 : huic misero fatum dura puella fuit.

Fauilla est amoris, quasi cuiusdam ignis, primum et exiguum semen :

Prop., I, IX, 18 : haec est uenturi prima fauilla mali.

Fauere dicuntur dii amantibus quorum uota adinplere dignantur :

Tib., I, IV, 72 : miseris fletibus illa fauet; — cf. Tib., I, II, 17; Ou., Her., II, 104.

Fauor est alias benigna erga amantem animi propensio :

Ou., *Her.*, II, 64 : simplicitas digna fauore fuit; — cf. Ou., *Am.*, II, II, 56; III, II, 18.

Faustus est amor cuius bonum exitum amantes sperare possunt :

Ou., *Her.*, XI, 113 : parum fausti miserabile pignus amoris.

1. Si ita legendum est cum Mureto, nam codices habent *furta*.

Digitized by Google

Fax interdum proprio sensu accipitur, cum poetae taedas describunt quas iuuenes ferunt ante puellarum ianuam uigilantes :

Prop., I, xvi, 8; Ou., *Am.*, I, vi, 58.

Sed multo saepius *faces* sunt arma Amoris, quibus hominum pectoribus ignem inicit cupiditatis :

Tib., II, i, 82 : ardentes abde faces; — cf. Tib., II, vi, 16; Prop., II, xxix, 5; III, xvi, 16; IV, iii, 50; IV, iv, 70; Ou., *Am.*, I, i, 8; II, ix, 5; III, ix, 8; *Her.*, II, 40; *Ars Am.*, I, 22; *Rem.*, 140, 700; *Pont.*, III, iii, 67.

Alias hoc uerbo significatur ignis amoris a puella concitatus, etiamsi deus Amor non nominetur :

Tib., II, iv, 6 : remoue, saeua puella, faces; — cf., Prop., I, xiii, 26; II, iii, 14; II, vii, 8; Ou., *Her.*, XV, 50; *Rem.*, 434.

De hymenaei quoque *facibus* saepe loquuntur nostri poetae :

Prop., IV, iii, 13 : quae mihi deductae fax omen praetulit; — cf. Prop., IV, xi, 33, 46; *Her.*, VI, 46; XI, 101; XIV, 10; XX, 160.

Fel interdum uocatur ea amarities quae amori inest :

Tib., II, iv, 12 : omnia iam tristi tempora felle madent; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 520.

Felix proprio sensu dicitur qui in amore uel coniugio fortunae sensit fauorem :

Prop., III, xix, 25 : felicius urite taedas; — cf. Ou., *Am.*, III, ix, 55; *Her.*, XI, 105; XVI, 50.

Vnde dicitur quoque *felix* qui in re amatoria ad id quod petebat peruenit :

Cat., C, 8 : sis felix, Caeli, sis in amore potens; — cf. Cat., CVII, 7; Prop., I, x, 29; I, xviii, 7; I, xvi, 28; II, xvii, 11; Ou., *Rem.*, 13.

Felix quoque dicitur qui Veneris gaudiis fruitur :

Prop., II, xv, 1 : o me felicem, o nox mihi candida; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 95, 188; XVII, 184.

Non modo ad homines, sed ad res quoque pertinet saepe hoc uerbum :

Cat., LXIV, 373 : accipiat coniunx felici foedere diuam; — cf. Cat., LXII, 30; LXIV, 25; Ps. Tib., III, iii, 20; III, iv, 80; Prop., I, xiii, 35; I, xvi, 33; II, xxix, 42; II, xxxiii, 43; Ou., *Her.*, XVII, 101; *Fast.*, I, 432.

Nonnumquam *felix* est idem ac iucundus :

Tib., I, v, 19 : mihi felicem uitam fingebam; — cf. Prop., III, vi, 41.

Denique *felicem* dicunt poetae cuicumque fortuna indulserit, plerumque in exclamationibus, aliqua subiacente inuidiosa cogitatione :

Tib., II, i, 80 : felix cui placidus leniter adflat Amor! — cf. Tib., I, v, 18; II, iii, 29; Ps. Tib., III, vi, 43; Prop., I, xii, 15; II, vi, 23; II, xxxiv, 71, 73; III, xii, 15; III, xiii, 25; IV; III, 43; Ou., *Am.*, II, v, 9; II, x, 29; II, xv, 7; III, ii, 7; *Her.*, III, 97; V, 107; XVI, 145; XVIII, 111; *Ars Am.*, II, 448.

Digitized by Google

Femina saepissime apud nostros scriptores reperitur; aliquando ad sexum ipsum pertinet haec uox :

Tib., I, II, 33 : seu uir seu femina flat obuia; — cf. Prop., II, XXXI, 4; III, XIV, 7; Ou., *Am.*, II, III, 1; *Her.*, IV, 75; V, 68; XV, 152; *Med.*, 25; *Ars. Am.*, I, 253, 341; III, 163, 165, 280, 298, 497;

alias ad infirmas puellarum uires :

Prop., III, XI, 58 : femineas timuit minas; — cf. Prop., II, I, 55; III, XI, 1, 30; IV, VI, 22, 57; Ou., *Her.*, II, 65, 112; III, 144; VI, 52; VII, 121; VIII, 6; IX, 115; XI, 20; XII, 118; XIV, 55; *Ars Am.*, III, 437;

saepe ad amatorias res :

Cat., LXIV, 143 : nulla uiro iuranti femina credat; — cf. Cat., LXI, 84, 180; LXIX, 1; Tib., I, V, 41; I, X, 54; IV, XIII, 1; Ps. Tib., III, IV, 61; Prop., I, I, 30; II, VI, 24; II, IX, 4, 32, 35; II, XVIII, 2; II, XXV, 22, 48; III, VIII, 10; III, XV, 9; IV, VIII, 55; Ou., *Am.*, I, X, 36; I, XIII, 36; II, VII, 5; III, III, 44; *Her.*, X, 76; XVIII, 116; *Ars Am.*, I, 97, 273, 420, 566, 658; II, 377, 393, 478, 682, 719, 728; III, 28, 29, 518, 676, 780, 794, 800; *Rem.*, 814.

Aliquotiens reperitur : *mea femina*, *tua femina* :

Ou., *Am.*, III, XII, 44; *Rem.*, 331.

De animalibus mutis dicitur quoque hoc uerbum :

Prop., II, XV, 28 : masculus et totum femina coniugium; — cf., Ou., *Ars Am.*, I, 279, 280; II, 482.

Aliquando *femella* pro *femina* ponitur :

Cat., LV, 7.

Femur in describendis amatoriis uoluptatibus saepe nominatur :

Cat., LXIX, 2 : tenerum subposuisse femur; — cf. Tib., I, VIII, 26; Ou., *Am.*, I, IV, 43; II, IV, 22; III, VII, 10; III, XIV, 22; *Ars Am.*, III, 781.

Ferire pectus est in illud amorem inmittere [1] :

Prop., II, XII, 11 : ante ferit, tuti quam cernimus hostem; — cf. Ou., *Her.*, VII, 189.

Ferox est modo superbus :

Cat., LXIV, 73 : ferox quo tempore Theseus...

saepius erga amorem contumax et rebellans :

Ps. Tib., III, VI, 13-14 : ille ferocem contudit; — cf. Prop., II, III, 40; Ou., *Her.*, IV, 163.

Alias *ferox* dicitur feminae precantis contemptor :

Ou., *Her.*, III, 133 : matrisque ferocior undis.

Denique *ferox* dicitur quoque Amor, id est in homines crudelis :

Ou., *Am*, I, II, 17 : acrius inuitos multoque ferocius urget.

Ferre, perferre est tolerare quaecumque in amore acerba sunt,

1. Cf. Prop., III, III, 30 (austeros arte ferire uiros), ubi agitur de contentione inter riuales.

Digitized by Google

aemulorum contentiones, puellarum adrogantiam uel perfidiam, discidia :

Cat., VIII, 11 : obstinata mente perfer, obdura; — cf. Tib., I, v, 1; Ps. Tib., III, iv, 73; Prop., I, xviii, 25; II, iii, 50; II, viii, 14; II, xxiii, 7; II, xxiv, 40; II, xxxiv, 18; Ou., *Am.*, I, ii, 18; III, xi, 7, 27; *Ars Am.*, II, 168, 178, 222, 516, 524, 533; III, 566, 572; *Rem.*, 15, 218, 226, 506, 622, 642.

Est quoque *ferre* accipere, pati :

Prop., IV, v, 42 : nempe tulit fastus.

Alias *ferre* est adferre munera :

Ou., *Am.*, I, viii, 77 : ianua, laxa ferenti; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 38; *Ars Am.*, II, 280.

Ferre gaudia est praebere, praestare :

Ou., *Rem.*, 778 : illam Plisthenio gaudia ferre toro.

Denique *ferre oscula* saepissime reperitur :

Prop., I, xx, 28; II, vi, 8; II, xviii, 18; Ou., *Am.*, II, v, 25, 26, 27, 28; III, vii, 48; *Her.*, III, 128; *Ars Am.*, II, 325, 534; III, 310.

Ferre est quoque inpetrare, capere, et hoc sensu parum honeste accipitur interdum :

Ou., *Her.*, XV, 159 : aliquid tamen ante tulissem; — cf. Ou., *Her.*, XV, 265; *Rem.*, 322.

Ferre, ut *differre*, nonnumquam est infamare :

Prop., II, v, 1 : tota te ferri Roma.

Ferreus praecipue dicitur qui amoris potestatem non sentit :

Tib., I, ii, 65 : ferreus ille, qui, te cum posset habere...; — cf. Tib., II, iii, 2, 35; Prop., II, viii, 12; Ou., *Her.*, I, 58; III, 138; IV, 14; X, 107; XII, 183; XVI, 136, 137.

Hoc sensu *ferrum* quoque accipitur :

Ou., *Am.*, I, xi, 9 : nec durum in pectore ferrum; — cf. Ou., *Am.*, III, vi, 59; *Her.*, II, 137; XX, 229.

Ad saeuitiam quoque et iracundiam haec uerba referuntur :

Tib., I, x, 59 : lapis est ferrumque, suam quicumque puellam uerberat; — cf. Ou., *Am.*, I, vii, 50; II, v, 11;

et ad crudelitatem eorum qui amantes diuellunt :

Ps. Tib., III, ii, 1-2 : qui primus caram iuueni... eripuit, ferreus ille fuit; — cf. Ou., *Am.*, I, vi, 27;

et ad stultitiam puellarum quae suo corpori non parcunt :

Ou., *Am.*, I, xiv, 28 : capiti, ferrea, parce tuo;

et ad rude nec satis acutum ingenium[1] :

Ou., *Am.*, II, xix, 4 : ferreus est si quis, quod sinit alter, amat.

1. Habet duos alios sensus *ferrum* : alterum, a medendi ratione ortum (Prop., I, i, 27 : fortiter ferrum patiemur); alterum a pugnis cum quibus amantium contentiones conparantur (Ou., *Ars Am.*, II, 743 : quicumque meo superarit Amazona ferro).

Digitized by Google

Feruidus dicitur amor ubi uiolentior est :
Ps. Tib., IV, xii, 1; Ou., *Am.*, I, ii, 46.

Ferus dicitur uel qui crudeli animo amantis dolorem spectat :
Cat., LX, 5 : nimis fero corde; — cf. Ps. Tib., III, iv, 74; Ou., *Her.*, XX, 60;

uel qui humanitatis parum particeps est et quasi barbarus :
Tib., II, v, 103 : ferus ille suae plorabit sobrius idem; — cf. Ou., *Her.*, VII, 160; *Rem.*, 656;

uel qui, uelut indomitus, Amoris iugum ferre recusat :
Tib., I, v, 5 : ure ferum et torque; — cf. Tib., II, vi, 5; Prop., I, v, 12; III, ii, 5;

uel qui nimis seuerus est :
Ou., *Rem.*, 496 : non sunt imperii tam fera iussa mei.

Ferus saepe uocatur Amor, *fera* quae facit :
Ou., *Am.*, III, i, 20 : quem ferus urit Amor; — cf. *Am.*, I, ii, 8; *Her.*, XV, 126; *Ars Am.*, II, 490; III, 572; *Rem.*, 267.

Denique *ferus* est aliquando, sed rarius, ardens, cupidus[1] :
Cat., LXI, 56-58 : tu fero iuueni in manus puellulam dedis.

Fessi dicuntur qui diutius et acrius amoris impetu iactati sunt :
Prop., III, xxiv, 17 : nunc demum uasto fessi resipiscimus aestu.

Fides est aliquando sinceritas aut auctoritas quae facit ut amantes credant :
Ps. Tib., III, vi, 49 : nulla fides inerit; — cf. Ou., *Her.*, XV, 378; *Ars Am.*, II, 314; III, 460, 674, 802.

Sed multo saepius fides est diligentia ac pertinacia qua promissa tuentur uel coniuges aut sponsi[2] :
Prop., IV, iii, 11 : haecne marita fides? — cf. Prop., III, xii, 38; Ou., *Her.*, II, 26, 102; VI, 41; X, 116; XVI, 4; XIX, 7, 182, 186, 212; XX, 223; *Fast.*, III, 485;

uel amantes :
Cat., LXXXVII, 3 : nulla fides nullo fuit umquam foedere tanta; — cf. Tib., I, ix, 32; Prop., I, xii, 8; I, xviii, 18; II, xx, 4, 18, 34; II, xxiv, 42; II, xxvi, 27; III, viii, 19; III, xx, 24; Ou., *Am.*, I, iii, 6, 13; I, x, 37; *Ars Am.*, I, 644; III, 544.

Vnde nonnunquam *fides* pro sacro promisso uel iureiurando accipitur :
Prop., III, vi, 20 : rumpere fidem; — cf. Prop., I, iv, 16; IV, v, 27; IV, vii, 53; Ou., *Am.*, II, xv, 28; III, iii, 1; *Her.*, II, 31; VII, 8, 18, 57.

1. Apud Ou., *Her.*, XIX, 171, *ferus* dicitur riualis Acontii, qui contumax est et peruicax.
2. Apud Prop., III, xiii, 49, *fides* non ad amatorias res refertur (auro pulsa fides, auro uenalia iura).

Digitized by Google

Denique *fidem* tenere dicuntur qui suos amores non uulgo profitentur :

Ou., *Ars Am.*, II, 640 : tectaque sunt solida mystica furta fide.

Fidus et *fidelis*, sicut *fides*, modo ad coniugium pertinent :

Prop., III, XIII, 24 : nec fida Euadne; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 141, 213; *Ars Am.*, I, 353; *Fast.*, II, 813.

saepius ad constantem perpetuumque amorem :

Cat., XLV, 23 : fidelis Acme; — cf. Tib., I, V, 63; I, VI, 77; Ps. Tib., III, IV, 61; Prop., II, XXVI, 30; III, XX, 9, 10; Ou., *Her.*, IV, 140; (cf. Prop., III, XXV, 3 : seruire fideliter).

Interdum haec uerba non ad amantes ipsos referuntur, sed ad res amatorias :

ad amorem uel amores :

Cat., LXIV, 182; Tib., II, II, 11; Ou., *Her.*, II, 21;

ad sermones :

Cat., LXIV, 144;

ad mentem :

Tib., I, VI, 75;

ad torum :

Prop., III, XII, 6;

ad lacrimas :

Ou., *Her.*, XIV, 127 :

Fiducia est eius securitas qui se plane amatum amabilemue esse putat :

Prop., III, XXIV, 1 : falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae; — cf. Ou., *Her.*, XV, 323; XVI, 37, 123; *Ars Am.*, I, 707; II, 349.

Alias inuenitur *fiducia coepti* :

Ou., *Her.*, XVI, 19.

Figere plerumque allegorice de spiculis accipitur quibus Amor hominum pectora uerberat :

Tib., II, I, 71 : fixisse puellas gestit; — cf. Prop., II, IX, 39; II, XIII, 2; Ou., *Am.*, II, IX, 5, 35; *Her.*, XV, 280; *Ars Am.*, I, 23; III, 737.

Aliis in uersibus *fixus* est idem atque in ora amantis intentus :

Prop., I, III, 19 : sic intentis haerebam fixus ocellis; — cf. I, VIII, 15.

Denique interdum *fixus* dicitur is qui ab amante numquam discedit :

Tib., I, V, 62 : in tenero fixus erit latere; — cf. Ou., *Am.*, III, XI, 17.

Figura nonnumquam de uultu ipso dicitur :

Prop., II, XVIII, 23 : ut natura dedit, sic omnis recta figura est; (cf. *Romano ore* uersu 26); — cf. Ou., *Her.*, X, 134; *Rem.*, 423.

Digitized by Google

Figura tamen potius pulchritudinem significat, non solum oris, sed totius quoque corporis [1] :

Prop., III, XIX, 21 : tuque o Minoa uenundata, Scylla, figura; — cf. Prop., I, II, 7; II, XXV, 43; III, XX, 1; III, XXIV, 5; Ou., *Am.*, I, X, 14; *Ars Am.*, II, 143; III, 207.

Atque, ut amor pro amata persona ponitur, ita et *figura* pro pulchris puellis :

Prop., I, IV, 9 : si leuibus fuerit conlata figuris; — cf. Prop., II, XXIV, 41; — cf. etiam Prop., II, XXX, 35 : (Oeagri conpressa figura) ubi Oeagri figura nihil est nisi uir ipse.

Alias, *figura* est modus per quem fit res uenerea :

Ou., *Ars Am.*, II, 679 : uenerem iungunt per mille figuras; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 772; *Rem.*, 407; — eundem sensum habet *figurare*, Ou., *Am.*, III, XIV, 24.

Finis est amandi terminus :

Prop., II, XV, 20 : finem uesani amoris; — cf. Prop., II, III, 45; Ou., *Am.*, II, XIX, 52;

aut aliquando puella ultimo amore dilecta :

Prop., I, XII, 20 : Cynthia finis erit.

Fingere est mentis affectum simulare :

Prop., II, XXIV, 47 : dura est, quae multis simulatum fingit amorem.

aut ueros abscondere affectus sub seuera specie :

Ou., *Her.*, XVI, 15 : si non est fleto tristis mihi uultus in ore;

aut artificiose oris liniamenta parare :

Ou., *Rem.*, 341 : cum se non finxerit ulli;

Firmus is dicitur qui amori resistere certum in animo habet :

Ps. Tib., III, II, 5 : non ego firmus in hoc; — cf. Ou., *Rem.*, 245, 697.

Firmus dicitur quoque constans perpetuusque amor, quem numquam quisquam delere possit :

Ou., *Ars Am.*, II, 340 : si bene nutrieris, tempore firmus erit; — cf. Ou., *Her.*, XV, 170; XVI, 102; XIX, 86; *Ars Am.*, II, 383; *Rem.*, 213.

Flagitare est ab amante munus poscere :

Ou., *Am.*, I, VIII, 68 : quod det, amatorem flagitet ante suum.

Flagitia sunt modo nimiae turpesque uoluptates :

Cat., LXVII, 42 : loquentem me flagitia;

modo erga amicum insidiae :

Prop., II, XXXIV, 12 : posses in tanto uiuere flagitio.

1. Apud Ou , *Her.*, XIV, 97, *figura* de forma hominis et animalis muti dicitur.

Digitized by Google

Flagrare dicuntur proprie oculi amantium in quibus lucere et micare flamma quaedam uidetur :

Cat., LXIV, 91-92 : non prius ex illo flagrantia declinauit lumina.

Sed saepius hoc uerbum translatiue ad animi affectus refertur, seu amore hominem *flagrare* dicunt poetae :

Cat., LXVIII, 73 : coniugis flagrans amore; — cf. Cat., LXVII, 25 ; Prop., II, III, 33; III, XIX, 13; Ou., *Am.*, I, XIII, 31.

seu amorem in homine *flagrare* :

Prop., I, XIII, 23 : flagrans amor Herculis; — cf. Ou., *Her.*, XV, 126;

Flagrare quoque dicitur ira e contempto amore nata :

Cat., LXVIII, 139 : coniugis in culpa flagrantem concipit iram.

Flammam in corpore sentire dicuntur qui amore permouentur :

Cat., LI, 9-10 : tenuis sub artus flamma demanat; — cf. Cat., LXI, 171; LXIV, 92; C, 7; Ou., *Am.*, III, X, 26; *Rem.*, 53, 103.

Sed saepius, ad originem huius uerbi non respicientes, *flammam* ponunt poetae pro amore uiolento :

Ou., *Trist.*, II, 383 : caecae flamma nouercae;

uel simpliciter pro amore :

Ou., *Ars Am.*, I, 80 : flammaque in arguto saepe reperta foro; — cf. Ou., *Am.*, II, I, 8; *Her.*, XII, 38; XV, 3, 27; XVII, 177; XVIII, 94, 129; XIX, 14, 56; *Ars Am.*, I, 282, 335, 526; III, 29; *Rem.*, 485, 734; *Trist.*, II, 373.

Denique *flamma* pro persona quae flammam uel amorem gignit ponitur interdum :

Prop., II, XXXIV, 86 : Varro Leucadiae maxima flamma suae.

Flatus translatiue felicem uel infelicem amoris euentum significat :

Prop., II, XXV, 27 : mendaces ludunt flatus in amore secundi.

Flauus plerumque dicitur capillus :

Cat., LXVI, 62 : flaui uerticis exuuiae; — Cat., LXIV, 63; LXVIII, 130; Tib., I, I, 15; I, V, 44; Ou., *Am.*, I, I, 7, 8, 20; I, XIII, 2; I, XV, 35; II, IV, 43; III, X, 3; *Her.*, V, 122; XII, 11; XVIII, 135; XIX, 57; *Fast.*, II, 763; IV, 424; V, 600; VI, 652.

Flauus alias dicitur oris color, quasi roseus :

Ou., *Her.*, IV, 72 : flaua uerecundus tinxerat ora pudor; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 39; III, VII, 23.

Denique *flauus* idem ualet atque aureus in hoc exemplo :

Tib., II, II, 18 : flauaque coniugio uincula portet Amor.

Flectere est seu precibus, seu minis, seu quauis alia ratione, animos mouere eorum qui amori repugnant :

Cat., LXIV, 136-137 : crudelis flectere mentis consilium; — cf. Cat., LXIV, 330 (flexanimo amore); Ps. Tib., III, IV, 63; Prop., I, VIII, 39; I, XIX, 24; Ou., *Her.*, IV, 165; XVI, 44.

Digitized by Google

Flere saepissime apud nostros poetas occurrit, et modo ex amantium morbis aut mortibus *fletus* oriuntur :

Tib., II, IV, 46 : ardentem flebitur ante rogum ; — cf. Tib., I, I, 61 ; Ps. Tib., III, II, 12 ; IV, IV, 21 ; Prop., II, IX, 27 ; II, XIII, 51 ; III, XII, 13 ; Ou., *Her.*, XVII 101 ; XVIII, 88 ; XIX, 75 ; *Ars Am.*, II, 325 ; III, 432 ;

modo ex amantium absentia :

Tib., I, I, 52 : quam fleat ob nostras ulla puella uias ; — cf. Tib., I, II, 76 ; I, III, 14 ; Prop., I, XV, 9 ; II, VII, 2 ; III, XII, 31 ; Ou., *Her.*, VIII, 86 ; XVII, 117 ; *Rem.*, 777 ;

saepius e dolore ob contemptum amorem aut e metu ne contemnatur :

Cat., LXVIII, 55 : adsiduo tabescere fletu ; — cf. Cat., XCIX, 5 ; Tib., I, IV, 72 ; I, VI, 83 ; I, VIII, 68 ; I, IX, 29, 70 ; II, IV, 37 ; II, VI, 35 ; Ps. Tib., III, VI, 40 ; Prop., I, IV, 23 ; I, V, 15, 30 ; I, XII, 15 ; I, XIII, 16 ; I, XV, 40 ; I, XVI, 48 ; I, XVIII, 6, 15 ; I, XX, 16 ; II, V, 8 ; II, XVI, 31, 54 ; II, XX, 1 ; III, VI, 9 ; III, XVI, 8 ; III, XX, 29 ; III, XXV, 7 ; IV, IV, 29 ; Ou., *Am.*, I, VII, 16 ; *Her.*, X, 43 ; XV, 242 ; *Ars Am.*, I, 533 ; II, 188 ; *Rem.*, 36, 215, 494, 588.

Aliquotiens de illis ueris fictisue lacrimis hoc uerbum dicitur, quibus puellae uirorum amorem inpetrare aut retinere conantur :

Tib., I, IX, 37 : quin etiam flebas : at non ego fallere doctus... ; — cf. Prop., III, XXV, 6 ; Ou., *Ars Am.*, II, 458, 459 ; *Rem.*, 690.

Alias haec uox ad puellas refertur quae in rixis a uiris laesae sunt :

Tib., I, X, 55 : flet teneras subtusa genas ; — cf. Tib., I, X, 64 ; Ou., *Am.*, I, VII, 4 ; *Ars Am.*, III, 570.

Flere quoque dicuntur amantes quos irae uel perfidiae suae paenitet :

Tib., I, X, 56 : flet sibi dementes tam ualuisse manus ; — cf. Prop., II, XVII, 18.

Denique *flet* pudica uirgo nuptiarum tempore :

Cat., LXI, 81-82 : flet quod ire necesse est ; flere desine.

Flos translatiue dicitur de uirginitate :

Cat., LXIV, 401 : innuptae flore nouercae ; — cf. Cat., LXII, 46 ;

aut de iuuentute [1] :

Cat., LXVIII, 16 : iucundum cum aetas florida uer ageret ; — cf. Cat., XVII, 14 ; LXI, 186 ; LXIV, 251, Tib., I, VIII 47 ; Ou., *Ars Am.*, II, 605 ; III, 79.

Alias *flos* dicitur qui inter aequales enitet et praestat :

Cat., C., 2 : flos Veronensum iuuenum ; — cf. Cat., XXIV, 1 (flosculus) ; LXIII, 64.

Fluctuare est calamitatibus ac doloribus amatoriis, uelut turbido mari, huc illuc ferri :

Cat., LXIV, 62 : magnis curarum fluctuat undis ; — cf. Cat., LXIV, 98.

1. Apud Cat., LXI, 57 (floridam puellulam), simul iuuentutem et uirginitatem significat id uerbum.

Digitized by Google

Flumen aliquando dicitur cursus quem in amore aliquis tenet :

Prop., II, IV, 19 : tranquillo descendis flumine.

Foedus semper ad corporis deformitatem refertur :

Tib., I, IX, 73 : corpora foeda podagra; — cf. Prop., II, XVI, 24; Ou., *Ars Am.*, III, 247.

Item *foedare* :

Tib., II, VI, 43 : oculos foedare loquaces.

Foedera saepe sunt coniugalia iura ac promissa :

Cat., LXIV, 373 : accipiat coniunx felici foedere diuam; — cf. Cat., LXIV, 335; Ou., *Her.*, IV, 17; V, 101; *Trist.*, II, 536; *Ibis*, 15; *Pont.*, III, I, 73.

Foedus est quoque pacta inter amantes fides :

Cat., CIX, 6 : aeternum hoc sanctae foedus amicitiae; — cf. Cat., LXXXVII, 3; Tib., I, IX, 2; IV, XIII, 2; Prop., II, IX, 35; III, XX, 21, 25; IV, III, 69; IV, VII, 21; Ou., *Her.*, VII, 9.

Peculiariter *foedus* iungere dicuntur amantes, cum in gratiam dominae redire uolunt eiusque accipiunt leges :

Prop., IV, VIII, 71 : supplicibus palmis tum demum ad foedera ueni; — cf. Prop., III, XX, 15.

Foedus est etiam inter amantes consensus et conloquium :

Ou., *Ars Am.*, II, 579 : ueniunt ad foedus amantes; — cf. Ou., *Her.*, IV, 147.

Denique capta mutuo Veneris gaudia *foedus* quoddam efficere uidentur firmum ac stabile :

Tib., I, V, 7 : per furtiui foedera lecti; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 462; III, 593.

Fores saepe nominant poetae, cum eas claudi doleant, aut ante eas iaceant, aut preces effundant, aut coronas ponant :

Tib., I, I, 56; I, II, 93; I, V, 74; I, IX, 44; I, X, 54; II, VI, 12; Prop., II, V, 22; II, VI, 2; II, XVII, 16; III, VII, 72; Ou., *Am.*, I, IV, 62; I, VI, 2, 50, 54, 62 74; I, IX, 8, 20; II, I, 17, 22, 27; II, XIX, 38; III, XI, 9; *Ars Am.*, II, 526, 635; III, 581, 687; *Rem.*, 32, 304.

Forma raro liniamenta corporis significat :

Ou., *Am.*, I, V, 20 : forma papillarum; — cf. Ou., *Am.*, III, III, 7; *Fast.*, III, 763;

multo saepius ad totam pulchritudinem refertur :

Tb., I, IX, 17 : auro ne pollue formam; — cf. Tib., I, IV, 36; I, IX, 51; II, IV 35; Prop., I, II, 24; I, IV, 5; I, XIX, 15; II, XXVIII, 14, 57; II, XXXIII, 33; III, II, 16; III, X, 17; III, XI, 17; III, XXIV, 1; III, XXV, 12, 18; Ou., *Am.*, I, VIII, 25, 63; I, XIII, 44; II, III, 14; III, III, 12; III, XII, 9; *Her.*, III, 35; IV, 64; XV, 12, 69, 70, 87, 146, 192, 203, 308; XVI, 120, 125, 180; XVII, 68; XIX, 63; XX, 33; *Med*, 32; *Ars Am.*, I, 246, 614, 623, 624, 683, 707; II, 296; III, 433; *Rem.*, 459, 460, 475; *Fast.*, I, 419; IV, 867; V, 85, 109; VI, 44, 807.

Aliquotiens *forma*, id est pulchritudo corporis, ab aliis dotibus discernitur :

Digitized by Google

ab animi morumque uirtutibus :

Cat., LXIV, 173 : celans dulci crudelia forma consilia; — cf. Prop., II, v, 28; Ou., *Am.*, III, xi, 37, 42; *Her.*, VI, 94; XV, 51, 290; XVI, 174; *Med.*, 45; *Ars Am.*, II, 108, 113, 119; *Trist.*, III, vii, 35; *Fast.*, IV, 136; VI, 805;

a magica potestate :

Tib., I, viii, 24 : forma nihil magicis utitur auxiliis;

a uoluptatis peritia :

Prop., I, iv, 11 : haec sed forma mei pars est extrema furoris;

ab ingenii laudibus :

Prop., II, xiii, 9 : non ego sum formae tantum mirator honestae;

a fama :

Prop., II, xx, 19; quod si nec nomen nec me tua forma teneret; — cf. Prop., III, xx, 7;

a loquendi scientia :

Ou., *Ars Am.*, III, 482 : et nocuit formae barbara lingua bonae.

Aliquando *forma* est adquisita et culta pulchritudo :

Tib., I, viii, 43 : tum studium formae est; — cf. Prop., I, ii, 8; Ou., *Ars Am.*, III, 134, 205, 217, 234.

Alias *forma* est naturalis pulchritudo, sine curis et ornamentis enitens :

Ou., *Rem.*, 350 : forma sine arte decens; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 509; III, 103, 258;

Nonnullis in locis *forma* est pulchritudinis certum aliquod genus :

Prop., II, xxv, 44 : utraque forma rapit; — cf. Prop., II, xviii, 32; II, xxix, 30; III, xi, 16; Ou., *Am.*, II, iv, 9; III, I, 9; *Her.*, IV, 76.

Denique *forma* aliquotiens ponitur pro formosa femina [1] :

Prop., II, iii, 32 : post Helenam forma secunda; — cf. Prop., II, xxviii, 53.

Formosus, sicut *forma*, plerumque ad pulchritudinem totius corporis spectat :

Tib., I, i, 55 : me retinent formosae uincla puellae; — cf. Tib., II, iii, 11; IV xiii, 4; Ps. Tib., III, iv, 25, 57; Prop., I, xvii, 25; I, xix, 13; I, xx, 52; II, iii, 53; II, viii, 35; II, xxix, 25; II, xxxiii, 36; II, xxxiv, 91; III, viii, 35; III, xxiii, 13; Ou., *Am.*, I, vi, 63; I, vii, 13; I, viii, 27; I, ix, 43; II, x, 5; II, xiv, 19; II, xv, 1, 17; II, xix, 37; III, iii, 18; III, vii, 1; *Her.*, VII, 83; IX, 78; XII, 35; XIII, 43; XIV, 88; XVII, 73; XIX, 53; *Ars Am.*, I, 55, 250; II, 123; III, 417, 605, 733; *Rem.*, 711; *Trist.*, III, vii, 37; *Fast.*, II, 161; IV, 129, 173, V, 339.

Hoc sensu saepe *formosus* sumitur absolute ac substantiue [2] :

Tib., II, iii, 65-66 : formosas tristibus agris abdere; — cf. Tib., I, ix, 6; Ps. Tib., III, i, 7; IV, iv, 4; Prop., II, xiii, 55; II, xvi, 26; II, xxii, 20; II, xxiv, 40; II, xxviii, 2, 10, 27, 49; II, xxxii, 26; II, xxxiv, 4; IV, iv, 52; Ou., *Am.*, I, VIII, 43; I, x, 47; III, iii, 31; III, iv, 41; *Her.*, XV, 144, 271; XVI, 97; XVII, 73; *Ars Am.*, I, 134; II, 117; III, 257; *Rem.*, 709.

1. Similis sensus inesse uidetur his uersibus : Ou., *Her.*, XV, 133; XVIII, 131; *Ars Am.*, III, 335; *Fast.*, II, 777, 778.

2. Idem sensus reperiri uidetur apud Prop., I, xv, 8 : ut formosa nouo quae parat ire uiro.

Digitized by Google

Peculiariter *formosae* dicuntur singulae corporis partes :
uultus :
Ou., *Am.*, II, I, 37;

comae :
Ou., *Am.*, I, XIV, 31;

lacerti ac manus :
Prop., III, VIII, 6; Ou., *Am.*, III, VIII, 11; *Her.*, XVII, 16; *Rem.*, 319; *Pont.*, I, X, 12;

pedes et pedum motus :
Prop., I, XVIII, 12; II, III, 17.

Formosa dicitur quae omnes dotes in se coniungit, nec solum magna et recta est, sed uenusta, arguta :
Cat., LXXXVI, 1, 3, 5.

Denique id uerbum usurpant poetae ut pulchritudinem corporis a moribus seiungant :
Prop., II, XXIV, 18 : tam te formosam non pudet esse leuem? — cf. Ou., *Am.*, II, XVII, 6; III, XI, 41; III, XIV, 1.

Formula, sicut in iurisconsultorum sermone, de legibus dicitur quas puella uiro iniungit :
Prop., IV, VIII, 74 : accipe, quae nostrae formula legis erit.

Fortiter ferire allegorice dicitur Amor :
Ou., *Am.*, I, I, 23; lunauitque genu sinuosum fortiter arcum; — cf. Ou., *Rem.*, 435.

Fortes quoque dicuntur amantes qui repugnantes uincere student :
Tib., I, II, 16 : fortes adiuuat ipsa Venus; — cf. Tib., IV, XIII, 19.

uel contra qui amorem caecum sequi nolunt, sed sui compotes manent :
Tib., I, V, 2 : at mihi nunc longe gloria fortis abest; — cf. Ps. Tib., III, II, 6; Prop., I, I, 27; I, V, 14; Ou., *Her.*, IV, 74; VII, 180; XVIII, 6; *Rem.*, 442, 675.

Fortes quoque uocantur (ironice) qui in rixis saeui sunt :
Ou., *Am.*, I, VII, 38 : forti uicta puella uiro est; — cf. Ou., *Am.*, I, VII, 26.

Denique hoc uerbo nonnumquam significatur venereus uigor :
Ou., *Am.*, III, VII, 42 : possit Tithonos annis fortior esse suis; — cf. Ou., *Am.*, II, X, 28.

Fortuna est modo fatum quod amantibus tristes inponit curas :
Prop., I, VI, 25 : me quem semper uoluit fortuna iacere; — cf. Prop., II, XXII, 17;

modo laeta et prospera occasio :
Ou., *Am.*, II, XIX, 7 : quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet? — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 69; III, VII, 49.

Digitized by Google

Fortunatus est cui bene consuluit Amor uel fortuna :
Prop., III, II, 15 : fortunata, meo si qua est celebrata libello!

Fouere est proprie amantem, sinu exceptum, calore simul ac blanditiis recreare :
Tib., I, VIII, 30 : ut foueas molli frigida membra sinu; — cf. Prop., II, XVIII, 9; Ou., *Her.*, XI, 58; XVIII, 62; XX, 190.

Vnde fit ut saepe *fouere* idem sit ac blandiri, uoluptarie tangere :
Tib., I, VI, 6 : nescio quem tacita callida nocte fouet; — cf. Prop., II, XXII, 37; Ou., *Am.*, I, IV, 5; *Her.*, XV, 224; XVI, 56.

Fouere ignes amoris est eos calefacere :
Ou., *Her.*, IV, 15 : ut nostras auido fouet igne medullas; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 15.

Frangere est duritiam uincere eorum qui amantes repellunt :
Tib., I, VIII, 67 : desistas lacrimare, puer : non frangitur illa;— cf. Prop., I, XIV, 17; II, XVIII, 2; II, XXXIII, 25.

Fracti quoque dicuntur qui ob amorem aut dolorem sui iam non conpotes sunt neque ullas uires retinent :
Ps. Tib., III, II, 6 : frangit fortia corda dolor; — cf. Prop., II, XVII, 4; II, XXXIV, 34; III, XXI, 33.

Frangere est etiam amoris impetui obstare :
Prop., III, XIX, 10 : rapidae stimulos frangere nequitiae.

Denique apud nostros poetas reperitur *frangere* iura pudicitiae :
Prop., IV, V, 28;

aut amoris iugum :
Prop., III, XI, 4.

Frater pro amante aliquotiens accipitur[1] :
Ps. Tib., III, I, 23 : uir quondam, nunc frater; — cf. Ps. Tib., III, I, 52.

Fraudes sunt doli quibus utuntur amantes, uel ut fidem abrumpant :
Prop., III, VI, 38 : iram, non fraudes, esse in amore meo; — cf. Prop., II, IX, 31; II, XX, 3; IV, VII, 63; Ou., *Her.*, X, 76; *Ars Am.*, I, 644; III, 32.

uel ut sibi amorem concilient :
Ou., *Her.*, XII, 91 : uidi etiam lacrimas : a! pars est fraudis in illis; — cf. Ou., *Her.*, XII, 120; *Ars Am.*, III, 491;

Frena pudoris aliquando reperiuntur :
Prop., III, XIX, 3.

Frigidus saepe ad corpus spectat, cum poetae, ad depingendam

1. Alius est sensus, non amatorius, apud Ou., *Her.*, III, 52, ubi Briseis fratris mortui locum habere Achillem dicit.

Digitized by Google

amantium maestitiam et anxietatem, sudorem frigidum horroremque et tremorem describunt :

Cat., LXIV, 131 : frigidulos singultus; — cf. Prop., II, XXII, 12; Ou., *Am.*, III, XIV, 38; *Her.*, I, 22; IX, 135; X, 32; XII, 142; XIV, 38; XVIII, 192.

Frigida quoque dicuntur seniorum membra :

Tib., I, VIII, 30 : ut foueas molli frigida membra sinu.

Frigidus est qui, ab amante desertus, solus noctem exigit :

Ou., *Am.*, III, V, 42 : frigidus in uiduo destituere toro; — cf. Ou., *Her.*, I, 7; XVIII, 69; *Ars Am.*, III, 70; — cf. quoque Prop., IV, VII, 6, ubi non amans, sed amantis lectus *frigidus* dicitur.

Aliquotiens hoc uerbum ad mentis affectum refertur eius qui amorem parum curat :

Ou., *Rem.*, 492 : frigidior glacie fac uideare tuae; — cf. Ou., *Am.*, II, I, 5; II, VII, 9.

Fructus est gaudium ac uoluptas :

Cat., LV, 10 : fructus proicies amoris omnes; — cf. Prop., II, XV, 49, et (turpiore quidem sensu), Ou., *Rem.*, 103;

aut commoda quae per laborem et curas amans sibi adquirere studet:

Prop., III, XX, 30 : semper amet, fructu semper amoris egens; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 25;

aut utilitas quam e pulchritudine femina haurire potest :

Ou., *Ars Am.*, III, 398 : fructus abest, facies cum bona teste caret.

Frui dicuntur amantes cum id quod uolebant impetrauerunt :

Tib., I, V, 17 : fruitur nunc alter amore; — cf. Ps. Tib., III, III, 32; Prop., I, X, 28; II, I, 48; II, IX, 24; Ou., *Am.*, II, IX, 46; *Her.*, II, 79; XIX, 72, 118.

Aliquando minus honesta est huius uocabuli significatio, nam dicunt nostri poetae :

frui puella :

Ou., *Rem.*, 537;

aut *frui* amplexu puellae :

Ou., *Her.*, XV, 216;

aut *frui* loco aut parte sui corporis :

Ou, *Am.*, III, VII, 6; *Ars Am.*, III, 800.

Fugare est amantium nascentia studia abolere :

Ou., *Ars Am.*, III, 132 : per quas nos petitis, saepe fugatis, opes; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 153; III, 300.

Fugare Amorem est eum de animo expellere :

Prop., III, XXI, 5 : quacumque fugari possit (Amor); — cf. Ou., *Rem*, 858.

Fugere proprio sensu est procul ab amante discedere :

Prop., II, XXX, 1 : quo fugis, a! demens? nulla est fuga; — cf. Prop., I, XVII,

Digitized by Google

1; II, xxxii, 18; III, xii, 31; Ou., *Her.*, II, 47; VIII, 110; X, 35; *Rem.*, 224, 380, 723.

Alias, etiamsi nullo modo de itinere agatur, *fugere* est amorem uitare :

Cat., VIII, 10 : nec quae fugit sectare; — cf. Cat., XXXVII, 11; Tib., I, ix, 74; Ou., *Am.*, I, xiii, 37; II, xix, 36; III, xi, 37; *Her.*, II, 81; *Ars Am.*, I, 717.

Fugere est quoque aliquando imperio Amoris sese subducere :

Tib., IV, xiii, 22 : nec fugiam notae seruitium dominae; — cf. Ou., *Am.*, III, xi, 3.

Interdum *fugere* dicuntur feminae quae se abire simulant, quo uiolentius uirorum amorem accendant :

Ou., *Ars Am.*, I, 345 : Bacchae fugiuntque petuntque.

Fugere aliquotiens ad amorem iam desinentem refertur :

Prop., I, xii, 12 : quantus in exiguo tempore fugit amor; — cf. Ou., *Her.*, 22; *Rem.*, 260.

Fulgens dicitur de oris aut corporis candido simul ac nitido colore :

Cat., LXVIII, 71 : fulgentem plantam; — cf. Tib., I, viii, 31; Prop., II, i, 5; Ou., *Med.*, 68.

Fulgor non plane eundem sensum habet ac *fulgere*, sed aliquid in se habet uiuidius ac fortius :

Ou., *Ars Am.*, II, 721 : oculos tremulo fulgore micantes.

Sic quoque *fulminare* dicuntur oculi feminarum :

Prop., IV, viii, 55.

Fulmini saepe conparatur amantium infelicitas, per quandam exaggerationem :

Ou., *Am.*, II, i, 20 : clausa tuo maius ianua fulmen habet; — cf. Ou., *Am.*, I, vi, 16.

Fulua, etsi raro, aliquando dicitur puellae coma :

Prop., II, ii, 5.

Fundi est cum amante quam artissime coniungi :

Prop., II, xvi, 24 : candida tam foedo bracchia fusa uiro; — cf. Ou., *Her.*, II, 93.

Funera saepe dicuntur dolores aut mortes eorum qui amore nimium turbati sunt :

Prop., II, iv, 13 : subito mirantur funus amici; — cf. Prop., II, i, 56.

Furor est ea insania simul amatoria atque religiosa, qua nonnulli tenentur :

Cat., LXIV, 254 : lymphata mente furebant (Bacchae); — cf. Cat., LXIII, 4, 31, 38, 78, 79, 92; Ou., *Ars Am.*, II, 106.

Digitized by Google

Alias *furor* est maestitia amantis :

Cat., LXIV, 54 : indomitos in corde gerens Ariadna furores; — cf. Cat., LXIV, 124, 197; Ou., *Her.*, IX, 145; XIII, 34.

Aliis in uersibus *furere* est irasci aut uiolenter riualem suspicere :

Tib., I, vi, 73-74 : uenerit iste si furor; — cf. Prop., IV, viii, 52; Ou., *Am.*, I, vii, 2 et 3; II, ii, 13; *Her.*, V, 60; *Ars Am.*, II, 451; III, 709; *Fast.*, II, 177.

Ac saepissime *furor* pro ualido ardentique amore ponitur, tamque potenti ut eum, quasi mente capti, regere non possint amantes :

Cat., LXVIII, 120 : sed tu horum magnos uicisti sola furores; — cf. Cat., XV, 14; L, 11; LXIV, 94; Prop., I, i, 7; I, iv, 11; I, v, 3; I, xiii, 20; Ou., *Her.*, IV, 51; XV, 237; XIX, 207; *Ars Am.*, I, 281, 342; II, 487; *Rem.*, 119, 497, 581; *Fast.*, II, 762; — cf., Prop., IV, iv, 68 : Furiis adcubuisse nouis; Ou., *Fast.*, II, 761 : furiatos ignes. (Furor in triumpho Amoris ponitur ab Ou., *Am.*, I, ii, 35).

Denique *furor* dici potest is qui furorem uel iram amantis incitauit :

Prop., I, xviii, 15 : ut tibi sim merito semper furor.

Furta sunt aliquando audacia ac rapacia riualium consilia :

Prop., III, viii, 39 : si qua data est furandae copia noctis.

Saepius uocabula *furtum*, *furtim*, *furtiuus*, ad amantes referuntur qui clam et dolose conueniunt :

Cat., VII, 8 : sidera... furtiuos hominum uident amores; — cf. Cat., LXV, 19; Tib., I, v, 7, 65; II, v, 53; Ps. Tib., IV, v, 7; Prop., I, xvi, 20; II, ix, 42; III, xiii, 33; Ou., *Am.*, I, xi, 3, *Her.*, VI, 43; XI, 38; XVI, 261; XVII, 54, 64, 109; *Ars Am.*, I, 33, 275; II, 246, 617, 640, 730; III, 640; *Rem.*, 33; *Trist.*, II, 432, 440; *Pont.*, I, iv, 41; *Fast.*, III, 22; VI, 337, 573.

Et quia ii qui adulterio dediti sunt clandestinum amorem requirunt, *furtum* idem ualet atque adulterium, uiolata promissa, seu de coniugibus legitimo foedere iunctis agitur :

Cat., LXVIII, 145 : furtiua munuscula; — cf. Cat., LXVII, 41; — cf. Tib., I ii, 10, 19, 34; II, i, 73; I, ix, 55; Prop., II, ii, 4; II, xxiii, 22; II, xxx, 28; Ou., *Her.*, XV, 291, 292, 300; XVI, 141, 265; *Trist.*, II, 347; *Pont.*, III, iii, 56; *Fast.*, II, 183; VI, 555;

seu de amantibus adeo sese inuicem amare consuetis ut quasi coniuges esse uideantur :

Cat., LXVIII, 136 : rara uerecundae furta feremus erae; — cf. Tib., I, v, 75; I, vi, 5; I, viii, 35, 57; Ps. Tib., IV, iii, 21; Prop., IV, vii, 15; IV, viii, 34; Ou., *Am.*, I, iv, 18, 64; II, ii, 15; II, v, 6; II, viii, 3, 8; II, xix, 39; *Ars Am.*, II, 389, 428, 555; *Trist.*, II, 461.

Furtim est tamquam sensim ac prudenter :

Ou., *Ars Am.*, I, 619 : blanditiis animum furtim deprendere nunc sit; — cf. Ou., *Rem.*, 212.

Digitized by Google

Fuscus numquam ad capillorum, semper ad oris colorem uidetur pertinere :

Prop., II, xxv, 41-42 : uidistis pleno teneram candore puellam, uidistis fusco; — cf. Ou., *Am.*, II, viii, 22; *Ars Am.*, I, 513; III, 191.

Hic color non magnas laudes accipere solet :

Ou., *Am.*, II, iv, 40 : est etiam in fusco grata colore uenus; — cf. Ou., *Fast.*, III, 493.

Non tamen omnino deformes putantur esse *fuscae* puellae, minus certe quam nigrae :

Ou., *Ars Am.*, II, 657-658 : fusca uocetur nigrior Illyrica cui pice sanguis erit; — cf. Ou., *Rem.*, 327 : si fusca est, nigra uocetur.

Garrulus ad iocosos amatoriosque simul sermones refertur :

Prop., III, xxiii, 18 : garrula cum blandis ducitur hora dolis.

Gaudere est aliquando aliquam uoluptatem capere ex re [1] :

Prop., I, iii, 23 : et modo gaudebam lapsos formare capillos; — Prop., I, xii, 16; II, i, 8; II, vii, 1; II, viii, 18; III, vi, 23; IV, viii, 63; Ou., *Her.*, XII, 22; *Ars Am.*, I, 345, 676, 678.

Peculiariter autem *gaudium* dicitur laetitia qua tenetur amans cui res feliciter geruntur :

Cat., LXIV, 95 : sancte puer, curis hominum qui gaudia misces; — cf. Cat., LXIII, 103; LXXVI, 6; XCVI, 6; Tib., IV, xiii, 8; Ps. Tib., III, iii, 7; III, vi, 33; Prop., I, xii, 18; I, xiii, 24; I, xiv, 13; II, xviii, 15; II, xxiv, 17; II, xxv, 30; Ou., *Am.*, II, ix, 44, 50; II, xix, 58; *Her.*, XX, 115, 203; *Ars Am.*, III, 661; *Rem.*, 14.

Saepissime hoc uocabulum amatorias corporeasque uoluptates significat [2] :

Cat., LXVIII, 125 : nec tantum niueo gauisa est ulla columbo conpar; — cf. Cat., LXI, 110, 112; Tib., I, v, 39; II, i, 12; II, iii, 72; Ps. Tib., IV, iii, 18; IV, vii, 5; Prop., I, iv, 14; II, xiv, 9; III, viii, 30; IV, iii, 11; Ou., *Am.*, I, x, 32; II, iii, 2; II, v, 20; III, vi, 88; III, vii, 63; *Her.*, III, 112; XIII, 108; XV, 204, 291, 319; XVI, 107, 204; XVII, 107; XVIII, 3, 68; *Ars Am.*, II, 308, 419, 459, 481, 689, 719; III, 88, 402, 798, 805; *Rem.*, 401, 522, 728, 778; *Fast.*, I, 431.

Ideoque, ut amor pro amata persona ponitur, sic *gaudium* ponitur nonnumquam pro ea persona e qua aliquis gaudia suscipit :

Ou., *Her.*, XVIII, 41 : iamne putas exisse domo mea gaudia? — cf. Ou., *Her.*, XVII, 43 (idem sensus esse uidetur apud Prop., I, xix, 9 : cupidus falsis adtingere gaudia palmis).

Gemitus sunt modo querelae :

Ou., *Her.*, VI, 153 : quod gemit Hypsipyle; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 107;

modo amatoria blandaque uocabula :

Ou., *Ars Am.*, II, 724 : et dulces gemitus aptaque uerba ioco.

1. Apud Ps. Tib., III, iv, 60, *gaudere* est quasi contentum esse, satis habere (nec gaudet casta nupta Neaera domo).
2. *Gaudere* in puero, Prop., II, iv, 18, est adamare puerum.

Digitized by Google

Genae saepe a nostris poetis nominantur :
Ou., *Am.*, II, v, 40; *Her.*, V, 72; X, 44, etc.

Gestus est bracchiorum motus quem puellae faciunt, praesertim cum saltant :
Ou., *Am.*, II, iv, 29 : illa placet gestu numerosaque bracchia ducit.

Gloria dicitur eius uictoriae laus qua femina sibi subicit amantem :
Tib., I, viii, 49 : puero quae gloria uicto est?

Gloria quoque est superbia eius qui se ab amore liberatum putat :
Tib., I, v, 2 : at mihi nunc longe gloria fortis abest.

Alias *gloria* est ea laus quam sibi iuuenes adrogant cum puellas deceperunt aut sibi conciliauerunt :
Prop., II, xxi, 9 : dispeream si quicquam aliud quam gloria de te quaeritur; — cf. Ou., *Am.*, II, xii, 12; *Her.*, XX, 115; *Ars Am.*, II, 390.

Gloria est quoque fama pulchritudinis :
Ou., *Her.*, XV, 145 : minor est tua gloria uero; — cf., Ou., *Her.*, XV, 148;

aut fama castitatis :
Ou., *Her.*, XVI, 160 : mihi gloria damno est.

Denique ut decus, ita *gloria* quoque ad eos refertur qui inter acquales praestant :
Prop., II, iii, 29 : gloria Romanis una es tu nata puellis.

Gracilitas, ubi ad corpus pertinet, est tenuitas quaedam, non, sicut macies, foeda, sed elegans potius ac uenusta :
Ou., *Ars Am.*, II, 660 : sit gracilis, macie quae male uiua sua est; — cf. Ou. *Ars Am.*, III, 207; *Rem.*, 328.

Graciles quoque dicuntur capilli, id est tenues et lanuginis instar :
Ou., *Am.*, I, xiv, 23.

Gratum dicitur quodcumque iucundum est ac cum fauore accipitur :
Cat., CVII, 2 : hoc est gratum animo proprie; — cf. Cat., CVII, 3; Ps. Tib., IV, vi, 19; Prop., II, ii, 10; II, xxv, 35; IV, iii, 55; Ou., *Her.*, XII, 169; XV, 13; *Med.*, 32; *Ars Am.*, I, 347, 624, 730; *Rem.*, 738.

Ad personas hoc uerbum refertur quae carae sunt amantibus :
Prop., I, xii, 7 : olim gratus eram; — cf. Prop., I, ii, 31; I, xix, 16; *Am.*, II, xiv, 3. 30; *Ars Am.*, III, 752; *Fast.*, III, 468, 493.

Nonnumquam idem uocabulum de parum honestis uoluptatibus usurpatur :
Prop., III, viii, 29-30 : cum grata per arma Tyndaridi poterat gaudia ferre suae; — cf., Ou., *Am.*, I, x, 33; II, iv, 40; *Her.*, XIII, 105; *Ars Am.*, I, 275, 673, 680, 706; II, 687; *Rem.*, 405.

Digitized by Google

Alias *gratia* est blanda quaedam suauitas quae inest seu in uerbis :

Prop., I, II, 29; unica nec desit iucundis gratia uerbis; — cf. Ou., *Her.*, XII, 12;

seu in corporis habitu :

Prop., I, VIII, 30 : sobria grata parum; cum bibit, omne decet; — cf. Prop., I, XIII, 30; Ou., *Ars Am.*, II, 570.

Grati dicuntur qui beneficiorum in amore acceptorum non sunt inmemores :

Ou., *Am.*, II, XVIII, 23 : male gratus Iaso; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 44; *Her.*, VII, 27; X, 142;

grata quae eam memoriam suscitant :

Prop., II, XX, 26 : quidquid eram, hoc animi gratia magna tui; — cf. Ou., *Am.*, II, XV, 3; *Ars Am.*, II, 331.

Gratia mythologice describitur :

Ou., *Ars Am.*, II, 404.

Grauis aliquotiens apud nostros poetas proprio sensu reperitur :

Prop., II, XXIX, 16 : atque oculos mouerit illa graues;

saepius tamen translatiuo. Nam *grauiter* inpendere hominum capitibus dicitur Amor :

Prop., II, XXX, 8 : et grauis ipse super libera colla sedet; — cf. Prop., III, X, 28.

Vnde *graue*, id est uix tolerandum, dicitur saepe amoris imperium :

Tib., II, I, 79 : a! miseri quos hic grauiter deus urget; — cf. Prop., I, V, 19; III, XXI, 2; Ou., *Her.*, IV, 19; XIX, 167.

Ideoque *grauis* amor interdum idem ualet ac magnus amor :

Cat., II, 8 : grauis ardor; — cf. Prop., III, VIII, 10; Ou., *Ars Am.*, III, 575.

Graues quoque sunt querelae cum nimis acerbae sunt :

Prop., I, XVI, 13 : grauibus cogor deflere querelis; — cf. Prop., II, XX, 1.

Alias *grauis* est quasi molestus :

Prop., II, XXIV, 20 : et dicor lecto iam grauis esse tuo; — cf. Prop., I, XII, 14.

Graues preces sunt acres instantesque :

Prop., I, VI, 6.

Denique cum *grauitas sit* leuitati contraria, *graues* dicuntur cum qui constantes in amore manent :

Prop., II, XX, 14 : ne dubita de grauitate mea;

tum qui lusus amatoriaque carmina haud multum curant :

Prop., I, IX, 9 : quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen? — cf. Prop., II, X, 9.

Digitized by Google

Gremium, quod uocabulum frequenti est in usu apud nostros, cum de feminis dicitur, tum quoque de uiris. De feminis :

Cat., III, 8; LXV, 20; Prop., II, XIII, 11; III, VIII, 32; Ou., *Am.*, I, VIII, 37; I, XIV, 53; *Her.*, VII, 184; VIII, 94; IX, 136; XI, 4, 35; XVI, 56; XX, 113; *Ars Am.*, I, 149;

de uiris autem :

Cat., LXVIII, 132, 146; Ou., *Am.*, II, II, 62; II, XVIII, 6; *Her.*, V, 70.

Habere modo ad coniugii ius refertur :

Ou., *Her.*, XVI, 110: inuitam sic me nec Menelaus habet; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 108; XIX, 52;

modo ad amatoriam consuetudinem :

Tib., I, II, 65 : ferreus ille fuit, qui te cum posset habere; — cf. Prop., III, VI, 22; Ou., *Am.*, III, XII, 6; *Rem.*, 441, 442, 483;

modo ad uenerea gaudia :

Prop., III, VIII, 22 ; me doceat liuor mecum habuisse meam; — cf. habere gaudia (Ps. Tib.. IV, VII, 6), habere noctes (Ou., *Rem.*, 306).

Alias *habere* est dominari :

Tib., I, IX, 79 : cum me uinctum puer alter habebit.

Atque *habere*, quod ad amatoria foedera pertinet, est seu amorem inpetrare et sibi conciliare :

Ou., *Ars Am.*, III, 438 : forsitan et plures possit habere uiros; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 524;

seu amorem seruare :

Ou., *Rem.*, 65 : Helenen Menelaus habebit; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 254, 592.

Habile est quodcumque facile tractari et moueri potest. Haec uox refertur cum ad corpus :

Ou., *Ars Am.*, II, 661 : dic habilem, quaecumque breuis; — cf., Ou., *Am.*, I, IV, 37; II, IV, 27, 35;

tum ad animum :

Ou., *Am.*, I, VIII, 40 : noluerint habiles pluribus esse uiris.

Haerere, cum proprie accipitur, duos habet sensus : modo non ab amante discedere neque longe abesse :

Ou., *Am.*, III, XI, 17 : quando ego non fixus lateri patienter adhaesi? — cf. Ou., *Her.*, V, 70;

modo amantis corpus tangere :

Ou., *Am.*, I, IV, 43 : nec crure cohaere; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 484.

Translatiue autem dicitur *haerere* amor in iis quos omnino occupauit :

Prop., I, XIX, 5; non adeo leuiter noster puer haesit ocellis; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 7; *Her.*, IV, 70.

Digitized by Google

Haerere est quoque intentum in aliquem habere seu mentis acumen :

Prop., I, III, 19 : intentis haerebam fixus ocellis;

seu animi affectum :

Prop., II, III, 2 : haesisti, cecidit spiritus ille tuus; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 24; *Ars Am.*, III, 543; *Rem.*, 311.

Haerere quoque amantes dicuntur cum artissime amoris uinculis iunguntur :

Prop., II, XV, 25 : utinam haerentes sic nos uincire catena uelles; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 561.

Etiam *haerere* dicitur amor, — raro quidem, — cum haesitat ac desinit :

Ou., *Rem.*, 430 : in cursu qui fuit haesit amor.

Hamis conparantur interdum puellarum doli machinationesque ad captandos uiros :

Ou., *Ars Am.*, III, 425 : semper tibi pendeat hamus.

Haruspex dicitur qui amoris scientiam et quasi diuinationem habet :

Prop., III, VIII, 17 : his ego tormentis animi sum uerus haruspex.

Hebes est quasi frigidus et sine sensu :

Ou., *Ars Am.*, III, 799 : cui torpet hebes locus ille.

Hiemps amoris dicitur tempus quo amor inminui incipit :

Ou., *Her.*, V, 34 : pessima mutati coepit amoris hiemps.

Hilaris dicitur, id est laetus et festus, nuptiarum dies :

Cat., LXI, 11.

Hilares quoque uocantur qui libenter rident et ludunt :

Ou., *Ars Am.*, III, 518 : nos, hilarem populum, femina laeta capit.

Hirsuti dicuntur Annales Ennii, quasi seueri, quia nihil amatorii habent :

Ou., *Trist.*, II, 259.

Hippolytus nominatur quasi pudoris egregium quoddam exemplar :

Ou., *Am.*, II, IV, 32 : illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Historiae saepe sunt amatoriae fabulae :

Prop., IV, VII, 64 : historiae pectora nota suae; — cf. Prop., I, XV, 24; Ou., *Am.*, II, IV, 44;

Digitized by Google

aut amatorii rumores :
Prop., III, xx, 28 : et caput argutae praebeat historiae.

Honestus modo ad corporis pulchritudinem refertur :
Prop., II, xiii, 9 : non ego sum formae tantum mirator honestae;

modo ad dignitatem et famam :
Prop., II, xxxii, 34 : nec minus in caelo semper honesta fuit; — cf. Prop., II, viii, 27, 28; II, xxvi, 58; III, xi, 17; Ou., *Her.*, VII, 109;

modo ad castitatem et pudorem :
Ou., *Her.*, II, 60 : dum potui Phyllis honesta mori; — cf. Ou., *Fast.*, II, 833.

Horridae dicuntur comae cum turbatae sunt :
Tib., I, ix, 14 : uentis horrida facta coma;

horridus cultus cum neglectus est :
Ou., *Am.*, III, vi, 47 : Ilia cui placuit, quamuis erat horrida cultu.

Horrida uerba sunt ea quae nimis aspere et ferociter effert iratus amans :
Tib., I, v, 6 : horrida uerba doma.

Horrere quoque dicitur corpus cum animus aliquo pauore aut maerore turbatur :
Prop., I, v, 15 : tremulus maestis orietur fletibus horror; — cf. Ou., *Her.*, X, 139.

Hospitium dicitur locus in quo amantes conueniunt :
Prop., III, xxiii, 16 : hospitium tota nocte parauit Amor.

Hostes uocantur seu riuales :
Prop., I, xi, 7 : an te nescio quis hostis sustulit? — cf. Ou., *Am.*, I, ix, 18, 26; II, xii, 3; *Her.*, VI, 82; XII, 182; *Rem.*, 792;

seu irati amantes :
Ou., *Ars Am.*, II, 401 : cum certa uidebitur hostis; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 667; *Rem.*, 659.

Denique *hostis* dicitur Amor amantium :
Prop., II, xii, 11 : ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem; — cf. Prop., IV, i, 138; Ou., *Am.*, II, ix, 12.

Humani dicuntur qui amoribus indulgentes sunt, neque seueri aut rustici :
Ou., *Ars Am.*, II, 372 : usa est humani commoditate uiri.

Humilis est quasi subiectus aut amori :
Prop., I, x, 27 : quo sis humilis magis et subiectus amori;

aut amanti :
Ou., *Her.*, IV, 149 : supplex humilisque precari.

Digitized by Google

Humile carmen dicitur amatorium genus, epico conlatum :
Prop., II, x, 11.

Hymenaeus semper ad ueras iustasque nuptias refertur :
Cat., LXIV, 20, 141; Ou., *Her.*, II, 33; VI, 44, 45; IX, 134; XI, 101; XII, 137, 143; XIV, 27; XX, 157; *Ars Am.*, I, 563.

Iacere saepe de amantibus dicitur qui ante fores puellarum prostrati atque lacrimantes inuigilant :
Tib., II, iv, 22 : ne iaceam clausam flebilis ante domum; — cf., Prop., I, xvi, 23; II, vi, 2; Ou., *Ars Am.*, III, 581; *Rem.*, 304.

Saepius *iacere* est uel solum sine amante remanere :
Cat., VI, 6 : non uiduas iacere noctes; — cf. Cat., XXXII, 10; Prop., II, xviii, 8; II, xxi, 6; Ou., *Am.*, II, x, 15; *Her.*, V, 106; XV, 317, 318; *Ars Am.*, II, 359; III, 70; *Rem.*, 770.

uel in lecto cum amante uersari :
Prop., I, xvi, 33 : nunc iacet alterius felici nixa lacerto; — cf. Prop., II, xxix, 36; Ou., *Am.*, I, xiii, 5; II, iv, 34; III, viii, 12; *Her.*, V, 15, 87; *Ars Am.*, II, 580; III, 264, 773, 788;

Alias *iacere* fessum inertemque habitum significat, seu animi :
Tib., II, v, 109 : iaceo saucius annum; — cf. Prop., I, ix, 3; Ou., *Am.*, I, ix, 30;

seu corporis :
Prop., II, xv, 8 : sicine, lente, iaces?; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 728; *Rem.*, 414.

Quae quidem significatio aliquotiens in turpiorem partem uertitur :
Ou., *Am.*, III, vii, 15 : truncus iners iacui; — cf. Ou., *Am.*, III, vii, 4, 65, 69.

Iactari interdum dicuntur, ut mari ii qui nauigant, ita amantes quibusdam curarum fluctibus :
Cat., LXIV, 97-98 : qualibus incensam iactastis mente puellam fluctibus; — cf. Prop., II, xii, 7.

Ianua, ante quam amantes flere solent et uigilare, saepe a nostris poetis memoratur :
Cat., LXIII, 65; LXVII, 3; Tib., I, ii, 6, 7, 9; I, v, 68; I, viii, 76; II, iii, 74; II, iv, 31; Prop., II, xvi, 6; II, xx, 23; II, xxiii, 12; III. xxv, 10; Ou., *Am.*, I, vi, 3, 18, 28, 51; I, viii, 77; II, i, 20; II, xii, 3; III, viii, 7; III, xii, 12; *Her.*, IV, 142; *Ars Am.*, II, 244, 523, 617; III, 71, 456, 581, 644; *Rem.*, 31, 506, 519.

Ictus ad eos refertur qui percussi sunt uel sacro quodam ac religioso furore :
Cat., LXIII, 79 : furoris ictu; — cf. Prop., III, viii, 14;

uel amore :
Prop., II, iv, 9 : nec causas nec apertos cernimus ictus; — cf. Ou., *Her.*, XV, 40.

Ignes interdum nominantur lampades aut faces quas Amorem manibus tenere fingunt poetae :
Ou., *Am.*, I, xv, 27 : donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma; — cf., Ou.; *Pont.*, III, iii, 33, 60.

Digitized by Google

Sed frequentius *igni* ardenti inexstinctoque conparatur amor:

Cat., XLV, 16 : ignis mollibus ardet in medullis; — cf. Cat., XXXV, 15; Ps. Tib., IV, v, 6; Prop., I, ix, 17; III, vi, 39; III, xvii, 9; Ou., *Am.*, I, ii, 9; II, xix, 15; *Her.*, IV, 15, 33; VIII, 58; XII, 33; XV, 7, 125, 232; XVII, 42; XVIII, 5; *Ars Am.*, I, 244; III, 573, 597; *Rem.*, 244, 267, 625, 649; *Trist.*, II, 380; IV, x, 67; *Ibis*, 357; *Fast.*, III, 545.

Ac saepe, similitudinis cura omissa, *ignis* simpliciter pro *amore* ponitur :

Prop., I, xi, 7 : simulatis ignibus; — cf. Ou., *Her.*, V, 152; XIX, 170; *Ars Am.*, I, 573; *Rem.*, 453, *Trist.*, II, 407, 537; *Fast.*, II, 761.

Denique *ignis* interdum significat amatoria uerba aut carmina :

Prop., I, vi, 7 : illa mihi totis argutat noctibus ignes; — cf. Prop., II, xxxiv, 44; Ou., *Trist.*, IV, x, 45.

Ac, quia ignis idem est atque amor, ut amor, ita et *ignis* pro persona amata nonnumquam accipitur[1] :

Ou., *Am.*, II, xvi, 11 : at meus ignis abest; — cf. Ou., *Am.*, III, ix, 56; *Her.*, XV, 104; XVII, 85.

Inbellis, quia bellum amori contrarium est, prope idem ualet ac mollis, amatorius :

Prop., IV, iii, 24 : num grauis inbelles adterit hasta manus? — cf. Ou., *Am.*, III, xv, 19.

Inbuere est amoris prima elementa docere :

Prop., III, xv, 5-6 : rudes animos inbuit.

Incauti dicuntur uel ii qui amantium riualiumque dolos haud satis prudenter cauent :

Tib., I, vi, 15 : fallacis coniunx incaute puellae;

uel ii qui amore inprouisi capiuntur :

Prop., II, iv, 14 : sic est incautum, quidquid habetur, amor.

Incedere saepe de feminae habitu motuque dicitur :

Prop., II, ii, 6 : et incedit uel Ioue digna soror; — cf. Prop., II, i, 5; Ou., *Rem.*, 337.

Incertus est is qui in amore non constans ac firmus, sed mobilis est :

Ou., *Her.*, VI, 109 : uernaque incertior aura; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 718.

Incestus de adulterio et libidine aliquotiens dicitur :

Ou., *Am.*, II, ii, 48 : unde uir incestum scire coactus erat; — apud Prop., III, xi, 39, *incesti Canopi* habere uidetur eundem sensum.

1. Nihil cum his omnibus exemplis commune habet uersus Propertii, I, i, 27 (fortiter et ferrum, saeuos patiemur et ignes), in quo *ignis* uocabulum a medicorum ratione adsumitur.

Digitized by Google

Incipere absolute ponitur pro *incipere amare*, in amorem uenire :
Prop., II, xx, 36 : nec cito desisto nec temere incipio.

Sic quoque *inceptum* simpliciter accipitur quasi amatorium inceptum :
Ou., *Am.*, III, ii, 56 : inceptis adnue, diua, meis.

Incitare, concitare, est stimulare aut suspiciones :
Prop., III, xv, 45 : fabula nulla tuas de nobis concitet aures; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 114;

aut amoris impetum :
Prop., III, xx, 20 : dulcia quam nobis concitet arma Venus; — cf. Ou., *Her.*, XV, 311; *Ars Am.*, III, 474.

Suscitare est amorem exstinctum redintegrare :
Ou., *Ars Am.*, III, 597 : quamlibet exstinctos iniuria suscitat ignes.

Indicere legem est amanti uoluntatem iniungere suam :
Prop., IV, viii, 81 : indixit legem.

Indicium, seu de amore delatio, saepe a nostris nominatur :
Ou., *Am.*, II, vii, 26 : quid, nisi ut indicio iuncta repulsa foret? — cf. Ou., *Am.*, III, xiv, 12; *Ars Am.*, I, 389, 397; III, 668, 719.

Indigna puella est ea quae non meretur quae amorem uiris iniciat :
Ou., *Rem.*, 15 : indignae regna puellae.

Inducere, absolute, est quasi in amorem inducere :
Tib., I, vi, 1 : semper, ut inducar, blandos offers mihi uultus.

Indulgentia est diligens obsequium, uel puellae erga amantem :
Ou., *Ars Am.*, II, 145 : dextera praecipue capit indulgentia mentes; — cf. Ou., *Am.*, II, xix, 35;

uel amantis erga puellam :
Ou., *Ars Am.*, II, 435 : sunt quibus ingrate timida indulgentia seruit;

uel denique mariti erga puellam :
Ou., *Am.*, III, iv, 43 : si sapis, indulge dominae.

Inepti sunt qui in amore haud satis prudenter sese gerunt[1] :
Cat., VIII, 1 : miser Catulle, desinas ineptire; — cf. Ps. Tib., IV, x, 2; Prop., II, xxix, 14.

Vnde *ineptus* amor dicitur, cum nimius est :
Tib., I, iv, 24; Ou., *Ars Am.*, I, 306.

1. Ineptus dicitur pater qui filiam amantem inpedit quominus amori indulgeat, Ou., *Rem.*, 472 : officio natam laedis, inepte, tuo.

Digitized by Google

Inepti quoque sunt qui de pulchritudine non recte consulunt ;

Prop., II, XVIII, 28 : quae mentita suas uertit inepta comas; — cf. Ou., *Am.*, I, XIV, 30.

Alio sensu *ineptiae*, uelut nugae, dicuntur lusus amatorii, elegiae :

Cat., XIV; 24-25 : si qui forte mearum ineptiarum lectores eritis; — cf. Cat., VI, 14; Ou., *Trist.*, II, 223.

Iners dicitur quodcumque parum amori aptum est :

Tib., I, I, 71 : iam subrepet iners aetas, nec amare decebit.

Atque hoc quidem in sensu, plerumque in turpiorem partem uertitur id uocabulum :

Cat., LXVII, 26 : iners sterili semine natus erat; — cf. Ou., *Her.*, XV, 160; *Rem.*, 780; — cf. *tempus iners*, Ou., *Her.*, XV, 314; XVII, 110; *Ars Am.*, III, 60.

Iners quoque est ob amorem inbecillis et inualidus uir :

Prop., III, VII, 72 : ante fores dominae condar oportet iners.

Infamis est is qui ob nimiam amatoriae uoluptatis curam dedecore adficitur :

Prop., III, XIX, 20 : infamis stupro stat Pelopea domus; — cf. Prop., I, XVI, 9; II, XVI, 39; II, XXIV, 7; Ou., *Am.*, II, XVII, 3.

Eundem sensum habet *infamare* :

Prop., II, XXIV, 10 : parcius infamant :

Infelix latissimum apud nostros poetas usum habet. Haec solum notanda sunt.

Saepe infelix dicitur uel qui ab amante deseritur :

Tib., I, II, 4 : infelix dum requiescit amor; — cf. Ps. Tib., III, VI, 37; Ou., *Her.*, II, 103; III, 16; V, 55; X, 121, 146;

uel qui amat neque amatur :

Prop., II, III, 3 : uix unum potes, infelix, requiescere mensem; — cf. Ou., *Rem.*, 491;

uel qui amoris curis sese inprudens obicit :

Prop., I, V, 4 : infelix, properas ultima nosse mala;

uel qui liuore aut suspicionibus tenetur :

Ou., *Am.*, II, V, 53 : torqueor infelix, ne tam bona senserit alter; — cf. Ou., *Her.*, IX, 41;

Infelices quoque dicuntur ii quibus aliquid incommodi, seu natura, seu casu, euenit :

Prop., II, XXIII, 20 : infelix, hodie uir mihi rure uenit; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 53; *Her.*, XIX, 91; *Ars Am.*, III, 790; *Rem.*, 348.

Infelix littera est ea quae curam ac maerorem legenti praebet :

Ou., *Am.*, I, XII, 2.

Digitized by Google

Infestus dicitur amor cum hominibus nocet :
Cat., XCIX, 11 : infesto miserum me tradere amori.

Infidi sunt qui promissum amorem deserunt :
Tib., I, vi, 84 : Venus... infidis quam sit acerba monet; — cf. Prop., I, vi, 18; III, xiii, 23; Ou., *Her.*, VII, 30; XII, 210; XVI, 195.

Hoc uerbum aliquotiens ad res refertur :

ad os :
Ou., *Her.*, XII, 72;

ad lacertos :
Ou., *Her.*, II, 141;

ad focos :
Ps. Tib., IV, v, 12.

Infirmi dicuntur qui amori resistere non possunt :
Ou., *Rem.*, 730 : infirmis causa pusilla nocet; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 7.

Informis est parum pulcher :
Ps. Tib., IV, iv, 6 : neu notet informis candida membra color; — cf. Prop., I, v, 16.

Ingenium est indoles recte aut male ad amorem adcommodata :
Ou., *Her.*, XVIII, 6 : fortius ingenium suspicor esse uiris; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 26; *Ars Am.*, III, 545; *Rem.*, 656.

Ingenuus modo ad condicionis et indolis dignitatem pertinet [1] :
Cat., LXI, 79 : tardet ingenuus pudor; — cf. Prop., I, iv, 13; II, xxiv, 4; Ou., *Her.*, V, 144;

modo ad probitatem in seruanda fide exhibitam :
Cat., CX, 5 : aut facere ingenuae est aut non promisse pudicae;

modo ad morum incorruptam pudicitiam :
Prop., II, vi, 29 : illa puellarum ingenuos corrupit ocellos.

Ingratus est qui amantis officia affectusque paribus officiis pensare non uult :
Cat., LXXVI, 9 : omnia quae ingratae perierunt credita menti; — cf. Ps. Tib., III, vi, 42; Prop., I, iii, 25; II, xxxiv, 72; IV, vii, 31; Ou., *Her.*, XII, 21, 124, 206.

Ingratum quoque dicitur quod gratiam debitam inpetrare non potest :
Cat., LXXVI, 6 : ex hoc ingrato amore; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 435.

1. Peculiariter *ingenuae* dicuntur genae, Ou., *Am.*, I, vii, 50; I, xiv, 52; *Her.*, XIX, 6.

Digitized by Google

Denique *ingratum* est quod non satis placet :

Prop., III, x, 25 : dulciaque ingratos adimant conuiuia somnos; — cf. Prop., I, x; 23; Ou., *Am.*, II, xix, 3.

Inimicus est qui amanti non indulget :

Ps. Tib., III, vi, 55 : nec merito nobis inimica; — cf. Prop., II, vi, 38; II, viii, 3; II, ix, 44.

Iniquus eundem fere sensum habet quem *inimicus* :

Cat., XXX, 7 : certe tute iubebas animam tradere, inique; — cf. Prop., II, xiv, 13; Ou., *Am.*, II, xviii, 17.

Nec solum *iniqui* dicuntur amantes amantibus, sed etiam riuales riualibus :

Ou., *Ars Am.*, I, 313 : quotiens uaccam uultu spectauit iniquo.

Iniquus est quoque Amor hominibus :

Prop., I, xix, 22.

Inicere collo manum, uel bracchia umeris, est amplecti :

Ou., *Am.*, I, iv, 6; *Her.*, XVIII, 190.

Iniuria est quodcumque amantem laedit, ac peculiariter, modo promissae fidei desertio :

Cat., LXXII, 7 : amantem iniuria talis cogit amare magis, sed bene uelle minus; — cf. Prop., I, xviii, 23; II, xvi, 31; III, xxv, 7; IV, viii, 27; Ou., *Her.*, XVIII, 113; *Ars Am.*, III, 597, 683;

modo puellarum duritia aut ira :

Prop., II, xxiv, 39 : numquam me iniuria mutat; — cf. Prop., I, iii, 35;

modo iuuenum uiolentia :

Ou., *Her.*, XVI, 187 : utilis interdum est ipsis iniuria passis.

Iniustus durum erga amantes et saeuum imperium puellarum denotat :

Tib., IV, xiii, 24 : haec notat iniustos supplicibusque fauet; — cf. Prop., I, vii, 12; II, v, 14.

Iniustus est quoque modo legibus et officio contrarius :

Ou., *Fast.*, II, 779 : iniusti stimulis agitatur amoris;

modo inuidiosus :

Ou., *Her.*, XII, 176 : iniustis auribus apta loqui.

Inmemor cum ad personas, tum ad res refertur :

ad personas :

Cat., LXIV, 58, 135; Prop., I, xix, 8; Ou., *Her.*, XII, 16;

ad res (pectus aut mentem):

Cat., LXIV, 123, 248.

Digitized by Google

Inminere puellae est eam uehementer cupere :
Cat., LXI, 165-166 : uir tuus totus inmineat tibi.

Inmortales hyperbolice sese dicunt poetae ubi aliquod magnum gaudium in amore ceperunt :
Prop., II, XIV, 10 : inmortalis ero, si altera talis erit; — cf. Prop., II, XV, 30.

Inmundus est modo spurcus :
Ou., *Rem.*, 432 : uidit in inmundo signa pudenda toro;

modo inurbanus, inelegans :
Ou., *Am.*, I, VIII, 39 : inmundae Sabinae.

Innuptae sunt uirgines :
Cat., LXII, 6, 12, 36; LXIV, 78, 401; Prop., III, XIX, 25.

Inpense uri est ardenter amare :
Cat., LXXII, 5 :

Inperium est saepissime puellae in amantem dominatio :
Tib., II, III, 79 : ad imperium dominae sulcabimus agros; — cf. Prop., I, IX, 4; IV, VIII, 82; Ou., *Her.*, XVII, 46; *Ars Am.*, II, 221;

rarius uiri in puellam :
Ou., *Am.*, III, VIII, 62 : imperat ut captae qui dare multa potest;

aliquotiens Amoris in homines :
Tib., II, III, 34 : cui tristi fronte Cupido imperitat; — cf. Prop., III, XIX, 2.

Impetus est caecus inpotensque animi motus :
Ou., *Rem.*, 10 : quod nunc ratio est, impetus ante fuit; — cf. Ou., *Rem.*, 120.

Inpii dicuntur et qui amorem uetitum adpetunt :
Cat., LXVII, 25 : inpia mens caeco flagrabat amore; — cf. Cat., LXIV, 402; Ou., *Rem.*, 67;

et qui promissam amantibus fidem non seruant :
Cat., XXX, 4 : facta inpia fallacum hominum; — cf. Ps. Tib., III, IV, 59; III, VI, 42; Prop., II, IX, 20; II, XVII, 13; Ou., *Am.*, I, VIII, 104.

Inplicare se aut lacertos collo est complecti :
Cat., LXI, 104; Tib., I, IV, 56; Ou., *Am.*, II, XVIII, 9; *Ars Am.*, I, 561.

Inponere duos habet usus apud nostros poetas, nam dicunt et *inponere ora* aut *lacertos* pro complecti :
Prop., III, XIII, 22 : inponuntque suis ora perusta uiris; — cf. Ou., *Her.*, XV, 222;

et *inponere uincula* cum dominationem Amoris describunt [1] :
Prop., III, XX, 23 : et quibus inposuit, soluit mox uincla libido; — cf., Ou., *Her.*, IV, 136.

1. Cf. Prop., I, I, 4 : et caput inpositis pressit Amor pedibus.

Digitized by Google

Inpotens dicitur amor eius qui sui uix conpos est impetumque suum retinere non ualet :

Cat., XXXV, 12 : illum deperit inpotente amore.

Inprobus saepe ponitur pro molli, uoluptario :

Cat., LXVIII, 126-127 : inprobius oscula decerpere; — cf. Ou., *Am.*, II, v, 23; *Ars Am.*, III, 706; *Trist.*, II, 441.

Inprobus dicitur Amor quia hominibus nocet :

Prop., I, i, 5-6 : donec me docuit castas odisse puellas, inprobus.

Inprobi dicuntur quoque qui erga amantes duri manent et seueri :

Prop., II, viii, 13-14 : ergo tam multos nimium temerarius annos, inproba...,? — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 57.

Alias *inprobus* idem ualet atque infidus[1] :

Prop., I, iii, 39 : o utinam tales producas, inprobe, noctes; — cf. Ou., *Am.*, III, xi, 41; *Her.*, X, 77; XII, 204; *Ars Am.*, II, 400; *Fast.*, VI, 555.

Aliis in locis, *inprobus* est quasi audax, temerarius :

Ou., *Ars Am.*, I, 665 : pugnabit primo fortassis, et « inprobe » dicet; — cf. Ou., *Her.*, XV, 75; XIX, 147; XX, 115; *Ars Am.*, I, 676; *Fast.*, II, 331.

Inpudicus raro apud nostros poetas inuenitur :

Cat., XXIX, 2, 10.

Inpurum dicitur quod legibus coniugalibus contrarium est aut publicorum morum integritati :

Cat., LXVI, 84 : inpuro adulterio; — Ou., *Trist.*, II, 416 : inpurae historiae.

Inritare aliquotiens est in iram inducere :

Prop., I, x, 25 : inritata uenit quando contemnitur illa;

sed saepius amorem aut uoluptatem stimulare :

Ou., *Am.*, III, iv, 11 : uitia inritare uetando; — cf. *Ars Am.*, II, 681; *Rem.*, 133.

Insani saepe dicuntur qui nimio amore turbantur :

Tib., II, vi, 18 : insana mente nefanda loqui; — cf. Prop., II, xiv, 18; II, xxxiv, 25; III, xvii, 3; Ou., *Her.*, XII, 193; *Ars Am.*, I, 372; II, 563.

Insani dicuntur etiam qui, ab amantibus contempti, iram suam tenere non possunt :

Prop., II, xx, 3 : quidue mea de fraude deos, insana, fatigas? — cf. Prop., I, iv, 17; I, vi, 16; III, viii, 2, 4.

Alias minorem uim habet hoc uerbum, ita ut *insanus* sit prope idem atque *inprudens*. Sic dicuntur *insani* qui amoris curis periculisque se obiciunt :

Prop., I, v, 3 : quid tibi uis, insane? — cf. Prop., I, ix, 16;

1. Apud Prop., III, vi, 23, *inproba* dicitur riualis mulier.

Digitized by Google

et qui in amore non satis prouide ac callide se gerunt :

Ou., *Am.*, I, XII, 21 : his ego conmisi nostros, insanus, amores; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 667.

Insapiens est qui de mulierum pulchritudine male iudicat :

Cat., XLIII, 8 : o saeclum insapiens et infacetum.

Insidiae aliquotiens proprio sensu accipiuntur, et sunt doli ad aliquem furtim deprehendendum conpositi :

Ou., *Ars Am.*, II, 593-594 : uetat deprensa Dione insidias illas, quas tulit ipsa, dare.

Alias *insidiae* sunt conatus riualium puerum aut puellam rapere studentium :

Cat., XV, 16 : ut nostrum insidiis caput lacessas; — cf. Cat., XXI, 7; Prop., I, XX, 30.

Sed plerumque *insidiae* sunt fraudes ad amorem conciliandum paratae, seu a uiris in puellas :

Ou., *Ars Am.*, I, 134 : theatra nunc quoque formosis insidiosa manent; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 66; XX, 110;

seu a feminis in amantes :

Prop., III, XXV, 6 : semper ab insidiis, Cynthia, flere soles; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 12.

Eodem sensu dicunt poetae *insidias* struere Amorem :

Tib., I, VI, 4 : insidias homini conposuisse deum; — cf. Ou., *Rem.*, 148.

Insidiae sunt etiam doli quibus amantes, ut fallant, utuntur :

Prop., II, XXXII, 19 : insidias in me conponis inanes; — cf. Ou., *Her.*, X, 6; *Ars Am.*, III, 539.

Insignis, praesignis saepe ad corporis pulchritudinem referuntur :

Tib., I, III, 66 : et gerit insigni myrtea serta coma; — cf. Tib., I, III, 32; Ou., *Am.*, I, I, 11; *Her.*, V, 125; *Ars Am.*, III, 773;

aliquando ad gloriam :

Prop., III, XXIV, 4 : uersibus insignem te pudet esse meis.

Insons est quicumque amanti datam fidem seruauit :

Ou., *Am.*, II, XIX, 14 : quantum licebat insonti.

Instare dicitur Amor iis quos imperio suo subiectos habet :

Prop., II, XXX, 7 : instat Amor supra caput : instat amanti.

Alias *instare* est precibus et blanditiis urgere :

Ou., *Ars Am.*, I, 718 : lenius instando taedia tolle tui; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 78; *Ars Am.*, I, 485, 717.

Insulsi sunt qui non satis acuminis aut urbanitatis habent :

Cat., XVII, 12 : insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar; — cf. Cat., X, 33; XXXVII, 6.

Digitized by Google

Insultare dicuntur qui erga amantes saeui sunt ac crudeles :
Prop., II, v, 7 : nec mihi tam duris insultet moribus; — cf. Prop., II, VIII, 20; III, VI, 24.

Intactae dicuntur uirgines :
Cat., LXII, 45 et 56 : sic uirgo, dum intacta manet; — cf. Prop., II, VI, 21; Ou., *Her.*, XVI, 31.

Alias *intacti* dicuntur qui non amore capti sunt :
Prop., II, XII, 19 : intactos isto satius temptare ueneno.

Aliquando turpiore sensu accipitur hoc uerbum :
Ou., *Am.*, III, VII, 83 : neue suae possent intactam scire ministrae.

Integer semper ad corpus pertinet, seu de uirginitate agitur :
Cat., LXI, 36 : integrae uirgines; — cf. Cat., XV, 4; XXXIV, 2;

seu de temporaria rei uenereae abstinentia :
Prop., III, VI, 40 : iurabo bis sex integer esse dies.

Interire hyperbolice dicuntur qui ob amorem nimis dolent :
Tib., I, IX, 45 : a! miser interii; — cf. Prop., II, VIII, 18.

Intrare dicitur Amor in animos quos primum occupat :
Ou., *Rem.*, 503 : intrat amor mentes usu; — cf., Ou., *Ars Am.*, I, 720; II, 358.

Inualidus turpiter ad uires in re uenerea insumptas refertur :
Ou., III, XI, 14 : inualidum latus.

Inuidere saepissime ad riualium odia contentionesque pertinet :
Prop., II, XXVIII, 10 : prae se formosis inuidiosa dea est; — cf. Prop., I, V, 1; II, XXII, 20; II, XXVI, 15; Ou., *Her.*, XV, 223; *Ars Am.*, I, 206.

Alias *inuidiosus* est is de quo male existimatur :
Prop., I, XVI, 48 : aeterna differor inuidia; — cf. Prop., II, XXXII, 46.

Inuidae dicuntur res quae obstant amantium gaudiis :
Ou., *Am.*, III, II, 27 : inuida uestis eras.

Inuitare est amorem excitare :
Ou., *Am.*, II, IV, 9 : non est certa meos quae forma inuitet amores; — cf. *Her.*, XVI, 183.

Inuitae uocantur quae amantium precibus nolunt respondere :
Cat., VIII, 13 : nec rogabit inuitam.

Inuiti etiam dicuntur qui repugnantes Amori parere coguntur :
Tib., I, VIII, 8 : quos uidet inuitos subcubuisse sibi; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 17; *Rem.*, 268.

Inuitae dicuntur etiam quae a uiris non libenter, sed ui tenentur :
Prop., I, III, 30 : neue quis inuitam cogeret esse suam; — cf. Prop., II, VI, 39; Ou., *Am.*, I, IV, 65; *Her.*, VIII, 5; XVI, 110; *Ars Am.*, I, 674.

Digitized by Google

Denique hoc uerbum ad uiolentiam interdum pertinet quam sibi nonnulli inferunt ut amare desinant :

Ou., *Rem.*, 218 : inuitos currere cogo pedes; — cf. Ou., *Rem.*, 719.

Iocus simul ad hilaritatem et ad amorem pertinet.

Quibusdam in locis *iocus* prope idem est ac gaudium alacre et festiuum[1] :

Ps. Tib., III, vi, 34 : difficile est tristi fingere mente iocum; — cf. Ps. Tib., III, vi, 20.

Alias *iocus* est ea hilaritas quae amatoriis et salsis rebus mouetur[2] :

Ou., *Fast.*, VI, 320 : est multi fabula parua ioci; — cf. *Fast.*, I, 396; III, 695; — cf. Cat., LXI, 120 : fescennina iocatio.

Ioci saepe sunt amatoria facta :

Cat., VIII, 6 : ibi illa multa tum iocosa flebant; — cf. Cat., XXI, 5; L, 6; Ou., *Ars Am.*, I, 354; III, 580;

uel etiam omnino obscena :

Ou., *Ars Am.*, III, 796 : nec taceant mediis inproba uerba iocis; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 724; III, 640; *Fast.*, IV, 868.

Ad uerba quoque de amatoriis rebus festiue et acute prolata refertur hoc uocabulum :

Ou., *Ars Am.*, I, 594 : aptior est dulci mensa merumque ioco; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 176, 600; III, 328.

Denique amatoria ac leuia carmina uocantur *ioci* :

Ou., *Rem.*, 387 : si mea materiae respondet Musa iocosae; — cf. Ou., *Trist.*, I, ix, 62; II, 238, 334, 444, 494; III, ii, 6; V, i, 20, 44.

Irasci dicuntur superbae et adrogantes puellae :

Tib., II, i, 74 : limen ad iratae; — cf. Prop., I, ix, 22; III, viii, 28; Ou., *Ars Am.*, I, 503, 507.

Peculiariter *irati* dicuntur qui ab amantibus iniuriam acceperunt uel eorum duritiam experti sunt :

Cat., LXXXIII, 6 : irata est, hoc est uritur et coquitur; — cf. Prop., I, i, 28; I, xvi, 38 : I, xviii, 14; II, iv, 4; II, v, 9, 13; II, ix, 35; II, xxix, 9; III, vi, 38; Ou., *Am.*, I, viii, 79, 81, 82; *Ars Am.*, I, 374; II, 456, 460, 489.

Ira quoque est liuor et aemulatio :

Cat., LXVIII, 139 : coniugis in culpa flagrantem concipit iram; — cf. Tib., I, vi, 58; Prop., II, v, 22, 23; III, xv, 44; III, xix, 18; III, xxiii, 12; IV, viii, 57; Ou., *Am.*, II, vii, 14; II, viii, 15; *Her.*, VI, 76; XII, 208, 209; XVI, 217, 249.

Alias *ira* est uiri insani et rustici in dominam saeuitia :

Tib., I, x, 64 : quo tenera irato flere puella potest; — cf. Prop., I, vi, 10; II,

1. Non longe ab hoc sensu abhorrent uersus, Ou., *Ars Am.*, III, 367 et 381, in quibus *ioci* pro ludis accipiuntur.

2. Longe alius est sensus huius uerbi apud Prop., II, xxiv, 16 (fallaci dominae esse iocum), ubi *iocus* est quasi ludibrium.

Digitized by Google

xv, 10; II, xxiv, 13; III, xxv, 10; IV, v, 31; Ou., *Ars Am.*, II, 169, 170; — at contra apud Ou., *Am.*, I, vii, 66, ira est laesae puellae.

Denique *irasci* dicitur femina quae amanti nimis temerario indignatur :

Prop., I, v, 8 : molliter irasci non solet illa tibi; — cf. Prop., I, iv, 21; Ou., *Her.*, VIII, 61; XVI, 35; XIX, 71, 72, 73, 87; XX, 205.

Ire est ad amantem accedere [1] :

Prop., II, xxv, 33 : quamuis te persaepe uocet, semel ire memento; — cf. Ou., *Her.*, IV, 96; *Ars Am.*, III, 732.

Iter dicitur modo de primis amoris elementis :

Prop., III, xv, 4 : data libertas noscere amoris iter; — cf. Prop., III, xiv, 32; Ou., *Ars Am.*, I, 456;

modo de ipsa re amatoria :

Prop., III, x, 32 : natalisque tui sic peragamus iter; — cf. Prop., II, xxxiii, 22.

Iubere dicitur saepe de iis rebus quas domina ab amatore flagitat, imperii exercendi causa :

Tib., II, iv, 53 : sedes iubeat si uendere auitas; — cf. Prop., I, xviii, 26; IV, i, 144; Ou., *Ars Am.*, II, 223.

Aliquando *iubere* dicitur uir, ac praecipue diues amator, qui puellae imperat :

Ou., *Am.*, III, viii, 34 : dare iussa, dedit; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 22.

Plerumque uero hoc uocabulum ad dominationem refertur qua amor homines urget :

Tib., II, iii, 28 : nempe amor in parua te iubet esse casa; — cf. Tib., I, vi, 30, 43; Ou., *Am.*, I, ix, 44; II, i, 3; II, xii, 28; *Her.*, XIX, 230.

Iucunda dicuntur ea quae grata uenustaque sunt :

Cat., LXVIII, 16 : iucundum cum aetas florida uer ageret; — cf. Prop., I, iii, 45;

atque inprimis quae amantibus cara sunt :

Cat., LXII, 26 : Hespere, qui caelo lucet iucundior ignis? — cf. Cat., LXII, 47; LXIV, 161; LXVII, 1; Ou., *Ars Am.*, III, 729.

Quin etiam, *iucundus* saepe pro amatorio ponitur [2] :

Prop., I, ii, 29 : unica nec desit iucundis gratia uerbis; — cf. Prop., I, x, 1, 3; Ou., *Am.*, II, viii, 3; *Ars Am.*, III, 795.

Iucundus dicitur amor, propter gaudia quae adfert aut uidetur adferre :

Cat., CIX, 1 : iucundum mihi proponis amorem; — cf. Ou., *Rem.*, 138.

1. Apud Prop., I, v, 2, *ire* ad cursum Amoris pertinet (et sine nos cursu quo sumus ire pares).

2. Cf. Ou., *Trist.*, II, 369 (fabula iucundi nulla est sine amore Menandri), ubi *iucundus* ponitur simul pro hilari et pro amatorio.

Digitized by Google

Denique nonnumquam *iucundi* ipsi amantes uocantur :
Prop., I, XIX, 7-8 : Phylacides iucundae coniugis heros non potuit inmemor esse.

Iudicium est opinio amantis de puellae dotibus :
Ou., *Rem.*, 714 : tantum iudicio ne tuus obsit amor; — cf. Ou., *Rem.*, 326;

ac singulariter de corporis pulchritudine :
Prop., I, IV, 10 : nedum inferior duro iudice turpis eat; — cf. Ou., *Ars Am.*; I, 246, 626.

Vnde *iudicium* pro electione ponitur :
Ou., *Ars Am.*, I, 98 : copia iudicium saepe morata meum est.

Iugalis semper ad ueras iustasque nuptias pertinet :
Cat., LXIV, 302; Ou., *Her.*, II, 57; IV, 121; XV, 297.

Iugum aliquotiens amantium, sicut iumentorum inter se iunctorum, concordiam significat :
Prop., III, XXV, 8 : tu bene conueniens non sinis ire iugum.

Sed saepius *iugum* est dominatio Amoris :
Cat., LXVIII, 118 : qui tunc indomitam ferre iugum docuit; — cf. Tib., I, IV, 10; Ou., *Rem.*, 90;

uel puellae :
Prop., II, V, 14 : iniusto subtrahe colla iugo; — cf. Prop., III, XI, 4; Ou., *Her.*, VI, 97; IX, 6.

Iungi, iugari, modo ad corpora, modo ad animos pertinent. *Iungere* latera aut pectora est amanti adhaerere :
Ou., *Her.*, XVIII, 62 : pectora nunc nostro iuncta fouere sinu; — cf. Ou., *Am.*, I, XIII, 6; III, II, 10; *Her.*, III, 107; *Ars Am.*, I, 140, 141.

Nec solum iuxta amantem stare est *iungi*, sed turpiorem sensum habet :
Ou., *Am.*, III, XIV, 9 : corpus iunctura Quiriti; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 117; XV, 319; *Ars Am.*, I, 682; III, 650.

Iungere oscula quoque frequenter apud nostros auctores reperitur :
Ou., *Am.*, II, V, 23, 60; III, IX, 53, *Her.*, II, 94; XVII, 101; XIX, 141.

Quod uero ad animos pertinet, *iungi* cum de ueris nuptiis dicitur, tum de amatorio foedere. Prioris generis haec sunt :
Cat., LXVI, 79 : quas iunxit taeda; — cf. Cat., LXII, 29; LXIV, 21; Prop., IV, XI, 35; Ou., *Her.*, VIII, 36; IX, 134; XIX, 23, 215, 226; XX, 223.

Illa autem de amatoriis uinculis :
Tib., IV, XIII, 2 : hoc primum iuncta est foedere nostra uenus; — cf. Prop., II, XV, 27; III, XVII, 5; Ou., *Her.*, IV, 147; XVII, 125; *Ars Am.*, I, 453; *Rem.*, 659.

Iungere amores dicuntur modo qui alienis amoribus fauent :
Cat., LXXVIII, 3;

Digitized by Google

modo qui ipsi amant :
Tib., I, I, 69 ; Ou., *Trist.*, II, 536.

Haud omnino dissimilem, sed minus honestam significationem habent :

iungere uenerem :
Tib., I., IX, 76; Ou., *Ars Am.*, II, 679; *Rem.*, 407, 408.

iungere uoluptatem :
Ou., *Ars Am.*, II, 623;

iungere gaudia :
Ou., *Ars Am.*, II, 481.

Iurgia sunt uituperationes et querelae laesorum amantium :
Prop., I, III, 18 : expertae metuens iurgia saeuitiae ; — cf. Prop., II, VI, 32; III, VI, 18; III, VIII, 19; Ou., *Am.*, II, IX, 45; *Rem.*, 35.

Iurare est amanti perpetuam fidem promittere :
Cat., LXIV, 144 : nulla uiro iuranti femina credat; — cf. Cat., LXIV, 146; Tib., I, IV, 21, 24; I, IX, 31 ; IV, XIII, 15, 18; Prop., I, XV, 35; II, XX, 15; II, XXVIII, 8; Ou., *Am.*, II, XVI, 43; III, II, 61; III, III, 1, 11, 13, 45; *Her.*, II, 23, 37; III, 53; VIII, 117; X, 73; XIII, 159; XV, 321; XIX, 1, 159, 196, 216, 227, 228; XX, 2, 108, 135, 137, 143, 225; *Ars Am.*, I, 635; III, 457; *Rem.*, 303.

Iurare aliquando de iurisiurandi formulis dicitur quibus amantes rerum earum quas adserunt aut negant pondus augere conantur :
Tib., I, VI, 7 : illa quidem iurata negat; — cf. Tib., II, V, 104; Prop., I, VIII, 27; IV, VII, 51; Ou., *Ars Am.*, I, 635.

Alias *iurare* est sibi amorem deponendum statuere ac polliceri :
Tib., II, VI, 13-14 : iuraui quotiens...! cum bene iuraui, pes tamen ipse redit.

Ius proprie de legibus coniugii apud nostros poetas dicitur, id est, cum de uxoris potestate ac dignitate :
Ou., *Am.*, III, VI, 82 : socii iura dedisse tori; — cf. Ou., *Her.*, II, 31; VI, 41; *Ars Am.*, II, 381;

tum de eiusdem officiis[1] :
Cat., LXVI, 83 : casto colitis quae iura cubili; — cf. Ou., *Her.*, XV, 286.

Ac, cum hoc uerbo significentur et leges potestasque et uincula ac foedera, hi duo sensus per extensionem ad amantes referuntur. Itaque *ius* est dominatio puellae :
Prop., I, IX, 3 : ecce iaces supplexque uenis ad iura puellae; — cf. Prop., III, XI, 2; III, XX, 15; Ou., *Am.*, II, XVII, 24; *Her.*, XV, 322; XIX, 79;

1. Cf. Prop., IV, V, 28 : damnosae iura pudicitiae.

Digitized by Google

uel Amoris :

Ou., *Am.*, I, II, 20 : porrigimus uictas ad tua iura manus; — cf. Ou., *Her.*, IV, 12; *Rem.*, 270.

Notandum est quoque aliquotiens *iura* dici pro iis qui amantium legibus subiecti sunt :

Ou., *Am.*, II, V, 30 : iniciam dominas in mea iura manus; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 6.

At alio sensu *iura* sunt uincula quae inter amantes consuetudine uetere constituta sunt :

Prop., II, V, 17 : per dominae Iunonis dulcia iura.

Quin etiam, sola res uenerea quasi quaedam *iura* statuere uidetur :

Ou., *Am.*, III, XI, 45 : per lecti socialia iura; — cf. Ou., *Her.*, IX, 159.

Iustus amor est cuius rationem reddere amans potest :

Tib., I, IV, 10 : nam causam iusti semper amoris habent.

Iuuare nonnumquam est amantibus auxilio esse :

Tib., I, II, 16 : fortes adiuuat ipsa Venus; — cf. Prop., II, XXIII, 22; II, XXXIV, 30; IV, 1, 145; Ou., *Am.*, III, VI, 23; *Rem.*, 250, 261, 420, 629 [1].

Saepius tamen *iuuare* est placere, ac dicitur de omnibus iis quae animum, aures, oculos iucunde permulcent :

Tib., I, I, 74 : rixas inseruisse iuuat; — cf. Tib., I, IX, 81; II, V, 110; Ps. Tib., IV, V, 5; Prop., I, IV, 12; II, XV, 11; II, XVII, 13; II, XXIII, 12; Ou., *Am.*, I, XIII, 5; II, XIX, 24, 39; III, II, 6, 50; III, IV, 31; *Her.*, III, 110; IV, 4, 84, 133; XIII, 17, 119; XX, 203; *Ars Am.*, I, 65, 102, 749; II, 515; III, 718; *Rem.*, 13, 542, 756.

Nec raro Veneris gaudia hoc uerbum significat :

Ou., *Am.*, I, X, 31 : uendit quod utrumque iuuat; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 4, 67, 68; III, VII, 6, 12; III, XIV, 25; *Her.*, XIII, 108; XVIII, 64; *Ars Am.*, I, 674; II, 159, 308, 682, 680, 715; III, 524, 794, 803.

Iuuenalis de omnibus rebus quae decent iuuenes dicitur, ac singulariter :

de audacibus inceptis :

Ou., *Her.*, XVII, 35 : obstitit inceptis tumidum iuuenalibus aequor;

de carminibus amatoriis :

Ou., *Trist.*, V, I, 7 : integer et laetus laeta et iuuenalia lusi;

de corporis pulchritudine :

Ou., *Am.*, I, V, 22; *Ars Am.*, III, 781 : iuuenale femur;

de re uenerea :

Ou., *Rem.*, 399 : opus iuuenale.

1. Idem uidetur sensus apud Cat., XXXII, 4 : et si iusseris illud, adiuuato. Sic Mss; at Turnebus *adiubeto* legendum censuit.

Digitized by Google

Iuuenis, *iuuentus*, frequentissimum usum apud elegiarum scriptores habent. Aliquot solum notari possunt exempla, ac primum ea quibus poetae consulto aetatem feminarum significant :

Ou., *Ars Am.*, II, 693 : haec bona non primae tribuit natura iuuentae; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 63; III, 81.

Ubi de uiris agitur, poetae qui eos uocant *iuuenes*, interdum ad uigorem rei uenereae adcommodatum spectant :

Cat., LXIV, 228 : ualentem exercete iuuentam; — cf. Ou., *Am.*, III, vii, 20, 41; *Her.*, V, 129.

interdum ad eorum uenustatem :

Tib., I, viii, 3 : carior est auro iuuenis; — cf. Prop., II, xviii, 19; Ou., *Ars Am.*, I, 707;

Substantiue ponitur *iuuenis* nonnumquam pro marito :

Cat., LXII, 23 : et iuueni ardenti castam donare puellam; — cf. Cat., LXI, 56;

saepius pro amatore :

Tib., II, i, 76 : ad iuuenem tenebris sola puella uenit; — cf. Tib., I, ix, 55; II, v, 36; Ps. Tib., III, ii, 1, 2; IV, iii, 1; IV, iv, 11; IV, v, 17; IV, vi, 8, 19; Prop., II, xix, 3; Ou., *Am.*, I, xiii, 43; *Her.*, XVIII, 145; *Ars Am.*, III, 608.

Labefactare puellam est eam in amorem inducere conari :

Cat., LXIX, 3 : non si illam rarae labefactes munere uestis.

Labes est saepe culpa infidae coniugis :

Prop., IV, xi, 41-42 : nec ulla labe mea uestros erubuisse focos; — cf. Ou., *Am.*, III, v, 44; *Her.*, IV, 32; XVI, 14, 69.

Aliquotiens est *labes* quod uiri famam dedecorat :

Prop., IV, viii, 20 : famae non sine labe meae; — cf. Ou., *Her.*, IX, 8.

Labi dicitur uir cum amore inprouisus capitur :

Prop., I, xiii, 8 : et primo lapsus abire gradu; — cf. Prop., I, i, 25;

femina autem cum amanti promissam fidem, alterius blanditiis mota, uiolat :

Prop., I, xi, 15 : ut solet amota labi custode puella.

Labores sunt nonnumquam dolores, maerores, quos amor parit :

Cat., XXXVIII, 2 : male est et laboriose; — cf. Ps. Tib., III, vi, 7; Prop., I, vi, 23; Ou., *Rem.*, 234.

Labores sunt saepe curae quas sibi iniungunt amantes ut puellis placeant :

Tib., I, iv, 47 : nec te paeniteat duros subiisse labores; — cf. Tib., I, ii, 31; Ps. Tib., III, iv, 65; Prop., I, i, 9; II, xxiii, 7; II, xxiv, 29; Ou., *Her.*, XVI, 73; *Ars Am.*, II, 236.

Labor aliquando pro artificio ponitur :

Prop., II, xxii, 22 : haud umquam est culta labore uenus.

Digitized by Google

Denique hoc uerbum inhonestam significationem habet :

Ou., *Ars Am.*, III, 787 (cf. fortasse Cat., L, 14).

Labra saepe a nostris poetis nominantur, qui tamen formam deminutiuam **labella** habere potiorem uidentur. Huic enim aliquid teneri et uenusti inest, ita ut ad uiros hoc uocabulum referatur cum de rebus amatoriis agatur, — ad feminas uero, et pueros, et infantes, etiamsi nullae res amatoriae significentur. Prioris generis haec sunt :

Cat., VIII, 18 : cui labella mordebis? — cf. Cat., LXXX, 1; Prop., II, XIII, 29; Ou., *Am.*, II, V, 57; III, XIV, 23.

Illa autem de feminis aut pueris :

Cat., LXIV, 104 : tacito succepit uota labello; — cf. Cat., LXIII, 74; LXIV, 316; XCIX, 7; Ou. *Her.*, XVII, 17; *Ars Am.*, I, 575, 667; III, 284.

Lacerti saepe in describendis amantium amplexibus nominantur. Hoc uocabulum modo ad uiros, modo ad puellas pertinet. Ad uiros :

Tib., I, II, 73 : et te dum liceat teneris retinere lacertis; — cf. Prop., I, XVI, 33; II, VIII, 5; IV, III, 23; Ou., *Am.*, I, IV, 35; *Her.*, II, 141; XIII, 106; XV, 221; *Ars Am.*, II, 457.

Ad feminas :

Tib., I, V, 43 : facie tenerisque lacertis; — cf. Tib., I, IX, 69; Prop., II, XXII, 37; III, VI, 13; III, XIII, 57; Ou., *Am.*, I, V, 19; I, XIII, 5; II, XV, 29; II, XVIII, 9; III, VIII, 11; *Her.*, III, 131; XIII, 115; XVII, 213; XVIII, 103; *Ars Am.*, III, 307.

Lacrimae, lacrimare, saepissime apud elegiarum auctores occurrunt. *Lacrimare* dicuntur cum uiri, tum puellae, ubi amantium mortem lamentantur aut timent :

Tib., I, I, 62 : tristibus et lacrimis oscula mixta dabis; — cf. Tib., II, VI, 32; Prop., I, XIX, 18, 23; IV, VII, 28; IV, XI, 1, 6; Ou., *Her.*, XI, 125; XII, 58, 64; XIII, 52, 113; XIV, 127; XX, 194; *Ars Am.*, II, 326; III, 744;

uel cum ab amantibus eos casus aliquis seiungit :

Prop., III, XX, 4 : tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit? — cf. Prop., IV, III, 4; Ou., *Am.*, I, IV, 61; III, X, 15; *Her.*, II, 95; III, 3, 4, 15; V, 46, 56; VI, 58, 63, 70, 71; VIII, 62, 109; XVII, 180; XVIII, 25;

uel cum ab amantibus infidis deseruntur ac produntur :

Tib., I, V, 38 : at dolor in lacrimas uerterat omne merum; — cf. Ps. Tib., IV, IV, 21; Prop., I, III, 46; I, XVIII, 16; II, VIII, 2; Ou., *Am.*, II, XVIII, 22; *Her.*, V, 74; VII, 185, 186; X, 55, 114, 138, 150; *Ars Am.*, I, 534; II, 453; II, 677; *Rem.*, 37;

uel cum amorem suum uident contemptum :

Tib., I, VIII, 73 : lacrimas risisse dolentis; — cf. Tib., I, VIII, 54, 67; Prop., IV, IV, 46; Ou., *Am.*, I, VI, 18; II, XVIII, 7; *Her.*, XV, 241.

Denique lato sensu *lacrimae* sunt quotquot in more dolores esse possunt :

Prop., I, VI, 24 : lacrimis omnia nota meis; — cf. Prop., I, IX, 7; I, X, 2; I, XII, 16; III, VIII, 24; IV, I, 120; IV, VII, 69.

Digitized by Google

Lacrimant ob pudorem laesum puellae :

Cat., LXVI, 16 : parentum frustrantur falsis gaudia lacrimulis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 129.

Lacrimant puellae quibus amantes crudeliter et rustice irascuntur :

Tib., I, x, 63 : sit lacrimas mouisse satis; — cf. Ou., *Am.*, I, VII, 22, 57, 60.

Lacrimantes quoque inducuntur amantes qui sibi amorem aut beneuolentiam conciliare student :

Prop., III, XXV, 5 : nil moueor lacrimis; — cf. Prop., III, VI, 37; Ou., *Am.*, I, VIII, 83; II, II, 59; *Her.*, II, 51; III, 134; IV, 175, 176; XII, 91; XIX, 76; *Ars Am.*, I, 661; III, 291; *Rem.*, 689.

Lacrimare quoque dicuntur qui amantium querelis moti sunt :

Prop., I, XVI, 32 : surget et inuitis spiritus in lacrimis; — cf. Prop., III, XXV, 9.

Lacteus, lacteolus, aliquando pro candido ponuntur :

Cat., LV, 17; LXIV, 65.

Laedere aliquotiens proprio sensu accipitur, ac de uulneribus dicitur quae irati amantes puellis inferunt :

Prop., II, V, 24 : nec duris ausim laedere pollicibus; — cf. Prop., II, XV, 20;

aut de iis quae feminarum pulchritudinem dedecorant :

Ou., *Ars Am.*, III, 207 : hinc quoque praesidium laesae petitote figurae; — cf. Ou., *Am.*, I, XIV, 39.

Translatiue dicuntur *laedere* uincula uel iugum amoris :

Ou., *Rem.*, 90 : et tua laesuro subtrahe colla iugo; — cf. Ou., *Rem.*, 293.

Saepe hoc uerbum dicitur de fallaciis et proditionibus infidorum[1]:

Tib., I, IX, 1 : si fueras miseros laesurus amores; — cf. Ou., *Her.*, V, 4, 102; VII, 59; VIII, 36; X, 98; *Ars Am.*, I, 365, 687; II, 448; III, 598, 739; *Rem.*, 458, 608; *Trist.*, II, 388; *Fast.*, II, 177;

aut de contumeliis et iniuriis quibus erga amantes uiri puellaeue peccant :

Prop., II, XXV, 20 : peccasse fatetur laesus; — cf. Prop., I, X, 26; I, XVI, 37; Ou., *Am.*, I, VIII, 79; II, XIX, 8; III, IV, 37; *Her.*, XVI, 227; *Ars Am.*, II, 455.

Vt homines, ita dii, qui amantibus fauent, ab infidis dicuntur *laedi* :

Tib., I, III, 79 : Veneris quod numina laesit; — cf. Tib., I, IX, 6; Ps. Tib., III, VI, 26.

Laedere non modo de personis, sed de rebus quoque dicitur, quae amantibus suspiciones aut dolores iniciunt :

Prop., II, VI, 13 : omnia me laedent; — cf. Ou., *Her.*, II, 9; XV, 218; *Ars Am.*, II, 515;

1. Apud Tib., I, VI, 29, *laedi* dicitur maritus ab uxoris amatore.

Digitized by Google

aut de iis quae, quia inpediunt amorem, nocent :

Ou., *Am.*, I, x, 14 : nunc mentis uitio laesa figura tua est; — cf. *Her.*, XVIII, 99, 128; *Ars Am.*, I, 658.

Laedere dicitur amor quos capit :

Ou., *Rem.*, 615 : dum spectant laesos oculi, laeduntur et ipsi; — cf. *Am.*, II, IX, 4; *Rem.*, 621.

Denique *laedi* dicitur pudor ubi culpam femina admisit :

Ou., *Her.*, V, 103-104 : nulla reparabilis arte laesa pudicitia est; — cf. Ou., *Her.*, VII, 97.

Laetus est plerumque is qui gaudet quia ei feliciter res in amore eueniunt[1] :

Cat., LXIV, 141 : conubia laeta; — cf. Tib., I, II, 87; Prop., I, x, 12; I, XI, 24; I, XV, 14; II, VI, 32; II, XIX, 2; III, VI, 3; Ou., *Am.*, II, XV, 3; II, XVII, 23; *Her.*, XII, 178; XIII, 116; *Ars Am.*, II, 3, 160, 247.

Laetus est aliquotiens quasi hilaris, iocosus, festiuus :

Prop., I, XI, 25 : seu tristis ueniam seu contra laetus amicis; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 518, 580; *Trist.*, V, I, 7.

Aliquotiens ad uenerea gaudia refertur hoc uerbum :

Ou., *Ars Am.*, II, 485 : laeta salitur ouis; — cf. Ou., *Her.*, XV, 6.

Lampades nonnumquam pro Amoris facibus ponuntur :

Ps. Tib., IV, II, 5-6 : illius ex oculis accendit geminas lampadas acer Amor.

Languidi esse, languescere, dicuntur ii qui fessi uix corpus mouere possunt :

uel ob amorem :

Cat., LXIV, 99 : quantos illa tulit languenti corde timores; — cf. Prop., I, XIII, 15; Ou., *Her.*, XIII, 116;

uel ob dolorem :

Prop., I, III, 2 : languida desertis Gnosia litoribus; — cf. Ou., *Her.*, IX, 136; X, 33;

uel ob amatoriam uoluptatem[2] :

Prop., II, XXII, 27 : nec tamen idcirco languens ad fulmina uenit; — cf. Ou., *Am.*, II, x, 35; *Ars Am.*, II, 692; *Fast.*, III, 25.

Languere dicitur amor ubi aliquid uigoris sui amisit[3] :

Ou., *Am.*, II, IX, 27 : animo relanguit ardor; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 10; *Ars Am.*, II, 436.

1. Addere possemus Tib., II, III, 3 : ipsa Venus laetos iam nunc migrauit in agros. — ubi poeta agros, sicut se ipsum, ob puellae praesentiam laetari dicere uidetur — nisi optimi Mss. *latos* exhiberent.

2. Cf. Cat., LXIV, 331 : languidulos somnos.

3. Eodem sensu, non amor, sed amans *languere* dicitur, cum iam minus amat : Ou., *Rem.*, 511 : cum te languere uidebit.

Digitized by Google

Denique, turpi sensu, *languere* est ad rem uenerem satis uirium non habere :

Cat., LXVII, 21 : Tib., I, IX, 56; Prop., I, III, 38; Ou., *Am.*, III, VII, 3, 27, 66.

Lapis dicitur modo qui erga amantem durus est ac saeuus :

Tib., I, x, 59-60 : a lapis est ferrumque, suam quicumque puellam uerberat;

modo qui maerore stupet :

Ou., *Her.*, X, 50 : quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

Laquei translatiue dicuntur doli quibus uiri puellaeque utuntur ut amantes fallant :

Tib., I, IX, 46 : nam poteram ad laqueos cautior esse tuos; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 646; II, 595;

aut ut sibi amorem conparent :

Ou., *Ars Am.*, III, 591 : dum cadit in laqueos; — cf. Ou., *Rem.*, 502.

Lasciuia significat simul uoluptatem et inpudentem liberamque audaciam. Sic *lasciuus* dicitur Amor, quia nihil reueretur :

Tib., I, x, 61; Prop., II, XXIX, 7; Ou., *Am.*, III, 1, 43; *Ars Am.*, II, 497; III, 27; *Pont.*, III, III, 47.

Lasciuia dicitur de iocis cum amatoriis uoluptatibus permixtis :

Tib., I, IX, 59-60 : nec lasciua soror dicatur plura bibisse pocula uel plures emeruisse uiros; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 21; I, VIII, 98; II, x, 27; III, VII, 10; III, XIV, 19, 26; *Rem.*, 383, 728; *Fast.*, V, 331.

Ideoque *lasciua* saepe dicuntur carmina amatoria :

Prop., II, XXXIV, 87 : lasciui scripta Catulli; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 331; *Trist.*, II, 313, 345, 427; V, I, 15.

Lasciui quoque sunt qui in amore omnia audent :

Prop., IV, V, 8 : nubere lasciuo Antinoo; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 77; *Ars Am.*, II, 715.

Lasciui dicuntur qui amantes ludunt et rident :

Ou., *Ars Am.*, II, 567 : quotiens lasciua pedes risisse mariti dicitur; — cf. Ou., *Her.*, XV, 229;

et qui nimium molles sunt ac parum seueri[1] :

Ou., *Her.*, IX, 65 : lasciuae more puellae; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 523.

Lassus dicitur qui corpore fessus est post amatorium opus :

Tib., I, IX, 55 : cum furtiuo iuuenem lassauerit usu; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 2; III, VII, 80; III, XI, 13; *Rem.*, 414.

Latebrae dicuntur loca ubi furtim amantes conueniunt :

Ou., *Ars Am.*, II, 393 : ne te capiat latebris sibi femina notis.

1. Cf. Prop., IV, VIII, 76 : cum lasciuum sternet harena forum.

Digitized by Google

Lateri adhaerere, ad *latus* esse, est ab amante non discedere :

Cat., XXI, 6 : haerens ad latus; — cf. Tib., I, v, 62; Prop., III, xiv, 22; Ou., *Am.*, III, xi, 17.

Latus iungere lateri modo est amantis corpus contingere :

Ou., *Ars Am.*, I, 140 : iunge tuum lateri, qua potes usque, latus; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 606;

modo ad rem ueneream refertur :

Ou., *Her.*, II, 58 : lateri conseruisse latus; — cf. Ou., *Am.*, I, xiii, 6; *Her.*, XVIII, 138.

Alias eodem uocabulo utuntur poetae, et ubi pulchritudinem corporis laudant :

Ou., *Am.*, I, v, 22 : quantum et quale latus! — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 780;

et ubi gestus habitusque feminarum describunt :

Ou., *Am.*, II, iv, 30 : et tenerum molli torquet ab arte latus; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 301, 351, 788.

Denique *latus* turpiter accipitur pro uirili uigore :

Cat., VI, 13 : latera ecfututa; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 48; II, x, 25; III, vii, 36; III, viii, 14; III, xi, 14; *Ars Am.*, II, 413, 673.

Laudare saepissime est gratulari feminae ob pulchritudinem corporis, capillorum, ornamentorum, aut ob morum integritatem :

Ou., *Ars Am.*, I, 621 : nec te pigeat laudare capillos; — cf. Ou., *Am.*, I, v, 23; I, xiv, 49; *Her.*, XVI, 126, 127, 168; XIX, 61; XX, 33, 37; *Ars Am.*, I, 683; II, 297, 303.

Alias *laudare* est feminae pulchritudinem coram alia extollere :

Tib., I, vi, 69 : laudare nec ullam possim ego; — cf. Ou., *Am.*, II, vii, 7;

aut feminam celebrare fabulis aut uersibus :

Ou., *Am.*, II, i, 33 : ut facies tenerae laudata est saepe puellae; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 131; *Ars Am.*, II, 283.

Denique *laus* est aliquotiens gloria quam uiri e uictis deceptisque puellis capiunt :

Prop., II, xxi, 10 : has laudes ille maritus habet; — cf. Ou., *Her.*, XX, 110.

Laxari corpus rugis, id est minus firmum ac iuuenale fieri, dicitur :

Ou., *Ars Am.*, III, 73.

Lectus a nostris poetis adeo frequenter nominatur ut omnia loca laudare infiniti sit operis. Notandi sunt solum uersus in quibus *lectus* pro coniugio ponitur :

Prop., II, vi, 23 : felix Admeti coniunx et lectus Vlixis; — cf. Ou., *Her.*, IV, 127;

aut pro amore :

Tib., IV, xiii, 1 : nulla tuum nobis subducet femina lectum; — cf. Prop., II, xx, 24; II, xxxiv, 17; III, viii, 37; III, xx, 2, 21; IV, viii, 27; Ou., *Ars Am.*, I, 743; II, 377.

Digitized by Google

Adnotari quoque potest usitatissima locutio : *lecti foedera*, aut *iura* :

Tib., I, v, 7; Ou., *Am.*, III, xi, 45; *Her.*, V, 101; IX, 159.

Lenis est saepe quasi tener, amatorius, et de uerbis carminibusue dicitur :

Tib., I, viii, 2 : quidue ferant miti lenia verba sono; — cf. Prop., I, ix, 12; Ou., *Am.*, II, i, 22.

Lenis pro clementi quoque ponitur, seu de amata puella agitur, seu de Amore ipso :

Tib., II, i, 80 : cui placidus leniter adflat Amor; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 310.

Lenis est aliquando idem ac moderatus :

Ou., *Ars Am.*, I, 718 : lenius instando taedia tolle tui.

Itaque *leniri*, id est minui dicuntur amantium dolores :

Prop., III, xxi, 32 : spatia annorum... lenibunt uulnera nostra; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 210.

Denique *lenis* est sicut uenustus :

Ou., *Her.*, XIX, 120 : niueo lenis in ore rubor.

Leno, lena, proprio sensu saepe apud nostros auctores reperiuntur. Aliquotiens haec uerba translatiue referuntur ad eos quorum opera alii in amorem inducti sunt :

Ou *Am.*, III, xii, 11 : me lenone placet;

aut ad dotes quibus feminae placent :

Ou., *Ars Am.*, III, 316 : pro facie multis uox sua lena fuit; — cf. Ou., *Am.*, III, i, 4; *Ars Am.*, III, 752.

Lentus dicitur saepe qui amantem non redamat, sed frigidus remanet :

Tib., II, vi, 36 : sis mihi lenta ueto; — cf. Ps. Tib., IV, xi, 6; Prop., I, vi, 12; I, xv, 4; II, xiv, 14, 22; II, xxxiii, 25; Ou., *Am.*, I, viii, 76; III, vi, 60; *Her.*, II, 23; VI, 17; XVIII, 70; *Ars Am.*, II, 357; III, 573.

aliquotiens qui riualibus non satis irascitur :

Prop., III, viii, 20 : hostibus eueniat lenta puella meis; — cf. Ou., *Am.*, II, xix, 51; *Her.*, VIII, 18; XVI, 249; *Rem.*, 774;

Interdum parum honeste accipitur hoc uerbum :

Prop., II, xv, 8.

Lepos, lepidus, simul amatoriam uoluptatem et ingenii uenustum quoddam acumen significat :

Cat., VI, 2 : ni sint inlepidae atque inelegantes; — cf. Cat., X, 4; XII, 8; XVI, 7; XXXVI, 17.

Haec uerba ad carmina referuntur :

Cat., I, 1 : lepidum nouum libellum; — cf. Cat., VI, 17.

Digitized by Google

Ironice ponuntur :
Cat., LXXVIII, 1, 2.

Aliquotiens *lepos* pro lepida persona accipitur :
Cat., XXXII, 2 : meae deliciae, mei lepores;

Leuare est plerumque consolari ac uim doloris minuere :
Cat., II, 10 : animi leuare curas; — cf. Prop., I, IX, 34; Ou., *Her.*, III, 62; *Rem.*, 586.

nonnumquam liberare, uindicare :
Ou., *Rem.*, 73 : dominis subpressa leuabo pectora.

Lēuis semper ad corporis, peculiariter feminei, pulchram expolitamque formam refertur :
Cat., LXV, 332 : leuia substernens robusto bracchia collo; — cf. Cat., LXVI, 10; Tib., I, VIII, 31; Prop., II, III, 13; Ou., *Med.*, 68; *Ars Am.*, III, 437.

Lĕuis aliquando ad corpus refertur, ita ut aliquid uenusti significet[1] :
Prop., I, III, 13 : subiecto leuiter positam temptare lacerto.

Leue dicitur aut quod parua aestimatione dignum est :
Cat., LXXII, 6 : multo mi tamen es uilior et leuior; — cf. Prop., I, IV, 9; II, XII, 4;

aut quod haud difficile est ferre :
Prop., I, XVII, 13 : nonne fuit leuius dominae peruincere mores? — cf. Prop., II, V, 16;

aut quod non alte in animum intrat :
Prop., I, XIX, 5 : non adeo leuiter noster puer haesit ocellis; — cf. Ou., *Her.*, XV, 277.

Leues animi dicuntur eorum qui non bene fundatam aduersus amorem uim tenent :
Prop., I, IX, 31 : nedum tu possis, spiritus iste leuis; — cf. Ou., *Am.*, III, XI, 33; *Ars Am.*, I, 139; *Fast.*, I, 261.

Ideoque *leuitas* saepe idem ualet atque inconstantia :
Cat., LXI, 97-98 : leuis in mala deditus uir adultera; — cf. Tib., I, IX, 40; Prop., I, XV, 1; II, I, 49; II, V, 28; II, XVI, 26; II, XXIV, 18; Ou., *Am.*, II, IX, 49; II, XVI, 45; *Her.*, III, 42; V, 109; *Ars Am.*, II, 19 : *Fast.*, III, 481.

Leues igitur dicuntur feminae quae quasi iure inconstantiam exercent neque ullis officiis sunt adstrictae :
Ou., *Rem.*, 380 : et leuis arbitrio ludat amica suo.

Leuis amor est laetus et festiuus :
Tib., I, VII, 44 : chorus et cantus et leuis aptus amor; — cf. Tib., I, I, 73; Ou., *Fast.*, IV, 100.

1. Cf. Ou., *Ars Am.*, III, 286 (de ridendi ratione) : leue nescio quid femineumque sonet.

Digitized by Google

Itaque hoc uerbum saepe ad amatoria uerba aut carmina refertur[1] :
Ou., *Am.*, II, I, 21 : blanditias elegosque leues; — cf. Ou., *Am.*, I, 19; III, I, 41; *Ars Am.*, I, 571; *Trist.*, II, 339, 436; *Pont.*, IV, V, 1.

Lex dicitur imperium, seu Veneris aut Amoris :
Tib., I, V, 58 : saeuit et iniusta lege relicta Venus; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 158;

seu puellae :
Tib., I, VI, 69 : et mihi durae sint leges; — cf. Tib., II, IV, 52; Prop., III, XX, 16; IV, VIII, 74, 81; Ou., *Am.*, I, VIII, 70; II, XVII, 23; *Ars Am.*, II, 202.

Legitimus semper ad ueras iustasque nuptias pertinere plane uidetur :
Ou., *Her.*, XV, 286 : castaque legitimi fallere iura tori; — cf. Ou., *Her.*, V, 78; XIII, 30; XVI, 4; *Trist.*, II, 536; *Pont.*, III, III, 50.

Libari, id est inminui, dicitur aut pulchritudo :
Prop., IV, V, 58 : ne quid cras libet ab ore dies;

aut uirginitas :
Ou., *Her.*, II, 115 : cui mea uirginitas auibus libata sinistris; — cf. Ou., *Her.*, XV, 161;

aut fama :
Ou., *Her.*, IV, 27 : carpes libamina famae.

Libertas proprio sensu dicitur de feminis quae custodes aut uiros non habent timendos :
Prop., II, XXIII, 13 : reiecto quae libera uadit amictu; — cf. Ou., *Am.*, II, II, 15; *Ars Am.*, III, 604.

Libera uerba sunt quae pudoris leges non multum curant :
Prop., III, X, 24 : et sint nequitiae libera uerba tuae.

Sed plerumque *liberi* dicuntur qui non amoris iugum ferunt :
Tib., II, IV, 2 : iam mihi, libertas illa paterna, uale; — cf. Prop., I, I, 28; I, IX, 2; I, X, 30; II, II, 1; II, VIII, 15; II, XXI, 6; II, XXIII, 23, 24.

Libri, libelli, sunt modo e pluribus carminibus conflata uolumina :
Cat., I, 1 : lepidum nouum libellum; — cf. Cat., I, 8; Ps. Tib., III, I, 17; Prop., II, III, 4; II, XXIV, 1; Ou., *Ars Am.*, III, 47; *Rem.*, 361;

modo carmina ipsa aut elegiae :
Prop., I, XI, 19-20 : si quid tibi triste libelli adtulerint nostri; — cf. Prop., I, IX, 13; II, XIII, 25; II, XXV, 3; III, II, 13; III, III, 19; III, IX, 43; IV, VII, 50; Ou., *Am.*, II, XI, 31; II, XVII, 33; III, VIII, 5-6; III, XII, 7; *Rem.*, 1, 67; *Trist.*, II, 1; III, VII, 27; *Pont.*, I, VIII, 9; IV, XII, 25; IV, XIII, 9;

interdum epistulae amantium :
Ou., *Her.*, XVI, 143 : quod tacito mando mea uerba libello; — cf. Ou., *Her.*, XI, 2.

1. Apud Prop., II, XII, 22, *Musa leuis* dicitur quasi humilis et tenuis.

Digitized by Google

Libet aliquando ad gaudia pertinet[1] :

Prop., I, IV, 14 : et quae gaudia sub tacita dicere ueste libet; — cf., Prop., II, XXX, 25; Ou., *Her.*, XIII, 32.

Alias hoc uerbum aut iussa non multum meditata significat :

Tib., I, IV, 39 : puero quodcumque tuo temptare libebit; — cf. Prop., II, XXIV, 25.

aut cupiditates subitas et temerarias :

Ou., *Her.*, XVI, 177 : et libet et timeo; — cf. *Her.*, XV, 118; XVII, 92; *Ars Am.*, III, 310;

Libido est interdum idem ualet ac *libet* :

Ou., *Am.*, II, VII, 19 : si sit peccasse libido;

sed plerumque *libido* cupiditatem amatoriam significat :

Cat., LXIV, 147 : cupidae mentis libido; — cf. Cat., XLV, 24; Prop., II, XXXII, 33;

ac peculiariter cupiditatem effrenatam neque ullis legibus obnoxiam :

Prop., III, XIX, 1 : obicitur totiens a te mihi nostra libido; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 28, 341;

aut uagum leuemque amorem :

Prop., III, XX, 23 : soluit mox uincla libido; — cf. Ou., *Her.*, I, 73.

Libido est quoque turpis uoluptas :

Prop., II, XVI, 14 : rumpat ut adsiduis membra libidinibus; — cf. Ou., *Am.*, II, XV, 25.

Licentia est nimia libertas ac petulantia in rebus amatoriis uel dicendis uel faciendis :

Ou., *Rem.*, 371 : quem nostra licentia laedit; — cf. Ou., *Trist.*, II, 283, 431; *Fast.*, V, 367.

Ligare uel **adligare** est amoris nodis aliquem uincire :

Prop., I, V, 12 : illa feros animis adligat una uiros,

Liceri est muneribus amorem temptare :

Ou., *Am.*, III, VIII, 59 : ne nostros auide liceantur amores.

Limina ante quae iuuenes orant, lacrimant, uigilant saepe a nostris memorantur :

Tib., II, VI, 13 : rediturum ad limina numquam; — cf. Tib., I, II, 17; I, V, 71; II, I, 74; II, IV, 32; II, VI, 47; Prop., I, VIII, 22; I, XVI, 22; I, XVIII, 12; II, VII, 9; II, XXV, 17; III, III, 47; III, XXV, 9; IV, I, 146; Ou., *Am.*, I, VI, 64, 68, 73; I, IX, 19; *Ars Am.*, III, 72; *Rem.*, 508, 677, 785.

Aliquotiens *limen*, non solum pro domo, sed pro ipsa persona ponitur :

Prop., I, IV, 22 : heu nullo limine carus eris; — cf. Prop., I, XIII, 34; II, VI, 24.

1. Cf. Cat., II, 6 : carum nescio quid libet iocari.

Digitized by Google

Limes est uia qua ad amorem sibi conciliandum amantes peruenire possunt :

Ou., *Ars Am.*, III, 558 : nec... idem limes agendus erit.

Lingua in describendis osculis nominatur :

Ou., *Am.*, III, XIV, 23 : purpureis condatur lingua labellis; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 122.

Linquere, relinquere, est interdum proficisci, ab amante discedere :

Prop., III, XII, 1 : plorantem potuisti linquere Gallam? — cf. Prop. I, VI, 8; Ou., *Her.*, I, 8; XVI, 171; XVIII, 179.

Saepius hoc uocabulum dicitur de uiris qui puellas deserunt :

Cat., LXIV, 133 : me deserto liquisti in litore; — cf. Cat., LXIV, 123; Ps. Tib., III, VI, 40; Prop., II, XXIV, 46; Ou., *Am.*, II, XVIII, 22; *Her.*, II, 76; III, 61, 66, 81; V, 29; VII, 7, 84, 133; X, 80, 129; *Ars Am.*, III, 36, 158.

Linquere est quoque fidem uiolare, etiamsi de itinere nullo agatur :

Prop., II, IX, 23 : qui te prius ipse reliquit; — cf. Prop., III, VI, 21; Ou., *Am.*, III, V, 41; *Ars Am.*, I, 447; II, 111; *Rem.*, 583, 785.

Relicta quoque dicitur ab infidis Venus :

Tib., I, V, 58 : saeuit relicta Venus.

Relinquere dicitur etiam de amantibus qui non in constitutum locum conueniunt :

Ps. Tib., IV, XII, 5 : hesterna te solum nocte reliqui.

Denique *relinquere* est interdum a femina possidenda sese abstinere :

Ou., *Her.*, IX, 52 : quarum de populo nulla relicta tibi est.

Linter, prospere uel infeliciter nauigans, nonnumquam dicitur amor :

Tib., I, V, 76 : in liquida nat tibi linter aqua.

Lites sunt aliquando querelae et contentiones :

Prop., IV, VII, 95 : haec postquam querula mecum sub lite peregit; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 151, 153, 155.

Alias sunt *lites* uenerea bella [1] :

Prop., IV, V, 39-40 : morsus... litibus alterius quos putet esse datos.

Liuor aliquotiens notatur inter amatoriarum uoluptatum signa :

Tib., I, VI, 13-14 : liuor... quem facit inpresso mutua dente uenus; — cf. Prop., III, VIII, 22; Ou., *Am.*, I, VIII, 98.

Locus aliquotiens est occasio, facilitas ad puellam accedendi :

Prop., II, XXII, 38 : altera si quando non sinit esse locum; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 604.

1. Hoc uerbum propriam retinet significationem apud Ou., *Rem.*, 660 : non illas lites Appias ipsa probat.

Digitized by Google

Alias *locus* est domus in qua amantes conueniunt :

Ou., *Ars Am.*, II, 394 : non uno est omnis conuenienda loco; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 367; III, 663.

Turpiorem quoque habet sensum hoc uerbum :

Ou., *Ars Am.*, II, 719 : loca quae tangi femina gaudet; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 799.

Longus ad corporis staturam saepe pertinet [1] :

Cat., LXXXVI, 1 : mihi candida, longa, recta est; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 33, 36; III, III, 8; *Ars Am.*, III, 777, 780.

Longus amor est constans et inconcussus :

Ou., *Rem.*, 268 : longus et inuito pectore sedit amor; — cf. Ou., *Rem.*, 543.

Loqui, loquella, de amatoriis sermonibus interdum dicuntur :

Cat., LV, 20 : uerbosa gaudet uenus loquella; — cf. Prop., III, XIV, 25.

Loquacia dicuntur ea signa quibus amor exprimitur :

nutus :

Tib., I, II, 21;

oculi :

Tib., II, VI, 43;

uultus :

Ou., *Am.*, I, IV, 17.

Lucere dicitur modo de puellarum nitidis uestibus :

Prop., II, III, 15 : nec si qua Arabio lucet bombyce puella;

modo de natiuo corporis colore :

Ou., *Am.*, III, III, 6 : niueo lucet in ore rubor; — cf. Ou., *Her.*, XX, 217.

Luctari translatiue est cum amore pugnare [2] :

Ou., *Am.*, I, II, 9 : cedimus, an subitum luctando accendimus ignem? — cf. Ou., *Am.*, II, IX; 12; *Her.*, XV, 237; *Rem.*, 531.

Alias, *luctari* est amantis conatus ui repellere :

Ou., *Her.*, XVI, 27-28 : oscula luctanti tantummodo pauca proteruus abstulit.

Denique, *luctari* modo ad oscula refertur :

Ou., *Am.*; III, VII, 9 : oscula luctantia linguis;

modo ad ipsam rem ueneream :

Prop., II, I, 13; II, XV, 5.

Ludere aliquando proprio sensu accipitur :

Cat., XCIX, 1 : subripui tibi, dum ludis, sauiolum; — cf. Cat., II, 2, 9; L, 2, 5; Tib., I, III, 64; Ou., *Rem.*, 23, 24.

1. Cf. *longae manus* apud Prop., II, II, 5.
2. Cf. Ou., *Am.*, III, XI, 33 : luctantur... hac amor, hac odium.

Digitized by Google

Alias, hoc uerbum amorem hilarem ac iocosum significat :

Cat., XVII, 17 : ludere hanc sinit; — cf. Cat., LXVIII, 156; Prop., I, x, 9; Ou., *Am.*, I, viii, 43 : II, iii, 13; *Her.*, XVI, 17; *Ars Am.*, II, 600; *Rem.*, 380;

ac peculiariter amorem leuem longeque a turbido animi impetu distantem[1] :

Ou., *Rem.*, 433 : luditis, o si quos potuerunt ista mouere; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 91; III, 515.

Et *ludere* nonnumquam est quasi amori indulgere :

Ou., *Her.*, XVI, 153 : lude, sed occulte; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 389; III, 62;

ac saepe in turpiorem significationem uertitur :

Cat., LXI, 204 : ludite ut lubet; — cf. Prop., II, vi, 4; II, xv, 22; II, xxxii, 29.

Ac carmina amatoria frequenter hoc uerbo denotantur :

Cat., LXI, 225 : lusimus satis; — cf. Cat., LXVIII, 17; Prop., II, xxxiv, 85; Ou., *Am.*, III, i, 27; *Ars Am.*, III, 800; *Trist.*, I, ix, 61; II, 223, 538; III, i, 7; III, ii, 5; III, iii, 73; IV, x, 1; V, i, 7, 43; V, vii, 21; *Fast.*, II, 6; IV, 9.

Alio sensu, *ludere* est idem ac deridere :

Tib., I, ii, 89 : qui iuuenum miseros lusisset amores; — cf. Tib., I, viii, 71; Prop., IV, i, 140;

aut fallere, prodere :

Tib., I, vi, 9 : ludere custodes; — cf. Prop., II, xxi, 13; II, xxv, 27; Ou., *Am.*, I, iii, 22; I, viii, 86; I, x, 4; II, xix, 33; III, iii, 20; III, vii, 77; *Her.*, XVI, 43, 142; XX, 116; *Ars Am.*, I, 643; II, 258; III, 332, 611;

aut frustra conari :

Prop., II, xxxiii, 23 : non audis et uerba sinis mea ludere.

Lugere dicuntur cum qui ab amantibus deserti sunt :

Cat., LXIV, 199 : nostrum uanescere luctum; — cf. Cat., LXIV, 247; Ou., *Her.*, X, 137, 143;

tum qui in amore cuiusuis modi maerores patiuntur :

Cat., LXIV, 71-72 : adsiduis quam luctibus externauit Erycina;

tum ii qui ob amantium mortem dolent :

Tib., II, iv, 43 : seu ueniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 95; *Ars Am.*, III, 83.

Lumina saepissime pro oculis ponuntur :

Cat., LXIV, 86 : cupido lumine; — cf. Cat., LXIV, 92; LXVI, 30; LXVIII, 55; Tib., I, viii, 68; Prop., I, xv, 40; I, xviii, 16; II, vii, 10; II, xii, 23; II, xxv, 40; II, xxx, 10; II, xxxii, 2, 18; III, vi, 17; III, xiv, 27; IV, xi, 64; Ou., *Her.*, IV, 84; X, 45; XII, 36, 190; XV, 37, 134; XVIII, 25.

Alias *lumen* uocatur amata puella :

Tib., IV, xiii, 11-12 : tu nocte uel atra lumen; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 86.

1. Cf. Ou., *Ars Am.*, III, 515 : sic ubi prolusit (Amor).

Digitized by Google

Lux mea usitatum est nomen quo saepissime amatores puellas uocant [1] :

Cat., LXVIII, 132, 160; Prop., II, xiv, 29; II, xxviii, 59; II, xxix, 1 ; Ou., *Am.* I, iv, 25; II, xvii, 23; *Trist.*, III, iii, 52;

aliquotiens autem puellae uiros :

Ps. Tib., IV, iii, 15 : IV, xii, 1; Ou., *Ars Am.*, III, 524.

Luxuria est modo diues elegansque cultus :

Tib., II, iii, 51 : ut mea luxuria Nemesis fluat; — cf. Ou., *Her.*, XV, 194; *Rem.*, 746;

modo nimius ac peruersus cultus :

Prop., I, ii, 32 : taedia dum miserae sint tibi luxuriae; — cf. Prop., III, xiii, 4; Ou., *Her.*, I, 88;

modo morum licentia et inpudicitia :

Prop., I, xvi, 12 : turpior et saecli uiuere luxuria; — cf. Prop., III, xii, 18.

Macies nimia et iniucunda corporis gracilitas est :

Ou., *Rem.*, 328 : in gracili macies crimen habere potest; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 600.

Interdum *macerari* ponitur inter doloris signa :

Ou., *Her.*, XIX, 125 : maceror quod sim tibi causa dolendi.

Maesti dicuntur, cum uiri, tum puellae, aut ob amantium mortem :

Ps. Tib., III, ii, 12 : et fleat ante meum maesta Neaera rogum; — cf. Ps. Tib., III, ii, 14; Prop., II, ix, 11;

aut quia casu aliquo ab amantibus seiunguntur :

Cat., LXVI, 29 : sed tum maesta uirum mittens quae uerba locuta est — cf. Ou., *Am.*, I, iv, 61; *Her.*, V, 46; VIII, 108;

aut quia ab amantibus deserti ac decepti sunt aut contempti :

Cat. LXIV, 240 : prospectans cedentem maesta carinam; — cf. Cat., LXIV, 130 : Prop., I, xv, 11; Ou., *Her.*, II, 121; VI, 154; X, 149.

Maerent iuuenes cum iuuentutem elapsam queruntur :

Tib., I, iv, 34 : maerentem stultos praeteriisse dies;

puellae, cum a saeuis uiris pulsae sunt :

Ou., *Am.*, II, v, 44 : maesta erat in uultu.

Denique *maestus* significat interdum consuetam et quasi naturalem animi tristitiam :

Ou., *Ars Am.*, III, 517 : odimus et maestas.

Nec semper ad personas ipsas refertur hoc uerbum, sed per hypallagen :

1. Apud Ou., *Am.*, I, viii, 23, Dipsas lena hoc uerbo Corinnam salutat.

Digitized by Google

ad figuram :
Ou., *Her.*, X, 134;

ad oculos :
Cat., LXIV, 60; LXVIII, 55;

ad pectus :
Cat., LXIV, 202;

ad sinum :
Ou., *Ars Am.*, III, 743;

ad querelas et fletus :
Tib., I, VIII, 53, Prop., I, V, 15;

ad uestem :
Prop., III, VI, 13.

Magister dicitur qui artem amoris adliciendi docet :
Tib., I, IV, 75 : uos me celebrate magistrum; — cf. Tib., I, IV, 84; Ou., *Ars Am.*, II, 173, 744; III, 341, 812; *Rem.*, 55;

uel qui uoluptatis libidinisque auctor est :
Prop.. III, XII, 18 : cum sit luxuriae Roma magistra suae;

uel qui rei uenereae experientiam ac peritiam aliis tradit :
Ou., *Ars Am.*, II, 479 : quid facerent, ipsi nullo didicere magistro; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 62.

Magnificus de superbia eorum qui amorem respuunt aliquando dicitur :
Tib., I, V, 5-6 : libeat ne dicere quicquam magnificum post haec; — cf. Tib., II, VI, 11.

Magnus nonnumquam corporis excelsam staturam significat :
Prop., II, II, 5 : maxima toto corpore;

saepius uim amoris :
Cat., XLV, 13 : maior acriorque ignis; — cf. Prop., IV, III, 49; IV, V, 30; Ou., *Ars Am.*, I, 736.

Interdum *magnus* idem ualet ac magnificus :
Tib., II, VI, 11 : magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto...

Malle est acrius amare :
Cat., LXXIX, 1 : quem Lesbia malit; — cf. Cat., XLV, 22; Ou., *Am.*, I, XIII, 39.

Male dicere est modo de amante male loqui :
Cat.. XCII, 1 : Lesbia mi dicit semper male; — cf. Cat., LXXXIII, 1; CIV. 1;

modo amanti probra coram ingerere :
Tib., II, V, 101 : ingeret hic potus iuuenis maledicta puellae; — cf. Prop., III, VIII, 2; Ou., *Ars Am.*, II, 107, 533.

Digitized by Google

Malignus est in amore largiendo parcus et auarus :
Ou., *Am.*, I, IV, 66 : sitque maligna uenus.

Mala dicuntur omnes dolores quos amantes patiuntur :
Cat., LXIV, 163 : externata malo; — cf. Cat., VI, 15; XXX, 5; XXXVIII, 1, 2, Tib., I, II, 87; I, VIII, 64; II, V, 108; II, VI, 19; IV, XIII, 20; Prop., I, I, 35; I, V, 4; I, VII, 14; II, V, 16; II, XXII, 2; II, XXV, 48; Ou., *Am.*, II, V, 4, 57; II, IX, 26; *Her.*, VIII, 106, 111; XI, 33; XII, 20, 140; *Rem.*, 559, 768.

Saepe *malum*, id est morbus, dicitur amor :
Prop., I, V, 28 : cum mihi nulla mei sit medicina mali; — cf. Prop., I, IX, 18; II, IV, 10; III, XVII, 10; Ou., *Rem.*, 92, 138, 526, 539.

Nonnumquam *mala* sunt corporis uitia :
Ou., *Rem.*, 323 : et mala sunt uicina bonis.

Mali (aut **pessimi**) dicuntur qui officia, seu coniugii, seu amoris, non satis reuerentur et obseruant :
Cat., LXVII, 36 : malum adulterium; — cf. Cat., XV, 10; LV, 10 [1]; LXI, 97; Tib., II, IV, 31; Ou., *Am.*, III, XI, 42; *Her.*, XIII, 44; *Ars Am.*, III, 453.

Malus est Amor cum amantibus non fauet :
Prop., II, XVIII, 22 : huic malus esse solet, cui bonus ante fuit;

mali quoque qui in amantes sunt crudeles :
Cat., LXIV, 175 : malus hic celans dulci crudelia forma consilia; — cf. Prop., II, XXIV, 44; — cf. quoque Tib., I, IV, 76, ubi *male habere* amatores dicitur puer.

Mala dicuntur quae amantibus dolorem aut periculum minantur [2] :
Prop., II, XXV, 46 : haec atque illa mali uulneris una uia est; — Ou., *Rem.*, 81, 106.

Malae sunt corporis partes quae laude non dignae uidentur :
Ou., *Rem.*, 317 : quam mala nostrae sunt crura puellae; — cf. Ou., *Ars Am.* III, 271; — cf. deteriora oscula, apud Ou., *Am.*, II, V, 50.

Male amare est modo acriter amare :
Ou., *Her.*, VII, 30 : questaque peius amo;

modo inperite in amore sese gerere :
Ou., *Her.*, IV, 26 : quae uenit exacto tempore peius amat.

Mammae uox non saepe a nostris poetis usurpatur :
Cf. tamen Prop., II, XV, 21; III, XIV, 13.

Manare dicitur amor qui ab amantibus in eos qui adhuc inmunes fuerunt, quasi contagio aliquo, transit :
Ou., *Rem.*, 610 : manat amor tectus.

1. Hoc loco iocose usurpari uidetur hoc uerbum (Camerium mihi, pessimae puellae).
2. Cf. Ps. Tib., III, II, 8 : tot mala taedia.

Digitized by Google

Mandata aliquando sunt iussa feminae :

Prop., III, xvi, 7 : at si distulero haec nostro mandata timore; — cf. Prop., IV, vii, 71.

Manere constantiam pertinaciamque significat, et modo ad amorem refertur :

Tib., II, ii, : uincula quae maneant semper; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 242; *Rem.*, 168;

modo ad ipsos amantes :

Prop., II, xx, 17 : me tibi ad extremas mansurum tenebras; — cf. Prop., I, x, 29.

Mansuetus modo ad dulces amoris curas refertur :

Prop., I, ix, 12 : carmina mansuetus lenia quaerit Amor;

modo ad clemens puellae imperium :

Prop., III, xvi, 10 : in me mansuetas non habet illa manus.

Manus inicere est modo uim facere puellae :

Ou., *Ars Am.*, I, 116 : uirginibus cupidas iniciuntque manus;

modo fouere et amplecti :

Ou., *Am.*, I, iv, 6 : iniciet collo, cum uolet, ille manum.

Manus dare est amantis precibus ac uotis cedere :

Ou., *Her.*, IV, 14 : dabit uictas ferreus ille manus; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 260; XX, 240; *Ars Am.*, I, 462; III, 658; *Fast.*, III, 688.

Marcere est ad rem uenerem non satis uirium habere :

Ou., *Am.*, I, xiii, 41 : si uir tibi marcet ab annis.

Maritus plerumque ad uerum iustumque coniugium pertinet :

Cat., LXIV, 374 : dedatur nupta marito; — cf. Cat., LXI, 55, 135, 140, 184, 189; LXIV, 328; LXXVIII, 5; Ps. Tib., III, iv, 31; Prop., I, ii, 19; II, vii, 9; II, xxi, 10; III, xiii, 15; IV, v, 7, 15; IV, vii, 63; Ou., *Am.*, I, ix, 25; I, xiii, 1; II, ii, 51; II, xix, 51, 57; III, iv, 27; III, viii, 63; *Her.*, I, 27; II, 79; III, 69; IV, 134, 141; V, 9, 107, 133; VI, 17; VIII, 25, 95; XII, 175; XIII, 45, 139; XIV, 19; XV, 197, 299, 305; XIV, 227; *Med.*, 25; *Ars Am.*, I, 687; II, 153, 258, 545, 567; III, 17, 49, 303, 611.

Atque hoc sensu, non solum ad uiros feminasque, sed et ad res hoc uerbum refertur :

ad faces :

Prop., IV, xi, 33 : Ou., *Her.*, XI, 101;

ad fidem :

Prop., IV, iii, 11;

ad ianuam :

Cat., LXVII, 7;

Digitized by Google

ad iura :

Ou., *Ars Am.*, II, 381;

ad sacra :

Ou., *Her.*, XII, 87;

ad toros :

Ou., *Her.*, II, 41;

ad uenerem :

Ou., *Her.*, XV, 283.

Nonnumquam autem hoc uerbum ad amantes, non ad coniuges, pertinet :

Prop., III, xx, 26 : pollueritque nouo sacra marita toro.

Quin etiam hoc uerbum ad muta animalia refertur :

Ou., *Am.*, III, v, 13 : taurus erat comes huic, feliciter ille maritus;

aut ad plantas :

Cat., LXII, 54 : ulmo coniuncta marito.

Mas modo de bestiis dicitur :

Prop., II, xv, 28 : masculus et totum femina coniugium; — cf. Ou., *Am.*, II, vi, 56;

modo de hominibus :

Ou., *Am.*, II, iii, 9 : ista mares tractent; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 277.

Aliquando ad uirilem uigorem spectat hoc uerbum :

Cat., XVI, 13 : male me marem putatis.

Marmoreus candidum robustumque nitorem significat pedum, manuum :

Ou., *Am.*, II, xi, 15 : litora marmoreis pedibus signate, puellae; — cf. Ou., *Met.*, III, 481.

Medicina, mederi, medicus, non raro apud nostros poetas inueniuntur, ac saepe quidem de iis rebus dicuntur quibus leuari possint amantium dolores et labores :

Ps. Tib., III, vi, 3 : aufer et ipse meum patera medicante dolorem; — cf. Prop., I, x, 18; II, xiv, 16, III, xvii, 4;

saepius autem de iis rationibus quae ad delendum omnino amorem ualeant[1] :

Tib., II, iii, 14 : quidquid erat medicae uicerat artis amor; — cf. Prop., I, v, 28; Ou., *Her.*, V, 149; *Rem.*, 77, 91, 131, 135, 314, 793.

1. Apud Ou., *Ars Am.*, II, 489 (iratae medicamina fortia praebe), medicamina sunt ea solatia quae iram puellae placare queant; sed hoc uerbum turpiter hic accipitur. — Apud Prop., I, ii, 7 (non ulla tuae est medicina figurae), medicina est ars medicaminibus ornandi oris.

Digitized by Google

Medullas exedere amantium dicitur seu ignis, cui conparatur saepe amor :

Cat., XXXV, 15; ignes interiorem edunt medullam; — cf. Cat., XLV, 16; LXIV, 93; C, 7; Ou., *Am.*, III, x, 27; *Her.*, IV, 15;

seu sagittae Amoris :

Prop., I, ix, 21 : pueri totiens arcum sentire medullis; — cf. Prop., II, xii, 17;

seu curae doloresque amoris (etiamsi nulla adhibeatur similitudo) :

Cat., LXIV, 190 : extremis proferre medullis; — cf. Cat., LXVI, 23; Ou., *Am.*, II, xix, 43;

seu denique uenerea uoluptas :

Ou., *Ars Am.*, III, 793 : sentiat ex imis uenerem resoluta medullis; — cf. Ou., *Met.*, IX, 484.

Mellitus pro dulci, suaui, aliquando ponitur :

Cat., XLVIII, 1 : mellitos oculos; — cf. Cat., III, 6; XCIX, 1.

Membra sunt plerumque corpus totum :

Cat., L, 14; LXVIII, 29; Tib., I, viii, 30; I, x, 61; Ps. Tib., IV, iv, 6; Prop., I, ii, 6; II, xv, 42; II, xvi, 14; II, xx, 10; II, xxxiv, 42; III, xi, 54; Ou., *Am.*, I, v, 2; I, vi, 6; I, vii, 53; II, x, 18; III, vii, 78; *Her.*, IV, 90; VIII, 112; X, 54; XI, 77; XIV, 68; XV, 224; XVIII, 158; XX, 190, 228; *Rem.*, 412.

Aliquotiens tamen *membra* sunt uiriles partes :

Cat., LXIII, 6; Tib., I, iv, 70; Ou., *Am.*, II, iii, 3; II, xv, 25; III, vii, 13, 65;

aut femineae :

Ars Am., II, 716.

Memor dicitur qui amantis curam habet :

Prop., I, xi, 5 : nostri memores ducere noctes; — cf. Prop., III, xx, 1; Ou., *Her.*, I, 44; *Ars Am.*, II, 270;

aut qui amantis non obliuiscitur absentis aut etiam mortui :

Prop., IV, xi, 91 : seu memor ille mea contentus manserit umbra; — cf. Ou., *Her.*, XI, 125; XVII, 81; XVIII, 129;

aliquotiens quoque qui iniuriam ab amante acceptam mente sua reuoluit :

Prop., III, xii, 20 : duritiaeque tuae non erit illa memor.

Mendae aliquotiens animi culpae sunt :

Ou., *Am.*, II, iv, 1 : non ego mendosos ausim defendere mores;

sed saepius corporis uitia :

Ou., *Rem.*, 417 : quodcumque in corpore mendum est; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 249; II, 653; III, 261, 781.

Mens plerumque est animus :

Cat., LXIV, 147 : cupidae mentis libido; — cf. Cat., LXIV, 70, 97, 136, 248, 330; LXVII, 25; LXXV, 1; Tib., I, ii, 98; II, vi, 51; Prop., I, xiv, 18; III, xix, 4; Ou., *Am.*, I, ii, 30; II, ix, 28; *Her.*, VI, 71; VIII, 57; XII, 32, 148; XV, 170;

Digitized by Google

XVI, 265; XVII, 172; *Ars Am.*, I, 438; II, 145; III, 424, 720; *Rem.*, 150, 414, 443, 503, 691.

Est quoque *mens* animi habitus aut status :

Cat., VIII, 11 : obstinata mente perfer, obdura; — cf. Tib., I, vi, 75; Ps. Tib. III, iv, 63; III, vi, 34; Prop., I, i, 21; Ou., *Am.*, I, viii, 103; I, x, 14; III, vii, 63; III, xiv, 13; *Her.*, XVIII, 7; *Ars Am.*, I, 358, 359; II, 378, 445; III, 572; *Rem.*, 245, 629.

Ac peculiariter *mens* est bonus benignusque animi habitus :

Ou., *Am.*, III, ii, 57 : daque nouae mentem dominae.

Mens quoque dicitur uoluntas :

Ou., *Her.*, XVII, 126 : unaque mens, tellus non habet una duos; — cf. Ou., *Am.*, III, iv, 5; *Her.*, XII, 212; *Ars Am.*, III, 713.

Mens bona est ratio :

Ou., *Am.*, I, ii, 31;

mens mala est insania :

Cat., XV, 14.

Verba *mens abit*, *mens fugit*, *mens redit*, modo uero sensu accipienda sunt :

Ou., *Ars Am.*, III, 730 : et mens et rediit ucrus in ora color;

modo nihil sunt nisi sententiae exaggerationes[1] :

Ou., *Am.*, III, xiv, 37 : mens abit et morior quotiens peccasse fateris; — cf. Ou., *Her.*, IX, 135; *Ars Am.*, III, 684; *Fast.*, II, 753.

Mentiri est nonnumquam promissis falsis amantem decipere :

Cat., CX, 3 : tu, quod promisti, mihi quod mentita...; — cf. Prop., II, xvii, 1.

saepe amorem fingere :

Prop., I, xv, 35 : hos tu iurabas, si quid mentita fuisses...; — cf. Ou., *Am.*, III, iii, 10, 44;

alias perfidiam celare :

Prop., II, xxvi, 3 : et quaecumque in me fueras mentita fateri; — cf. Prop., IV, v, 27; Ou., *Am.*, III, xi, 21;

Dicuntur *mendaces* flatus in amore secundi :

Prop., II, xxv, 27.

Mendaces somni dicuntur quia in somniis falsa capiuntur gaudia :

Ou., *Her.*, XIII, 107.

Mercari est muneribus amorem puellae, aut reconciliationem, emere :

Prop., II, xvi, 15 : ergo muneribus quiuis mercatur amorem? — cf. Prop., II, xxxiv, 71; IV, v, 32; Ou., *Am.*, I, x, 21.

1. Eadem exaggeratio uidetur esse apud Cat., LXVI, 25 : sensibus ereptis mens excidit.

Digitized by Google

Merces proprio sensu ad eadem munera refertur :

Ou., *Am.*, III, VIII, 31 : dum merces aberat, durus pater, ipsa seuera; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 45;

alias ad beneuolentiam qua puellae amorem uerum accipiunt :

Prop., III, VI, 19 : haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces? — cf. Ou., *Her.*, XIX, 142.

Mereri est modo poena dignum esse :

Ps. Tib., III, VI, 55 : nec merito nobis inimica; — cf. Prop., I, VIII, 17; I, XVIII, 9; II, V, 3; IV, VIII, 66; Ou., *Her.*, XX, 202;

modo officia aut beneficia amantibus praebere [1] :

Ou., *Her.*, VI, 83 : nec facie meritisque placet; — cf. Ou., *Her.*, II, 30, 61, 62; V, 155; VII, 177; X, 141; XII, 21, 82, 192, 197; *Ars Am.*, II, 186; III, 10.

Alias hoc uerbum ad laudes aut dotes refertur :

Ou., *Am.*, I, X, 59 : meritas celebrare puellas.

Merere aera est Amori, sicut imperatori, parere :

Ou., *Am.*, I, IX, 44.

Emerere est nonnumquam idem ac merere, benefacere :

Ou., *Am.*, II, VIII, 24 : unum est e dominis emeruisse satis; — cf. Ou., *Her.*, VI, 138;

saepe hoc uerbum in minus honestam partem accipitur :

Tib., I, IX. 60 : plures emeruisse uiros; — cf. Ou., *Am.*, III, XI, 14.

Demerere est amore sese indignum efficere :

Ou., *Her.*, II, 28 : crimine te potui demeruisse meo.

Meretrix plerumque proprio sensu accipitur [2] :

Cat., CX, 7; Ou., *Am.*, I, X, 21; I, XV, 18; III, XIV, 9; *Ars Am.*, I, 435.

Meta non nimis honeste dicitur rei uenereae finis :

Ou., *Ars Am.*, II, 727 : ad metam properate simul; — cf. Ou., *Rem.*, 413.

Metuere est modo de perfidia et fallacia amantium aut riualium anxium esse :

Cat., XV, 9 : a te metuo; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 46; *Her.*, XV, 173; *Ars Am.*, I, 751, 754; III, 659;

modo custodum aut uirorum tutelam timere, aut quodcumque periculum et inpedimentum amantibus obstat :

Tib., I, VI, 75 : nec saeuo sis casta metu; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 5; III, IV, 3, 34; *Her.*, XV, 6; *Ars Am.*, III, 604;

1. Eadem significatio esse uidetur apud Tib., II, IV, 6 (seu quid merui, seu quid peccauimus urit) ubi *mereri* et peccare aduersus Amorem inter se opponuntur.
2. Adnotari potest tamen apud Prop., III, XI, 39 (incesti meretrix regina Canopi), *meretricem* idem ualere ac uoluptariam, libidinosam.

Digitized by Google

alias uereri ne minus ab amante ameris :

Ou., *Ars Am.*, III, 478 : spesque magis ueniat certa minorque metus; — cf. Ou., *Her.*, III, 82.

Metuere est quoque malam famam reformidare :

Ou., *Her.*, XV, 283 : an pudet et metuis uenerem temerare maritam; — cf. Ou., *Am.*, III, xiv, 27; *Her.*, XV, 323; XVI, 147, 184.

Denique *metuere* est timere ipsum amorem :

Prop., III, xi, 6 : uulneribus didicit miles habere metum.

Meus plerumque nihil est aliud nisi blanda suauisque adpellatio :

Cat., III, 17-18 : meae puellae flendo turgidoli rubent ocelli; — cf. Cat., II, 1; XI, 15; XIII, 11; XXXVI, 2; XLV, 2, 13; LXX, 1; LXXV, 1; LXXXVII, 2; Tib., I, I, 57; I, II, 71; I, V, 21; I, VI, 55; I, IX, 11; II, III, 1; II, III, 51; II, IV, 59; Ps. Tib., IV, III, 1; Prop., I, XVIII, 5; II, X, 8; II, XXVI, 29; II, XXXIV, 2; IV, IV, 34; IV, VIII, 15; Ou., *Am.*, I, VII, 4; II, X, 21; II, XVIII, 5; III, VII, 73; III, XII, 10, 43; *Her.*, VI, 25; XIII, 16.

Nec raro *meus* simpliciter ponitur sine nomine substantiuo, quasi meus uir, mea puella :

Tib., II, III, 77 : si clausa mea est; — cf. Tib., I, V, 42; Ps. Tib., IV, VII, 8; Prop., III, VIII, 22; Ou., *Ars Am.*, I, 322; *Fast.*, II, 752.

Alias *meus* firmam inconcussamque amantium possessionem significat [1] :

Ps. Tib., III, I, 6 : seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen; — cf. Prop., I, VI, 9; I, VIII, 26, 34, 42, 44; II, VIII, 6; Ou., *Am.*, II, XIX, 48; III, XII, 5; *Her.*, V, 4; VI, 111; XII, 158; XVI, 138.

Atque hoc quidem sensu, non solum ad personas, sed ad res quoque refertur hoc uerbum, quas amantes quasi iure quodam sibi uindicant :

Tib., I, IX, 77 : blanditiasne meas aliis tu uendere es ausus? — cf. Tib., I, IX, 78; Prop., I, III, 37; Ou., *Her.*, XIX, 145.

Micare dicuntur oculi amantium uoluptate incensorum :

Ou., *Ars Am.*, II, 721 : oculos tremulo fulgore micantes.

Micare quoque dicitur cor amantium qui aliquo timore turbantur :

Ou., *Ars Am.*, III, 722 : pulsantur trepidi corde micante sinus; — cf. Ou., *Her.*, V, 37; *Fast.*, VI, 338.

Militiae saepe conparatur amor :

Tib., I, I, 75 : hic ego dux milesque bonus; — cf. Prop., III, XI, 6; Ou., *Am.*, I, XI, 12; II, IX, 3; II, XII, 13, 28; *Her.*, VII, 32; *Ars Am.*, I, 36; III, 565;

praesertim cum ad labores et curas amantium respiciunt poetae :

Prop., I, VI, 30 : hanc me militiam fata subire uolunt; — cf. Prop., IV, I, 137; Ou., *Am.*, I, IX, 1; *Her.*, XVI, 256; *Ars Am.*, II, 233; 674.

1. At apud Ou., *Am.*, III, XI, 49 (mea semper eris), *mea* dicitur femina non quia ipsa amantis dominationi subiecta est, sed contra quia ei subiectus est amans.

Digitized by Google

Aliquotiens habet hoc uerbum parum honestam significationem :

Ou., *Am.*, III, vii, 68 : nunc opus exposcunt militiamque suam.

Minari dicitur iratus amans :

Prop., I, x, 26 : nec meminit iustas ponere laesa minas; — cf. Prop., I, vi, 9; I, vii, 12; I, xix, 24; II, xxv, 18; III, viii, 7; Ou., *Her.*, XII, 208; *Ars Am.*, III, 582; *Rem.*, 664.

Mirari modo ad corporis pulchritudinem pertinet :

Prop., II, xiii, 9 : non ego sum formae tantum mirator honestae; — cf. Ou., *Am.*, I, xiv, 47;

modo ad mores :

Prop., III, xii, 23 : Postumus alter erit miranda coniuge Vlixes.

Mirari nonnumquam est quasi laudare :

Ou., *Ars Am.*, II, 303 : uocem mirare canentis.

Miscere pectus ad rem ueneream spectat :

Prop., IV, vii, 19.

Miseri dicuntur amantes qui casu aut morte separantur :

Ou., *Her.*, XVII, 171 : exigue misero contingis amanti; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 28; XVIII, 88; *Ars Am.*, III, 746;

aut qui amorem suum spretum uident :

Cat., LXXVI, 19 : me miserum adspicite; — cf. Cat., VIII, 1, 10; XXX, 5; LXI, 132; LXIV, 57, 71, 106; LXVIII, 30; LXXVI, 12; LXXVII, 4; Tib., I, vi, 9; I, viii, 53, 61, 71; I, ix, 45; II, vi, 45; IV, xiv, 4; Prop., I, iii, 40; I, xx, 15; III, vi, 21; Ou., *Am.*, II, ii, 54; II, v, 13; II, xviii, 25, 31; III, xiv, 2; *Her.*, III, 59, 61, 82, 138; V, 33, 123; VII, 7; X, 24; XII, 170; *Ars Am.*, II, 450; *Rem.*, 601;

aut qui timent ne fallantur :

Prop., II, vi, 14 : et miser in tunica suspicor esse uirum; — cf. Prop., III, viii, 16; Ou., *Am.*, I, iv, 45; *Ars Am.*, III, 729;

aut qui aliquos dolores in amore patiuntur :

Tib., IV, xiii, 20 : hoc peperit misero garrula lingua malum; — cf. Tib., I, vi, 2; I, viii, 23; Prop., I, v, 5, 18, 29; I, ix, 9; I, xiv, 21 ; I, xvi, 45; II, i, 78; II, ix, 42; II, xxiv, 28; Ou., *Am.*, I, ix, 28; II, xv, 8; *Ars Am.*, I, 737, 768; III, 45; *Rem.*, 658;

aut denique qui, etiamsi nihil eis incommodi accidat, nimis acri uiolentoque amore capiuntur :

Cat., XXXV, 14-15 : misellae ignes interiorem edunt medullam; — cf. Cat., XLV, 21; L, 9; LI, 5; XCIX, 11; Tib., II, i, 79; II, iv, 4; II, vi, 17; Prop., I, i, 1.

Quibus in sensibus, non modo de personis, sed de rebus usurpatur hoc uerbum :

Cat., XCI, 2 : in misero hoc nostro amore; — cf. Cat., XCIX, 15; Tib., I, ii, 86, 89; I, iv, 72; I, ix, 1; Prop., I, xiii, 10; Ou., *Am.*, II, ix, 28; *Rem.*, 21.

Digitized by Google

Exclamatio *me miserum* aut *miseram* saepissime apud nostros poetas occurrit, neque cum certa significatione :

Tib., II, III, 78; Prop., II, XXXIII, 35; III, XXIII, 19; Ou., *Am.*, I, I, 25; I, IV, 59; I, XIV, 51; II, V, 8; II, XI, 9; II, XVII, 8; II, XVIII, 8; III, II, 69; III, XI, 44; *Her.*, V, 149; VII, 98; XVI, 182; XVIII, 65, 187; XIX, 133, 135; *Ars Am.*, III, 73, 552, 736.

Alias *miser* est quasi crudelis, saeuus :

Cat., LXIV, 94 : misere exagitans inmiti corde furores; — cf. Cat., LXIV, 140; Tib., I, IX, 3; Prop., II, XXXII, 22; Ou., *Am.*, II, VII, 7.

Alias *miser* est quasi malus, damnandus[1] :

Prop., I, II, 32 : tacdia dum miserae sint tibi luxuriae; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 22; *Her.*, IX, 19.

Denique minus honestus est huius uerbi sensus :

Cat., LXXX, 7; Ou., *Am.*, III, VII, 28.

Misereri est precibus lacrimisque amantis moueri :

Ou., *Her.*, V, 155 : dignae miserere puellae; — cf. Ou., *Her.*, IV, 161; XIX, 233; *Ars Am.*, III, 679; — cf. Cat., XXX, 2 : iam te nil miseret tui dulcis amiculi.

Mittere est per nuntium aut litteras conueniendi diem poscere :

Ou., *Am.*, II, II, 5 : ut placuit, misi scriptoque rogaui.

Mitis aliquando de corpore dicitur :

Ou., *Am.*, I, IV, 36 : mite nec in rigido pectore pone caput.

Sed saepius ad mores spectat, ita ut *mites* dicantur qui erga amantes non saeua duraque mente se gerunt :

Tib., I, IV, 53 : tum tibi mitis erit; — cf. Prop., II, XX, 20; Ou., *Am.*, I, X, 26; II, XVII, 5; *Ars Am.*, II, 178, 187, 462.

Alias *mitis* est humanus, non barbarus :

Ou., *Her.*, XIV, 55 : femina sum et uirgo, natura mitis et annis; — cf. Ou., *Her.*, VI, 148; X, 1 (adde Ps. Tib., III, VI, 13 : ille facit mites animos, si cum Lipsio et Baehrensio legendum *mites* putas pro *dites*).

Mitis pro dulci, iucundo, quoque ponitur :

Ou., *Her.*, III, 62 : quis mihi desertae mite leuamen erit?

atque etiam pro amatorio :

Tib., I, VIII, 2 : quidue ferant miti lenia uerba sono; — cf. Tib., I, X, 66 (si *miti* uere legendum est); II, III, 72; Ou., *Trist.*, V, I, 18; *Fast.*, I, 411.

Denique *mitis* dicitur amor qui iam non eandem uim retinet :

Ou., *Her.*, VII, 179 : dum freta mitescunt et amor.

1. Forsan idem sit sensus apud Tib., I, IV, 57 (heu male nunc artes miseras haec saecula tractant), si *artes miseras* esse censeas malam rationem agendi; sed de litteris, quae nunc contemnuntur, agi censet Heynius.

Digitized by Google

Inmites dicuntur ii qui in amantes duri crudelesque sunt :
Cat., LXIV, 138 : inmite ut nostri uellet miserescere pectus; — cf. Cat., LXIV, 94; Ps. Tib., III, IV, 74; Ou,, *Her*.. III, 133;

et aliquando res quae amantium felicitati obstant :
Ou., *Am*., I, VI, 17 : inmitia claustra.

Mobilis de corporis motibus dicitur :
Ou., *Ars Am*., III, 352 : tantum mobilitas illa decoris habet;

ac saepe obsceno sensu accipitur :
Ou., *Am*., II, IV, 14 : in molli mobilis esse toro; — cf. Ou,, *Am*., III, XIV, 26;

aliquando tamen ad morum inconstantiam refertur :
Ou., *Her*., VI, 109 : mobilis Aesonide uernaque incertior aura.

Modus, modestus, moderatus amorem non ad extremos fines elatum significant :
Prop., II, XV, 30 : uerus amor nullum nouit habere modum; — cf. Ou., *Am*., II, XVII, 3; *Her*., XVI, 31; XIX, 53.

Modestus saepe est pudicus, reuerentiae plenus :
Ou., *Am*., II, IV, 11 : oculos in se deiecta modestos; — cf. Ou., *Am*., I, IV, 15; III, VI, 67; III, XIV, 16; *Her*., XVIII, 63.

Aliquando autem *modestus* dicitur qui non nimio pretio se dignum putat :
Ou., *Fast*., V, 199 : quae fuerit mihi forma, graue est narrare modestae.

Modi sunt aliquotiens ueneris iungendae uaria genera :
Tib., II VI, 52 : quisue meam teneat, quot teneatue modis; — cf. Ou., *Am*., III, VII, 64; III, XIV, 24; *Ars Am*., II, 680; III, 771, 787.

Alias sunt *modi* rationes ad amorem capiendum aptae :
Ou., *Ars Am*., I, 756 : mille animos excipe mille modis; — cf. Ou., *Ars Am*., I, 765.

Moechi per contemptum dicuntur amantes :
Cat., XI, 17 : cum suis uiuat ualeatque moechis; — cf. Cat., XXXVII, 16; XLII, 3; LXVIII, 103; XCIV, 1; Prop., IV, V, 44.

Molesti sunt quicumque alios inpediunt ne libere agant, id est : modo amatores nimis seduli :
Cat., LXVIII, 137 : ne nimium simus stultorum more molesti;

modo mariti nimis diligentes :
Ou., *Ars Am*., III, 602 : duri cura molesta uiri.

Mollis perusitatum uerbum est apud nostros poetas. Ac saepe quidem proprio sensu intellegitur, cum agitur :

Digitized by Google

de oculis parum ualidis :
Ou., *Rem.*, 340;

de lana :
Cat., LXIV, 311, 318; Prop., II, xxvi, 6; III, xi, 20; Ou., *Her.*, III, 70;

de uestibus :
Cat., LXIV, 129; LXV, 21; Ou., *Fast.*, II, 344;

de lectis :
Tib., I, ii, 19, 56; Prop., I, iii, 34; II, iv, 11; Ou., *Am.*, II, iv, 14; *Ars Am.*, II, 712;

de aqua :
Tib., I, iv, 18;.

de floribus uel herbis :
Prop., III, i, 19; III, iii, 18; Ou., *Fast.*, VI, 328;

de harenis :
Ou., *Am.*, II, xi, 47;

quibus omnibus in exemplis illud commune est, quod *mollia* semper dicuntur quae firmis ac duris contraria sunt..

Eadem prope significatio seruatur in describendis puellarum corporibus. Hic enim *molles*, id est non rigidi, dicuntur capilli :
Tib., I, viii, 9 : molles coluisse capillos; — cf. Ou., *Pont.*, III, iii, 17;

mollia ora :
Prop., III, xv, 14 : molliaque inmites fixit in ora manus; — cf. Prop., IV, iii, 44; Ou., *Her.*, X, 44; *Med.*, 97; *Trist.*, IV, iii, 70;

mollia latera, pectora, *molles* denique singulae corporis partes :
Tib., I, viii, 30 : ut foueas molli frigida membra sinu; — cf. Tib., I, ii, 96; Ou., *Her.*, IX, 112; XVIII, 138; *Ars Am.*, I, 158, 535.

Molles quoque dicuntur gestus motusque corporis qui cum facili iucundaque flexura geruntur [1] :
Cat., LXVIII, 70 : se molli pede intulit; — cf. Prop., I, iii, 12; I, xvii, 22; II, xii, 24; II, xxii, 5; II, xxxiv, 42; Ou., *Am.*, I, iv, 24; II, iv, 23, 24; III, vii, 74; *Ars Am.*, I, 595;

molles etiam corporis habitus :
Prop., I, xi, 14 : molliter in tacito litore conpositam; — cf. Prop., I, xiv, 1.

Mollis aetas dicitur iuuentus, quia nondum bene firmo inconcussoque est animo :
Ou., *Ars Am.*, I, 10 : aetas mollis et apta regi; — cf. Ou., *Her.*, I, 111.

1. Cf. Prop., III, xvii, 33, ubi *mollia* dicuntur tympana, quia eis Maenades utuntur ad mollem saltationem.

Digitized by Google

Mollis uocatur somnus quo sine conatu ullo resoluuntur et corpora et mentes :

Cat., LXVIII, 5 : molli requiescere somno; — cf. Cat., LXIII, 38, 44; LXXX, 4; Tib., I, II, 74.

Ac nonnumquam *mollis* est quasi iucundus, suauis, amoenus :

Prop., III, III, 1 : molli recubans Heliconis in umbra; — cf. Prop., II, XXVIII, 13; IV, VI, 71; Ou., *Am.*, II, XVI, 20; *Trist.*, I, V, 74; V, III, 9; *Fast.*, VI, 416.

Alias *mollis* ponitur pro indulgente, leni, commodo [1] :

Prop., I, V, 8 : molliter irasci non solet illa tibi; — cf. Prop., I, VII, 4; IV, XI, 18; Ou., *Am.*, II, III, 5; *Am.*, III, VIII, 18; *Her.*, III, 44; *Ars Am.*, II, 196, 565; *Rem.*, 24; *Trist.*, IV, VIII, 32; *Pont.*, IV, VI, 40;

aut pro mansueto et placido :

Ps. Tib., III, VI, 16 : indomitis mollia corda dedit; — cf. Prop., II, III, 48; IV, IV, 62; IV, VII, 52; Ou., *Pont.*, II, IX, 48; *Fast.*, IV, 217.

Saepissime *mollis* dicitur is qui amori non repugnat [2] :

Prop., IV, V, 5 : Hippolytum ueneri mollire negantem; — cf. Prop., II, IV, 22; II, XX, 23; II, XXII, 13; III, XV, 29; Ou., *Am.*, II, I, 22; *Her.*, XV, 126; XVI, 111; *Ars Am.*, I, 352; II, 477; III, 545; *Rem.*, 520; *Trist.*, II, 411; IV, X, 65; *Fast.*, IV, 4.

Aliquotiens, per hypallagen, *molles* dicuntur preces amantium, quia pectora mollire possunt :

Ps. Tib., III, IV, 76 : uincuntur molli pectora dura prece; — cf. Ou., *Am.*, I, XII, 22; II, II, 66; *Fast.*, VI, 120.

Mollis saepe idem est ac uoluptarius, seu ad personas refertur :

Ou., *Her.*, III, 114 : te tenet in tepido mollis amica sinu; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 26;

seu ad res :

Ou., *Ars Am.*, II, 236 : mollibus his castris; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 152; III, 513;

seu ad uerba aut carmina :

Cat., XVI, 8 : molliculi ac parum pudici; — cf. Prop., I, VII, 19; II, I, 2; Ou., *Ars Am.*, II, 159; III, 344; *Trist.*, II, 307, 340 : *Pont.*, III, IV, 85.

Mollis quoque pro infirmo ponitur aut inbelli :

Ou., *Her.*, XIV, 56 : non faciunt molles ad fera tela manus; — cf. Ou., *Am.*, I, IX, 42; *Her.*, IX, 72; *Trist.*, III, II, 10;

aut pro inpudico :

Cat., XXV, 10; *Am.*, III, IV, 30; Ou., *Ars Am.*, III, 306.

Monitus sunt consilia poetae in rebus amatoriis periti :

Ou., *Ars Am.*, III, 750 : et quaeris monitus hac quoque parte meos; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 427, 428; III, 48, 353, 494; *Rem.*, 124, 130, 206, 439, 804.

1. Cf. Ou., *Her.*, IX, 120 (et uenit ad sensus mollis ab aure dolor), ubi *mollis* est tolerandus.
2. Cf. Cat., XLV, 16 : ignis mollibus ardet in medullis.

Digitized by Google

Monumentum est quod puellae laudem facit perpetuam :

Prop., III, II, 16 : carmina erunt formae tot monumenta tuae.

Mora plerumque ad eos refertur qui non statim cum amantibus conueniunt :

Tib., I, VIII, 74 : cupidum ficta detinuisse mora; — cf. Prop., I, III, 44; II, XXIII, 16; III, XIII, 14; III, XIV, 26; III, XXIII, 12; IV, III, 42; Ou., *Am.*, I, XI, 8; *Her.*, XVI, 264; XVIII, 3, 8, 70.

Aliquando *mora* est amantis contempti tristis uigilia :

Prop., I, XVI, 40 : sollicitas triuio peruigilare moras.

Mora nonnumquam est amoris constantia :

Prop., I, XIII, 6 : in nullo quaeris amore moram; — cf. Prop., I, I, 35; Ou., *Ars Am.*, III, 436.

Interdum *mora* ad corporis res refertur, et modo ad oscula diu haerentia :

Prop., II, XV, 10 : oscula sunt labris nostra morata tuis;

modo ad ea quae uoluptati obstant :

Prop., II, XV, 6 : interdum tunica duxit operta moràm;

modo ad uoluptatis ipsius longum tenorem :

Ou., *Ars Am.*, II, 718 : sensim tarda prolicienda (uoluptas) mora; — Ou., *Ars Am.*, II, 690.

Morbus saepe dicitur amor :

Cat., LXXVI, 25 : ipse ualere opto et taetrum hunc deponere morbum; — cf. Tib., II, V, 110; Prop., II, I, 38; Ou., *Rem.*, 81, 115.

Morsus, mordere, saepe proprio sensu accipiuntur, et ad signa uoluptatis pertinent :

Cat., VIII, 18 : cui labella mordebis? — cf. Cat., LXVIII, 127; Prop., III, VIII, 21; IV, V, 39.

Alias *mordere* dicuntur pectora seu amor, seu suspiciones, seu ira :

Ou., *Am.*, II, XIX, 43 : mordeat ista tuas aliquando cura medullas; — cf. *Her.*, XIII, 30; XVIII, 114.

Mori persaepe per quandam exaggerationem sententiae dicuntur amantes cum affectum aliquem nimia uiolentia sentiunt, seu absentium desiderium :

Prop., IV, III, 6 : signa meae dextrae iam morientis erunt; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 28; *Fast.*, II, 753;

seu amoris contempti dolorem :

Tib., II, VI, 51 : tunc morior curis; — cf., Prop., II, VIII, 17, 18 III, VI, 24; Ou., *Am.*, II, V, 2, 3; III, XIV, 37, 40; *Her.*, XVIII, 117; (idem uidetur esse sensus apud Cat., LXVIII, 4);

seu amoris ipsius impetum :

Prop., II, III, 45-46 : si quis, acrius ut moriar, uenerit alter amor; — cf. Prop., II, I, 47; Ou., *Am.*, II, VII, 10; *Ars Am.*, I, 372;

Digitized by Google

seu denique uoluptatem :
Prop., I, x, 5 : te conplexa morientem puella.

Emori dicitur amor qui e pectore exit :
Ou., *Rem.*, 654 : perque gradus molles emoriatur amor.

Morosa dicitur puella difficilis parumque iucunda :
Ou., *Ars Am.*, III, 237 : illo praecipue ne sis morosa caueto tempore.

Mores sunt idem atque indoles :
Prop., III, vi, 23 : non me moribus illa, sed herbis, inproba, uicit; — cf. Prop., II, xxv, 37; IV, v, 45; IV, xi, 101: Ou., *Am.*, I, iii, 13; *Her.*, VI, 94; XII, 177; XVII, 67; *Med.*, 43, 45; *Ars Am.*, I, 759, 760; III, 501, 540, 546; *Rem.*, 423, 713; *Fast.*, IV, 150.

Peculiariter hoc uerbum ad fidem pertinet :
Prop., I, xv, 23 : nulla tuos potuit conuertere mores; — cf. Prop., II, xxix, 32; Ou., *Am.*, II, iv, 1; III, xi, 38, 42; *Her.*, XVI, 172;

aut ad duritiam erga amantes :
Prop., II, v, 7 : nec mihi tam duris insultet moribus; — cf. Prop., I, xvii, 15; III, xii, 16; Ou., *Rem.*, 762;

aut ad pudicitiam :
Prop., II, xxxii, 44 : si contra mores una puella facit.

Aliquando *mores* sunt non unius hominis, sed totius urbis habitus :
Ou., *Am.*, III, iv, 38 : et notos mores non satis Vrbis habet.

Mouere aliquem est ei inicere :
aut misericordiam :
Tib., I, vi, 58 : tua mater me mouet; — cf. Prop., I, xvi, 20; Ou., *Her.*, VII, 85; X, 134.

aut maerorem [1] :
Prop., I, xv, 9 : Ithaci digressu mota Calypso; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 126;

aut suspiciones :
Prop., III, viii, 16 : seu miseram in tabula picta puella mouet; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 113;

aut amorem [2] :
Prop., III, xxv, 5 : nil moueor lacrimis; — cf. Prop., IV, vii, 71; Ou., *Am.*, I, vi, 62; *Her.*, II, 24; VII, 3; XII, 89; XVI, 60; *Ars Am.*, I, 650; *Rem.*, 79, 689, 718; *Trist.*, IV, x, 66;

aut contra amantium contemptum uel odium :
Prop., II, xxxii, 30 : non me crimina parua mouent; — cf. Prop., II, xxiv, 15; Ou., *Am.*, III, v, 40; *Rem.*, 433;

1. Cf. Ou., *Her.*, X, 150 : per lacrimas oro, quas tua facta mouent.
2. Cf. Ou., *Her.*, XV, 78 : hanc (deam) unde mouetur amor.

Digitized by Google

aut uoluptarium sensum :

Ou., *Am.*, III, VII, 59 : digna mouere fuit certe uiuosque uirosque.

Omnino alio sensu *mouere*, *motus* ad corpus referuntur :

Ou., *Her.*, XIX, 59 : motus sine rusticitate pudentes; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 23; *Rem.*, 334, 734;

et saepe in minus honestam partem uertuntur :

Cat., XVI, 11 : qui duros nequeunt mouere lumbos; — cf. Cat., XV, 11; Tib., I. IX, 66; Prop., II, XV, 11; Ou., *Am.*, I, X, 36; II, X, 35; *Ars Am.*, III, 802.

Mulcere modo ad corpus refertur :

Cat., LXIV, 162 : candida permulcens liquidis uestigia lymphis;

modo ad affectus animi :

Ou., *Her.*, VI, 98 : quaque feros angues, te quoque mulcet ope; — cf. Ou., *Rem.*, 197.

Mulier, etsi minus proprium sit hoc uerbum amatoriae linguae quam *femina* aut *puella*, haud tamen raro apud nostros occurrit; sic :

Cat., LXIII, 27, 63; LXVIII, 128; LXX, 3; LXXXVII, 1; Tib., II, 2; Prop., II, XXIX, 9; III, VIII, 11; III, XI, 49; III, XXIV, 1; IV, VI, 65; Ou., *Am.*, I, X, 29; *Ars Am.*, III, 95, 421, 523, 765; *Rem.*, 659, etc.

Quin etiam inuenitur *mulier mea* :

Cat., LXX, 1.

Multiuolus est ardens in amore :

Cat., LXVIII, 128.

Munditiae sunt nonnumquam feminarum ornamenta :

Ou., *Ars Am.*, II, 677 : munditiis annorum damna rependunt; — cf. Ou., *Med.*, 28.

Sed potius *mundities* est simplex rectusque cultus [1] :

Ou., *Ars Am.*, I, 513 : munditie placeant, fuscentur corpora Campo; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 133; *Fast.*, III, 668.

Aliquotiens de loquendi scribendique arte usurpatur hoc uerbum, ac tunc purum simplicemque sermonem significat :

Ou., *Ars Am.*, III, 479 : munda sed e medio consuetaque uerba; — apud Prop., IV, V, 43 : *mundus* dicitur Menander, quasi elegans et iocosus.

Munire est aduersus amantium insidias tutari :

Prop., III, XII, 17 : nullo munita puella timore.

Munera sunt modo simplicia dona :

Cat., LXV, 19 : missum sponsi furtiuo munere malum; — cf. Tib., II, V, 37; Ps. Tib., III, I, 24; Prop., I, III, 23; Ou., *Am.*, II, XV, 3, 9, 27; III, I, 57; *Her.*, VII, 187;

1. Ironice accipitur hoc uerbum apud Cat., XXIII, 18 : hanc ad munditiem adde mundiorem.

Digitized by Google

modo ea dona quibus uiri puellarum amorem quasi mercantur[1] :

Cat., LXIX, 3 : si illam rarae labefactes munere uestis; — cf. Tib., I, IV, 38, 62; I, VIII, 29; I, IX, 11, 12; Prop., I, XVI, 36; II, VIII, 11; II, XVI, 9, 15, 21; II, XX, 25; II, XXIII, 8; III, XII, 19; III, XIII, 27; IV, V, 55; Ou., *Am.*, I, VIII, 67, 93, 99; I, X, 11, 27, 28, 54; II, V, 6; III, VI, 66; III, VIII, 33; *Her.*, V, 144; XV, 378; XVI, 65, 72, 225; *Ars Am.*, I, 429, 453, 557; II, 166, 261, 272, 275, 286, 391; III, 466, 531, 805; *Rem.*, 671.

Alias *munera* sunt beneficia, officia accepta aut reddita[2] :

Ou., *Am.*, III, XIV, 42 : falli muneris instar erit; — cf. Ou., *Her.*, VII, 27; XII, 110; *Ars Am.*, I, 676; *Rem.*, 277;

aut uoluptates quae amantibus praebentur :

Cat., LXVIII, 145 : sed furtiua dedit mira munuscula nocte; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 46; *Ars Am.*, II, 575; III, 98.

Munus aliquotiens dicitur persona ipsa quae se amanti dedit :

Ou., *Ars Am.*, I, 378 : haec dominae munus te parat, illa sibi; — cf. *Her.*, VIII, 104.

Alias *munera* sunt corporis mentisque dotes :

Prop., II, III, 25 : haec tibi contulerunt caelestia munera diui; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 103, 104.

Munus aliquando pro opere amatorio turpiter accipitur :

Cat., LXI, 227.

Murmura famae sunt maligni rumores :

Prop., II, V, 29.

Longe alio sensu *murmura* pro amatoriis uerbis gemitibusque ponuntur :

Ou., *Ars Am.*, II, 723 : amabile murmur; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 795.

Mutare, cum ad corpus pertinet, est deteriorem facere pulchritudinem :

Prop., II, II, 15 : hanc utinam faciem nolit mutare senectus; — cf. Prop., II, XXXIII, 35.

Cum autem de moribus usurpatur hoc uerbum, *mutare* est in amorem reducere :

Ps. Tib., III, IV, 63 : sed flecti poterit : mens est mutabilis illis; — cf. Prop., II; IV, 21; II, V, 13; Ou., *Her.*, VII, 51;

aut infidum inimicumue facere :

Prop. I, XVIII, 9; quae te mihi carmina mutant? — cf. Prop., I, IV, 2; I, XII, 11; I, XV, 11; II, XIV, 31; II, XXIV, 33, 39; II, XXV, 37; IV, XI, 45; Ou., *Am.*, I, X, 11; *Her.*, V, 34.

1. Apud Ou., *Ars Am.*, III, 632, 653, *munera* non puellae, sed custodi, data memorantur.

2. Cf. Cat., LXVIII, 10 : munera Musarum et Veneris; — Prop., I, X, 12 : commissae munera laetitiae.

Digitized by Google

Mutare dominam aut amorem est uiolare fidem :

Prop., II, XVII, 17 : dominam mutare cauebo; — cf. Prop., I, I, 36; I, XII, 17, IV, VIII, 28.

Mutuus dicitur saepe a nostris poetis amor, *mutua* cura :

Tib., I, VI, 76 : mutuus absenti te mihi seruet amor; — cf. Tib., I, II, 63; Ps. Tib., III, I, 19; IV, V, 7; IV, VI, 8; Ou., *Fast.*, II, 730;

mutua Veneris gaudia uel certamina :

Tib., I, VI, 14 : liuor, quem facit inpresso mutua dente uenus; — cf. Ou., *Am.* II, III, 2; II, X, 29; III, VI, 87;

denique ipsi animi *mutui* uocantur :

Cat., XLV, 20 : mutuis animis amant amantur.

Mysteriis aliquando conparantur Veneris gaudia, utpote quae secreta manere debeant :

Ou., *Ars Am.*, II, 640 : tectaque sunt solida mystica furta fide; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 609.

Narrare est malos rumores de amantibus uulgare :

Ou., *Am.*, I, XIII, 35 : de te narrare liceret; — cf. Ou., *Am.*, III, , 17, 18.

Natura est innata indoles seu corporis :

Prop., II, XVIII, 25 : ut natura dedit, sic omnis recta figura est;

seu animi[1] :

Prop., II, XXII, 17 : unicuique dedit uitium natura creato; — cf. Ou., *Her.*, XIV, 55.

Naufragus dicitur amans qui spe destitutus est :

Ou., *Her.*, XVII, 120 : uideor naufragus esse mihi; — apud Cat., LXVIII. 3 (naufragum ut subleuem), idem uidetur esse sensus.

Naui saepe conparatur amor :

Prop., II, XIV, 29 : nunc ad te ueniet mea nauis? — cf. Prop., III, XI, 5; Ou., *Ars Am.*, II, 10; *Rem.*, 14, 70, 488.

Necare hyperbolice dicitur quasi amanti nocere :

Tib., II, VI, 45 : lena necat miserum.

Nectere, innectere, saepe usurpantur in describendis amantium amplexibus :

Ou., *Her.*, V, 48 : ut tua sunt collo bracchia nexa meo; — cf. Ou., *Her.*, II, 141; *Ars Am.*, II, 484;

similiter de osculis :

Ou., *Am.*, II, V, 24 : illa mihi lingua nexa fuisse liquet.

1. Apud Prop., II, XX, 28 (possum ego naturae non meminisse tuae?) *natura* absolute ponitur pro bona natura.

Digitized by Google

Negare est plerumque gaudia Veneris amantibus nolle dare :

Cat., LXI, 143 : quae tuus uir petet, caue ne neges; — cf. Tib., I, IV, 15; II, VI, 27; Prop., I, VI, 9; II, XIV, 20; II, XXII, 11, 43, 46; II, XXXII, 60; III, XXI, 7; IV, V, 5; Ou., *Am.*, I, VIII, 73; I, XII, 2, 8; II, VIII, 25; II, XIX, 20; *Ars Am.*, I, 127, 344, 345; III, 88, 466, 476.

Neque solum uenereis gaudiis fraudare amantes dicitur *negare*, sed et muneribus, donis, officiis :

Tib., I, IV, 41 : neu comes ire neges; — cf. Tib., I, IV, 50; Prop., I, IX, 22; I, X, 23; Ou., *Am.*, I, X, 64.

Alias *negare* est abnuere facta sua :

Tib., I, VI, 7-8 : illa quidem mihi cuncta negat;... sic etiam de me pernegat usque uiro; — cf. Prop., II, XVIII, 3, 4; Ou., *Am.*, II, II, 57; III, XIV, 5, 15, 45; *Ars Am.*, II, 410.

Neglectus duos omnino diuersos sensus habet, nam modo est quasi contemptus, deceptus :

Prop., I, VII, 13 : me legat neglectus amator; — cf. Ou., *Am.*, III, VIII, 65;

modo non bene cultus aut ornatus :

Ou., *Am.*, I, XIV, 21 : tum quoque erat neglecta decens; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 500.

Nepos pro libidinoso uiro aliquando reperitur :

Prop., IV, VIII, 23.

Nequitia est aliquando morum natiua deformitas :

Ou., *Her.*, IV, 17 : non ego nequitia socialia foedera rumpam.

Saepius hoc uerbum libidinem significat :

Prop., III, X, 24 : et sint nequitiae libera uerba tuae; — cf. Prop., II, VI, 30; II, XXIV, 6; Ou., *Am.*, I, XIII, 32; III, I, 17; III, XIV, 17; *Her.*, XVI, 29; *Trist.*, II, 280; *Fast.*, I, 414.

Nonnumquam *nequitia* est natiuus quidam ualidissimusque impetus animi :

Prop., III, XIX, 10 : rapidae stimulos frangere nequitiae; — cf. Prop., I, VI, 26; Ou., *Am.*, III, IV, 10.

Interdum *nequitiam* suam iocose confitentur poetae :

Ou., *Am.*, II, I, 2 : ille ego nequitiae Naso poeta meae.

Denique *nequitia* est perfidia et fallacia :

Prop., I, XV, 38 : nec tremis admissae conscia nequitiae? — cf. Prop., II, V, 2; Ou., *Am.*, III, XI, 37; *Ars Am.*, II, 392.

Nerui sunt saepe uires corporis ad amatorium opus paratae :

Cat., LXVII, 27 : unde foret neruosius illud; — cf. Ou., *Am.*, II, X, 24; III, VII, 33;

interdum uires animi ac uoluntatis :

Ou., *Rem.*, 147 : eripiunt omnes animo sine uulnere neruos.

Digitized by Google

Nescire amare est rudem amatoriae artis esse experientiamque non satis firmam habere :
Ou., *Ars Am.*, III, 41, 43.

Niger modo de comis dicitur :
Prop., III, v, 24 : sparserit et nigras alba senecta comas; — cf. Ou., *Am.*, II, iv, 42;

modo de oculis :
Cat., XLIII, 2 : nec bello pede nec nigris ocellis; — cf. Prop., II, xii, 23;

modo de oris colore, et hic quidem in deteriorem partem hoc uerbum accipitur :
Ou., *Rem.*, 327 : si fusca est, nigra uocetur; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 658; III, 270.

Nitere dicitur color oris, cum simul candidus ac splendidus est :
Cat., LXI, 186 : ore floridulo nitens; — cf. Tib., II, v, 7; Ps. Tib., III, iv, 36. Prop., I, ii, 6; Ou., *Med.*, 32; *Ars Am.*, III, 74.

Nitidi quoque dicuntur capilli qui odoribus tincti sunt et uncti :
Tib., I, viii, 16 : nec nitidum tarda compserit arte caput; — cf. Tib., I, iv, 4; Prop., II, xviii, 24; III, x, 14; Ou., *Ars Am.*, I, 734; III, 443; *Fast.*, III, 2.

Nixa a poetis nostris dicitur femina molliter iacens :
Prop., I, xvi, 33 : nunc iacet alterius felici nixa lacerto; — cf. Prop. I, iii, 8.

Niueus de toto corpore dicitur :
Cat., LXIV, 364; Ps. Tib., III, iv, 30; Ou., *Am.*, III, ii, 42;

ac peculiariter :

de ore :
Ou., *Am.*, III, iii, 6; *Her.*, XIX, 120; *Fast.*, II, 763;

de dentibus :
Ou., *Her.*, XVII, 18;

de ceruice :
Ou., *Am.*, II, iv, 41;

de pectore :
Tib., I, iv, 12;

de latere :
Prop., III, xiv, 11;

de lacertis :
Ou., *Am.*, II, xvi, 29;

de manibus :
Cat., LXIII, 8; Prop., III, vi, 12;

de pedibus :
Cat., LXI, 9; Tib., I, v, 66.

Digitized by Google

Aliquotiens hoc uerbum ad personas ipsas refertur :

Prop., II, XIII, 53 : niueum Adonem; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 189, 309; *Fast.*, I, 427.

Nocere dicuntur amantibus quaecumque inpediunt ne amentur aut placeant :

Tib., II, VI, 44 : lena nocet nobis; — cf. Tib., I, V, 47; Prop., II, XIX, 32; II, XXV, 32; II, XXXIII, 36; III, XII, 24; Ou., *Her.*, VI, 81; *Ars Am.*, II, 553; III, 482;

aut quae obstant quominus tota amoris fruantur uoluptate :

Ou., *Am.*, II, XIX, 35 : nocet indulgentia nobis; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 26; et (turpiore sensu) *Am.*, I, V, 13; III, VII, 28, 37.

Sed alias, quoniam amor malum saepe esse dicitur, *nocere* dicunt poetae ea quae amorem iniciunt :

Tib., I, VIII, 23-25 : quid queror carmen nocuisse?... sed corpus tetigisse nocet; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 6, 46; *Her.*, VII, 93; *Ars Am.*, III, 30; *Rem.*, 579, 725, 730, 760, 810.

Nocere est interdum amantem decipere :

Ou., *Am.*, I, VIII, 103 : blandire noceque.

Nocere est quoque dolorem corporis aliquem praebere :

Ou., *Ars Am.*, I, 667 : ne noceant teneris male rapta labellis (nisi forte intellegendum sit : ne iuueni noceant);

Nocens aliquando dicitur qui nimium amori indulget uetito :

Ou., *Her.*, IV, 28 : et pariter nostrum flet uterque nocens;

saepius qui erga amantem culpam aliquam admisit :

Ou., *Am.*, II, XIX, 14 : speciem praebuit esse nocens; — cf. Ou., *Am.*, I, VII, 59; *Her.*, VII, 61; *Ars Am.*, II, 412.

Nodi aliquotiens pro uinculis dicuntur quae Venus amantibus inponit :

Ou., *Her.*, IV, 136 : inposuit nodos cui Venus ipsa suos.

Nomen est fama quae uulgatur seu de puellae pulchritudine aut aliis laudibus :

Prop., I, IV, 8 : Cynthia non illas nomen habere sinat; — cf. Prop., II, XX, 19; Ou., *Her.*, XV, 144;

seu de uiri dignitate :

Prop., II, XXIV, 8 : urerer et quamuis, nomine uerba darem; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 453.

Nobilis in peiorem partem accipitur, et idem ualet ac male famosus :

Prop., I, XVI, 10 : nobilis obscenis tradita carminibus.

Notus contra est quasi laudatus, celebratus :

Prop., II, V, 6 : quae fieri nostro carmine nota uelit; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 60.

Digitized by Google

Noscere est in animo habere :

Cat., LXXII, 1 : dicebas quondam solum te nosse Catullum; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 561.

Notitia est quasi custodia :

Ou., *Ars Am.*, I. 398 : notitiae suberit semper amica tuae.

Noster saepissime pro *meo* ponitur, seu de uenereis uinculis dicitur :

Ou., *Her.*, III, 80 : haec quoque nostra fuit;

seu nihil aliud est nisi suauis iucundaque adpellatio :

Cat., XLIII, 7 : Lesbia nostra; — cf. Cat., LVIII, 1; Tib., I, II, 5; I, V, 44; I, IX, 73; IV, XIV, 1; Prop., III, VI, 1; III, X, 3; IV, V, 61; Ou., *Am.*, II, V, 48; II, VI, 19; *Ars Am.*, II, 549; III, 538; *Rem.*, 317, 319.

Nota est aliquando pretium cuius gaudia amatoria, sicut merces quaedam, esse dicuntur :

Ou., *Am.*, II, V, 54 : non ex hac illa fuisse nota.

Saepius *notae* sunt signa inter amantes pacta et secreta, id est :

seu litterae in uino ductae :

Tib., I, VI, 20 : et mensae ducat in orbe notas; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 20;

seu uerba ambiguo abditoque sensu :

Tib., I, II, 22 : blandaque conpositis abdere uerba notis; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 20; III, XI, 24; *Ars Am.*, I, 490;

seu signa manibus aut superciliis missa :

Ou., *Am.*, II, VII, 6 : in uultu tacitas arguis esse notas; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 18; *Ars Am.*, I, 500; III, 514 (idem sensus esse uidetur apud Prop., III, VIII, 26);

seu arcanae epistulae :

Ou., *Am.*, I, XI, 4 : dandis ingeniosa notis; — cf. Ou., *Am.*, I, XII, 8; *Ars Am.*, III, 624, 630.

Alias *notae* sunt signa quae in corpore aut in factis mentis habitum exprimunt :

Prop., III, VIII, 18 : has didici certo saepe in amore notas; — cf. Prop., I, V, 16.

Notare, *notas facere*, pertinent modo ad morsus collo inlatos ab amantibus uoluptate furentibus :

Tib., I, VIII, 38 : in collo figere dente notas; — cf. Prop., IV, III, 26; Ou., *Am.*, I, VIII, 98; III, XIV, 34;

modo ad uulnera quae amantes irati in ora inuicem sua inferunt :

Prop., I, VI, 14 : insanis ora notet manibus; — cf. Prop., III, VIII, 6; IV, VIII, 65.

Denique *notare* est deformare, dedecorare, seu corporis pulchritudinem :

Ps. Tib., IV, V, 6 : neu notet informis candida membra color;

Digitized by Google

seu amantis merita et officia :

Prop., I, xviii, 8 : in amore tuo cogor habere notam;

seu morum pudorem :

Ou., *Her.*, IV, 32 : si candor ab insolita labe notandus erat;

seu gloriam et dignitatem [1] :

Ou., *Her.*, IX, 20 : si cumulus stupri facta priora notat.

Nouus modo ad amores recenter iunctos refertur :

Cat., LXVI, 15 : estne nouis nuptis odio uenus? — cf. Cat., LXI, 91, 92, 96, 106. 113; Prop., I, xv, 8; I, xviii, 10; Ou., *Her.*, XII, 25; XIII, 139;

modo ad perfidiam et inconstantiam :

Prop., I, xiii, 12 : nec noua quaerendo semper amicus eris; — cf. Prop., III, xx, 26; IV, viii, 34.

Nox perusitatum uerbum est apud nostros poetas, neque cuius omnia liceat numerare exempla. Adnotari possunt solum ea loca in quibus *noctes* amaras soli desertique transigere amantes dicuntur, atque ea in quibus *nocturna* gaudia describuntur [2].

Prioris generis haec sunt :

Cat., VI, 6 : uiduas iacere noctes; — cf. Tib., I, ii, 76; I, viii, 64; Ps. Tib., IV, xii, 5; Prop., I, i, 33; I, iii, 30; I, xi, 5; I, xii, 13; II, ix, 19; II, xvi, 23; II, xvii, 4; II, xxxiii, 2; III, xv, 2; III, xvii, 11; III, xx, 22; IV, iii, 29; IV, viii, 33; Ou., *Am.*, I, ii, 3; *Her.*, XII, 58, 169; XV, 317; XVI, 181; XVIII. 69; *Ars Am.*, I, 735; III, 70; *Fast.*, IV, 109.

Ad *nocturnas* uoluptates haec referuntur :

Cat., LXVIII, 83 : noctibus in longis auidum saturasset amorem; — cf. Cat., LXVIII, 145; Tib., I, vi, 6; I, ix, 63; II, i, 12; II, vi, 49: Prop., I, iii, 37; I, x, 3; I, xvi, 9; II, xiv, 9, 28; II, xv, 1, 37, 40; II, xvii, 1; II, xx, 25; II, xxi, 5; II, xxii. 24; II, xxiii, 11; II, xxiv, 19; II, xxviii, 62; II, xxix, 42; II, xxxii, 29; III, vi, 34; III, viii, 30; III, x, 30; III, xiii, 1; III, xv, 5; III, xx, 13; III, xxiii, 16; IV, iii, 11; IV, v, 30; IV, vii, 39; Ou., *Am.*, I, viii, 67, 73; I, ix, 45; I, x, 30, 47; I, xi, 3; I, xiii, 46; II, x, 27; II, xix, 54; III, vii, 25; *Her.*, XV, 215, 320; XVII, 103, 114; *Ars Am.*, II, 308, 523, 625; III, 610; *Rem.*, 306, 400, 505, 520, 728.

Noxa est quasi perfidia, fallacia :

Ou., *Her.*, VII, 106: inuidiam noxae detrahit ille meae; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 395.

Interdum *noxium* dicitur quod nocet, id est quod amorem suscitat :

Ou., *Rem.*, 798: bulbus... noxius omnis erit.

Nubere plerumque ueras nuptias iustasque significat :

Cat., LXVI, 15 : estne novis nuptis odio uenus? — cf. Cat. XVII, 14; LXI, 12, 20; Ps. Tib., III, iv, 00; Prop., II, xvi, 30; IV, iii, 16; IV, iv, 88, 90; IV, v, 8;

1. Adde, obsceno sensu, Ou., *Ars Am.*, III, 804 : arcanas pars habet ista notas.
2. Apud Prop., IV, i, 143 (illius arbitrio noctem lucemque uidebis) dubitari potest num sensus sit (ut Rothsteinio uidetur) : « in meridiano sole non lucere tibi persuasum erit », an « felix infelixque eris ».

Digitized by Google

IV, xi, 36; Ou., *Am*l, I, xiii, 42; *Her.*, IV, 121; V, 12, 107; VIII, 19, 22, 35 IX, 27, 32; XI, 105; XV, 370; XIX, 110, 123, 215; XX, 156.

Aliquando tamen *nubere* de amore non coniugali dicitur :

Cat., LXX, 1 : nulli se dicit mulier mea nubere malle quam mihi.

Nupta uero, cum accipitur substantiuo modo, semper idem ualet atque uxor :

Cat., LXIV, 374 : dedatur nupta marito; — cf. Cat., LXI, 91 92, 96, 106, 113; LXVI, 87; Prop., II, iii, 54; II, vi, 26; II, vii, 8; III, xiii, 23; IV, iv, 59; Ou., *Her.*, III, 69; VI, 164: VII, 167; XI, 61; XII, 25, 86, 205; XIII, 76, 139; XIV, 2; XV, 166; XVI, 4; *Med.*, 26; *Ars Am.*, I, 564; II, 153, 388; III, 34, 613, 778; *Rem.*, 774.

Nudus saepe non plane amatoriam uim habet :

Cat., LXIV, 17 : uiderunt nudato corpore Nymphas; — cf. Prop., II, xiii, 27; II, xxiv, 52; III, xiii, 38; III, xiv, 4; Ou., *Am.*, I, xiv, 33; *Her.*, V, 36; VII, 60; XV, 150; *Ars Am.*, III, 224.

Sed nonnumquam ad res amatorias et uenereas omnino pertinet :

Prop, IV, viii, 47 : nudabant pectora caeco; — cf. Prop., II, i, 13; II, xv, 13, 15, 16; Ou., *Am.*, I, v, 24; II, xv, 25; *Ars Am.*, II, 580.

Nec semper totum corpus dicitur nudum, sed etiam lacerti :

Ou., *Ars Am.*, III, 308;

pectus :

Ou., *Her.*, XV, 250;

papillae :

Cat., LXVI, 81; Prop., II, xv, 5; III, xiv, 13, 19; IV, iii, 43;

pedes :

Tib., I, iii, 92; Ou., *Am.*, III, vi, 50; III, vii, 82.

Numina saepe amantibus adesse, eorum promissa audire, culpas uindicare dicuntur :

Tib., I, iii, 79 : Veneris numina laesit; — cf. Tib., I, ii, 79; I, v, 57; I, ix, 6; Ou., *Am.*, I, viii, 86; III, iii, 4; *Her.*, II, 24; III, 53; XV, 321.

Aliquando *numina* dicuntur ipsi qui amantur :

Ou., *Am.*, III, xi, 47 : perque tuam faciem, magni mihi numinis instar; — cf. Ou., *Am.*, II, xviii, 17; III, iii, 12; *Her.*, XIII, 159.

Numerus obscenum sensum habet nonnumquam :

Ou., *Am.*, III, vii, 26.

Nutrire amorem est eum ita tractare ut crescat et augeatur :

Prop., I, xii, 5 : nec mihi consuetos amplexu nutrit amores; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 340; III, 570; *Rem.*, 543.

Nutrices interdum uocantur papillae :

Cat., LXIV, 18.

Digitized by Google

Nutus signa sunt quae amantes mittunt sibi inuicem capite moto :
Tib., I, II, 21 : nutus conferre loquaces; — cf. Tib., I, VI, 19; I, VIII, 1; Ou., *Am.*, I, IV, 17; II, V, 16; III, XI, 23; *Her.*, XV, 258; *Ars Am.*, I, 138; *Fast.*, I, 418.

Obdurare est amoris contempti dolorem firmo animo tolerare :
Cat., VIII, 11 : obstinata mente perfer, obdura; — cf. Cat., VIII, 12, 19; Ou., *Am.*, III, XI, 7; *Ars Am.*, II, 178.

Obesse dicitur quod amantes inpedit ne satis placeant :
Ou., *Am.*, I, VIII, 36 : (pudor) si simules, prodest; uerus obesse solet; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 532.

Obliuisci est amorem deponere :
Prop., I, XIX, 6 : ut meus oblito puluis amore uacet; — cf. Ou., *Rem.*, 553.

Obscenum est quod pudorem aut dedecus adfert :
Prop., I, XVI, 10 : nobilis obscenis tradita carminibus; — cf. Prop., III, XI, 31; Ou., *Trist.*, II, 212, 378.

aut quod nimia libertate dicitur uel canitur uel pingitur :
Prop., II, VI, 27 : quae manus obscenas depinxit prima tabellas; — cf. Ou., *Trist.*, II, 409, 497; *Fast.*, III, 675, 695.

Obscenum quoque dicitur quod inmundum ac sordidum est neque oculis obiciendum :
Ou., *Rem.*, 437 : reddente obscena puella; — cf. Ou., *Rem.*, 429.

Sed alias refertur hoc uerbum ad uenereas corporis partes :
Ou, *Am.*, III, XIV, 28 : et pudor obscenum diffiteatur opus; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 584; *Fast.*, I, 437; VI, 337.

Obsequium est agendi ratio eorum qui amantibus placere student :
Tib., I, IV, 40 : obsequio plurima uincit amor; — cf. Prop., I, VIII, 40; Ou., *Am.*, III, IV, 12; *Her.*, VI, 18.

Obstinatus dicitur qui a consilio non deterretur difficultatibus uel doloribus :
Cat., VII, 11 : sed obstinata mente perfer, obdura.

Obsistere fere eundem habet sensum :
Prop., II, XXV, 15 : sed tamen obsistam.

Occulti dicuntur amores qui summa cura celantur :
Prop., II, XXXIII, 7 : Iouis occultis in amoribus; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 630.

Occultus est quoque quasi tacitus, in intimo corde abditus :
Prop., I, XVIII, 3 : hic licet occultos proferre inpune dolores.

Oculi saepissime a nostris poetis nominantur. Modo proprio sensu

Digitized by Google

accipitur hoc uerbum, cum amantes amantium *oculos* osculari dicuntur :

Cat., XLVIII, 1-2 : mellitos oculos tuos, Iuuenti, si quis me sinat usque basiare; — cf. Cat., IX, 9;

aut ferire :

Tib., I, vi, 70 : quin oculos adpetat illa meos; — cf. Prop., III, viii, 7; IV, viii, 66; Ou., *Am.*, I, vii, 65.

Alias *oculi* praesentiam significant :

Prop., III, xxi, 10 : quantum oculis, animo tam procul ibit amor; — cf. Ou., *Am.*, III, xiv, 35, 44; *Her.*, III, 132; X, 43; XVII, 96.

Oculi significant quoque uultum quo amantem aliquis spectat :

Prop., II, xv, 23 : oculos satiemus amore; — cf. Prop., IV, iv, 66; Ou., *Am.*, I, v, 17; III, ii, 6; *Her.*, XII, 35; XIII, 18; XV, 101, 230; XVI, 125; *Ars Am.*, I, 62, 156.

Oculi puellarum uel uirorum saepe laudantur, etiamsi uox *pulchri* absit :

Tib., II, vi, 43 : oculos foedare loquaces; — cf. Ps. Tib., IV, ii, 5; Prop., II, iii, 14; IV, vii, 8; Ou., *Her.*, XII, 36; XIX, 55.

At rursus per suos oculos amorem accepisse amantes dicuntur :

Tib., IV, xiii, 4 : nec formosa est oculis ulla puella meis; — cf. Prop. II, xv, 12; III, x, 15; III, xxiv, 2; IV, iv, 32; Ou., *Am.*, I, x, 10; II, xvii, 12; III, iii, 42; *Her.*, XV, 234; XVI, 100; *Ars Am.*, I, 44; *Rem.*, 346.

Ideoque iurant saepe amantes seu per eos quos amant oculos :

Ps. Tib., IV, v, 8; Ou., *Am.*, II, xvi, 44; III, xi, 48;

seu per suos :

Ou., *Am.*, III, iii, 14, 48.

Oculi flere saepe dicuntur :

Prop., III, vi, 10 : illius ex oculis multa cadebat aqua? — Prop., IV, i, 144; Ou., *Am.*, I, viii, 83; *Her.*, XIV, 68.

Eadem uoce notantur etiam sensus aut affectus quos oculis homines exprimunt :

Prop., IV, viii, 55 : fulminat illa oculis; — cf. Ou., *Am.*, I, xi, 17; II, iv, 11 II, v, 17; *Her.*, XVI, 77; *Ars Am.*, III, 510;

ac peculiariter uoluptas amatoria :

Ou., *Ars Am.*, I, 573 : oculis fatentibus ignem; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 721.

Denique uerba *prae oculis amare* aut *plus oculis* nonnumquam inueniuntur :

Cat., III, 5; XIV, 1; LXXXII, 1, 2; CIV, 2.

Ocelli pro *oculis* saepissime ponuntur, ita ut fere nulla fieri possit discretio. Non enim solum feminarum oculi dicuntur *ocelli* :

Cat., III, 18 : meae puellae rubent ocelli; — cf. Cat., XLIII, 2; LXIV, 60; Ps. Tib., III, vi, 47; Prop., I, i, 1; I, iii, 33; I, xv, 33; I, xvi, 31; I, xvii, 11; II, i,

Digitized by Google

11; II, vi, 29; II, xxvi, 13; Ou., *Am.*, I, viii, 37; I, xiv, 37; II, viii, 15; III, i, 33; III, ii, 83; III, iii, 9; III, vi, 57, 70; *Her.*, V, 45; XI, 35; *Ars Am.*, I, 129; II, 453, 691; *Fast.*, III, 19;

sed uirorum quoque :

Cat., XLV, 11 : dulcis pueri ebrios ocellos; — cf. Cat., L, 10; Prop., I, iii, 19; I, v, 11; I, ix, 27; I, x, 7; I, xix, 5; II, xiii, 17; II, xv, 7; II, xxii, 7; II, xxv, 47; II, xxvi, 41; Ou., *Am.*, II, xix, 19; III, v, 1; III, ix, 49.

Vox *ocelle* aliquando, quasi tenera uenustaque quaedam adpellatio, usurpatur :

Cat., L, 19; XXXI, 2 (quo quidem in exemplo nullus inest sensus amatorius).

Odisse est modo in amantem iram habere uiolentam :

Cat., LXXXV, 1 : odi et amo; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 63; III, xi, 34, 35, 43; III, xiv, 39; *Her.*, VII, 29; *Ars Am.*, II, 146; *Rem.*, 308, 322, 655, 657;

modo factorum suorum paenitentia moueri :

Tib., I, viii, 75 : omnes odit fastus;

modo amantem fastidire et contemnere[1] :

Prop., II, xviii, 19 : at tu etiam iuuenem odisti me; — cf. Prop., II, xviii, 1; Ou., *Ars Am.*, I, 717; III, 700; II, 333; *Rem.*, 573;

modo non curare, nullam erga amantem sentire beneuolentiam[2] :

Prop., I, i, 5 : castas odisse puellas; — cf. Ou., *Her.*, IV, 173; *Ars Am.*, II, 683, 685; III, 239, 511, 512, 517;

modo aduersus riuales iram habere et inuidiam :

Ou., *Ars Am.*, I, 206 : formosas oderat illa boues; — cf. Ou., *Rem.*, 793.

Offendere est iram amantis mouere :

Prop., III, viii, 40: offensa illa mihi, non tibi amica, dedit; — cf. Ou., *Her.*, XX, 202; *Rem.*, 427.

Officium plerumque dicitur ea diligentissima cura et sedulitas qua aliquis amanti placere studet :

Prop., II, xxv, 39 : qui officia in multos reuocatis amores; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 57; *Her.*, VI, 17; XIII, 142; XIX, 142; *Ars Am.*, I, 152, 155; II, 333.

Turpiorem quoque rem significat :

Prop., II, xxii, 24 : officium tota nocte ualere meum; — cf. Ou., *Am.*, III, vii, 24.

Alias *officium* est quasi obsequium puellae erga uirum :

Ou., *Am.*, I, x, 46 : non manet officio debitor ille tuo; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 687, 688.

Offirmare est ui uoluntatis suae amori resistere :

Cat., LXXVI, 11 : quin tu animo offirmas?

1. Cf. Ou., *Ars Am.*, I, 201, ubi tela Cupidinis *odisse* dicitur Diana.
2. Non longe ab hoc sensu distant haec exempla quae non ad rem amatoriam pertinent, sed in quibus *odisse* est non probare : Tib., I, viii, 69 : oderunt fastidia diui; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 229; *Rem.*, 149.

Digitized by Google

Omniuolus est quasi inconstans :
Cat., LXVIII, 140 : omniuoli plurima furta Iouis.

Onus dicitur amanti inpositum iugum uel dominatio :
Prop., II, XXIV, 40 : ferre ego formosam nullum onus esse puto; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 10.

Opera est aliquando cura aut labor :
Ou., *Ars Am.*, I, 366 : tum facies opera, ne sit inulta, tua; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 256.

Alias *opera* rem uenerem significat :
Ou., *Am.*, II, X, 26 : decepta est opera nulla puella mea; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 673.

Opus quoque saepissime ad turpia gaudia pertinet :
Tib., I, IX, 64 : operum uarias disposuisse uices; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 48; II, X, 36; III, VII, 68; *Ars Am.*, II, 480, 730; III, 770; *Rem.*, 309.

Aliquotiens tamen *opus* est amantium fallendorum ars et labor :
Prop., II, IX, 32 : hoc unum didicit femina semper opus;

aut cura placendi :
Ou., *Ars Am.*, III, 228 : quid rude prodis opus? — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 502, 675.

Opprobrium dedecus est eius qui libidini nimis indulget :
Prop., III, XIII, 12 : et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

Oppugnare est amantem temptare, eius irae flectendae curam adhibere :
Ou., *Rem.*, 601 : artibus innumeris mens oppugnatur amantum.

Opes sunt nonnumquam gaudia quibus amantes, quasi quibusdam diuitiis, frui possunt :
Ou., *Am.*, III, VII, 50 : possedi diues auarus opes.

Opem dicunt quoque poetae rationem seu libidinis mouendae :
Ou., *Am.*, III, VII, 56 : non omni sollicitauit ope?

seu contra amoris sanandi :
Ou., *Rem.*, 44 : una manus uobis uulnus opemque feret; — cf. Ou., *Rem.*, 16, 116, 252, 289, 436, 546.

Optare est gaudia amoris cupere uehementer :
Cat., CVII, 1 : si cui quid cupido optantique obtigit umquam; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 47 : *Her.*, XV, 173; XVI, 90; *Ars Am.*, I, 204, 485.

Dicunt breuius poetae *optare feminam*, quasi *optare* huius feminae amorem :
Ou., *Her.*, XV, 36 : te prius optaui quam mihi nota fores; — cf. Ou., *Fast.* I, 417.

Digitized by Google

Unde fit ut *optata* aut *optanda* dicantur gaudia quae ex amore hauriuntur :

Cat., LXII, 30 : quid datur a diuis felici optatius hora? — cf. Cat., LXIV, 31, 141, 328, 372; LXVI, 79; CVII, 8.

Alias *optatus* est quasi amatorius :

Prop., I, XIII, 17 : optatis animam deponere uerbis; — cf. Prop., I, XIV, 9; Ou., *Ars Am.*, II, 156.

Orare est precibus amantes flectere temptare :

Cat., L, 19 : precesque nostras, oramus, caue despuas; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 77; *Her.*, IV, 167; X, 150; XII, 191; *Ars Am.*, II, 505; *Rem.*, 277; — (cf. *adorare*, apud Ou., *Her.*, X, 141).

Orbum dicitur cubile cum amans abest :

Cat., LXVI, 21 : at tu non orbum luxti deserta cubile?

Ornatus dicitur quodcumque corporis pulchritudinem adauget et inlustrat :

Ps. Tib., IV, VI, 5 : illa quidem ornandi causas tibi, diua, relegat; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 38; *Her.*, IX, 103.

Ac peculiariter refertur hoc uerbum modo ad fucum quo ora tinguntur :

Tib., I, VIII, 11 : quid fuco splendente genas ornare?

saepius ad capillorum comendorum rationem :

Tib., II, III, 23 : inornatum caput; — cf. Tib., I, X, 62; Prop., I, II, 1; II, XVIII, 36; Ou., *Am.*, I, XIV, 5, 16, 17; II, VII, 17, 23; *Her.*, VIII, 10; *Ars Am.*, III, 135, 138, 147, 152; *Fast.*, IV, 309.

Os (oris) plerumque significat liniamenta faciei et colorem :

Cat., LXI, 186 : ore floridulo nitens; — cf. Cat., IX, 9; Tib., I, VIII, 15, 32; Prop., I, I, 22; II, XVIII, 26; II, XXX, 18; III, VIII, 6; III, XXIV, 8; IV, IV, 34; IV, VII, 10; IV, VIII, 64; Ou., *Am.*, I, VIII, 35; *Her.*, IV, 72, 78; *Med.*, 98; *Ars Am.*, III, 74, 140, 227, 730; *Rem.*, 351.

Et quia *os* idem est ac facies, sicut facies, significat quoque pulchritudinem :

Prop., IV, V, 58 : ne quid cras libet ab ore dies.

Os est quoque uultus qui affectum aliquem denotat :

Prop., I, XVIII, 18 : et non ulla meo clamat in ore fides.

Ora lacrimis umida esse saepe dicuntur :

Ou., *Her.*, VIII, 57.

Alias *os* est bucca, seu de osculis agitur :

Cat., XLV, 12 : illo purpureo ore sauiata; — cf. Prop., II, XV, 8; III, XIII, 22; Ou., *Ars Am.*, III, 746.

seu de spiritu :

Ou., *Ars Am.*, III, 803 : anhelitus oris;

Digitized by Google

seu de uoce :

Ou., *Her.*, XVI, 34 : ne quando nomen non sit in ore meum.

Denique *os* est inpudentia :

Ou., *Her.*, XVI, 102 : nec tibi plus cordis, sed magis oris adest.

Ossa conburi et comedi saepe dicunt poetae ut amoris uim depingant, siue Amorem iaculari fingunt :

Prop., II, xxxiv, 60 : quem tetigit iactu certus ad ossa deus; — cf. Prop., I, ix, 29; *Am.*, II, ix, 14; Ou., *Her.*, IV, 70; XV, 278;

siue amorem quasi ignem quendam describunt :

Prop., III, xvii, 9 : quod ueteres custodit in ossibus ignes; — cf. Prop., IV, iv, 70.

Oscula, osculari, persaepe apud nostros poetas inueniuntur :

Cat., XLVIII, 6; Tib., I, iv, 54; Prop., I, vi, 17; II, xv, 10; IV, iii, 30; Ou., *Am.*, I, iv, 51; III, vii, 56; *Her.*, XIII, 141; XVIII, 45; *Fast.*, III, 509, etc.

Praecipue reperiuntur huius modi dicendi genera :

oscula admouere :

Ou., *Her.*, XX, 195 (si Diltheyi, pro *accipit* scribentis *admouet*, coniectura probanda est);

oscula auferre :

Ou., *Her.*, XVI, 27.

oscula capere :

Ou., *Her.*, XIII, 120;

oscula carpere aut decerpere .

Cat., LXVIII, 127; Prop., I, xx, 27; Ou., *Am.*, II, xi, 46; *Her.*, x, 117;

oscula congerere :

Ou., *Her.*, XVII, 113;

oscula dare :

Tib., I, i, 62; I, iv, 54, 55; I, viii, 26, 38; Prop., I, xvi, 42; II, xv, 50; III, xiii, 34; Ou., *Am.*, I, iv, 38, 39; II, iv, 26; II, v, 50; II, vi, 56; II, xviii, 10; II, xix, 18; *Her.*, III, 14; IV, 144; V, 51; XIII, 7, 120; XV, 225; XVI, 159; XVIII, 31, 168; *Ars Am.*, I, 424, 664; II, 459; 531; *Rem.*, 794;

oscula ferre :

Tib., I, ix, 78; Prop., I, xx, 28; II, vi, 8; II, xviii, 18; Ou., *Am.*, III. vii, 48; *Her.*, III, 128; *Ars Am.*, II, 325, 534; III, 310;

oscula inserere :

Ou., *Am.*, III, vii, 9;

oscula iungere :

Ou., *Am.*, II, v, 23, 59; *Her.*, II, 94; XVII, 101; XIX, 141;

oscula petere :

Ou., *Her.*, XVII, 102;

Digitized by Google

oscula rapere aut eripere :
Tib., I, IV, 54; I, VIII, 58; II, V, 92;

oscula sumere :
Prop., I, III, 16; Ou., *Am.*, I, IV, 63; *Her.*, XIX, 145; *Ars Am.*, I, 664, 669.

Otium uocatur ea uita quae, a grauibus curis libera, amori soli inpenditur :
Cat., LI, 13 : otium, Catulle, tibi molestum est; — cf. Tib., II, VI, 5; Ou., *Rem.*, XV, 136, 139, 143.

Alias *otium* est tempus rei amatoriae libere gerendae necessarium :
Ou., *Ars Am.*, II, 729-730 : cum libera dantur otia.

Pactus modo ad coniugium refertur :
Prop., IV, III, 11 : pactae in gaudia noctes; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 95; X, 92; 35; XIX, 157; XX, 185;

modo ad amorem :
Prop., III, XX, 25 : qui pactas in foedera ruperit aras; — cf. Ou., *Rem.*, 505;

modo ad munera ab amantibus petita :
Ou., *Am.*, I, X, 47 : pretium pro nocte pacisci; — cf. Ou., *Her.*, XV, 378; *Ars Am.*, III, 462.

Paelex semper idem ualet ac riualis :
Ou., *Rem.*, 458 : si non Oebalia paelice laesa foret; — cf. Ou., *Am.*, I, XIV, 39; *Her.*, V, 60; VI, 81, 149; IX, 121, 132; XII, 173; XIV, 95, 108; XVIII, 102; *Ars Am.*, I, 320, 321, 365; II, 377; III, 677, 684, 701, 739.

Paenitere modo idem ualet ac *pigere* :
Tib., I, IV, 47 : nec te paeniteat duros subiisse labores;

modo proprio sensu accipitur :
Ps. Tib., IV, XII, 4 : cuius me fatear paenituisse magis; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 32, 33.

Pagina aliquotiens ponitur quasi libellus, id est amatoria elegia :
Prop., II, XXXIV, 89 : haec etiam docti confessa est pagina Calui; — cf. Prop., II, XXI, 1; III, XXV, 17.

Pallor aliquando describitur quasi natiuus oris color :
Ou., *Ars Am.*, III, 269 : pallida purpureis tanget sua corpora uirgis.

Sed saepius est *pallor* signum quo exprimitur animi affectus : seu timor :
Cat., LXIV, 100 : magis fulgore expalluit auri; — cf. Prop., IV, III, 41; Ou., *Her.*, I, 14; XI, 77; XII, 97; *Rem.*, 602;

seu, ob amorem spretum, aegritudo et liuor :
Prop., I, V, 21 : nec iam pallorem totiens mirabere nostrum; — cf. Prop., I, XV, 39; Ou., *Ars Am.*, II, 446; III, 703;

Digitized by Google

seu uehementior cupiditas :

Prop., III, VIII, 28 : semper in irata pallidus esse uelim; — cf. Prop., I, I, 22; I, IX, 17; I, XIII, 7; Ou., *Am.*, III, VI, 25; *Ars Am.*, I, 729, 731;

seu denique paenitentia pudorque :

Prop., II, V, 30 : hic tibi pallori, Cynthia, uersus erit.

Palma dicitur modo de Amoris uictoria :

Prop., II, IX, 40 : sanguis erit uobis maxima palma meus;

modo de amantis felici successu :

Ou., *Am.*, III, II, 82 : palma petenda mea est;

modo de rixis pugnisque inter amantes :

Ou., *Am.*, II, V, 12 : cui petitur uicta palma cruenta rea;

denique de praemio pulchritudinis :

Ou., *Her.*, XV, 140 : in dubium Veneris palma futura fuit.

Papillae saepe a nostris poetis nominantur :

Cat., LV, 12; LXI, 101; LXIV, 65; LXVI, 81; Prop., II, XV, 5; III, XIV, 19; IV, III, 43; Ou., *Am.*, I, IV, 37; I, V, 20; II, XV, 11; *Rem.*, 337.

Pares dicuntur aliquando qui aequa amoris ui inpelluntur :

Prop., II, XXVI, 40 : Neptunus fratri par in amore Ioui.

Saepius *pares* dicuntur amantes bene et tempestiue inter se iuncti [1] :

Prop, I, V, 2 : et sine nos cursu quo sumus ire pares; — cf. Prop., I, 32; — cf. Ou., *Fast.*, III, 526; IV, 98, cum pare quisque sua.

Paratus aliquando de re uenerea dicitur :

Cat., XV, 12; Ou., *Fast.*, I, 437 (addendus fortasse hic versus Prop., I, IX, 25 : quod sit satis illa parata).

Paratus est quoque quasi amantis moribus adcommodatus :

Prop., II, XXIV, 48 : et se plus uni si qua parare potest; — cf. Ou., *Med.*, 27.

Parcere est modo perfido amanti non maledicere aut irasci :

Tib., I, VI, 57 : non ego te propter parco tibi;

modo amantem miserandum non contemnere :

Tib., I, VIII, 51 : parce, precor, tenero; — cf. Tib., I, IV, 83; I, V, 7; II, V, 114; II, VI, 29; Ou., *Am.* III, XIV, 30; *Her.*, IV, 102, 167; VII, 163; XV, 11;

modo nullum dolorem amanti inicere uelle :

Ou., *Her.*, XVIII, 205 : si tibi non parcis, dilectae parce puellae; — cf. Ou., *Her.*, XIII, 70.

Parcere dicuntur quoque dii amantibus quos non nimiis doloribus adficiunt :

Tib., I, II, 97 : at mihi parce, Venus; — cf. Tib., II, VI, 7; Prop., II, XXIX, 19; Ou., *Her.*, IV, 148; VII, 31.

1. Forsan idem sit sensus apud Ou., *Her.*, XIII, 100 : perque pares anim. coniugiique faces (id est pares in nobis). Sed intellegi potest quoque : pares inter sei

Digitized by Google

Parcus proprio sensu ad pretium quod exposcunt mulieres pertinet :
Prop., II, XXIV, 10 : parcius infamant; — cf, Ou., *Am.*, I, VIII, 69.

Sed *parca* libido est moderata :
Ou., *Ars Am.*, II, 281.

Parere est iussa dominae sequi :
Tib., I, IV, 75 : pareat ille suae; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 221.

Partes aut obscena officia sunt :
Ou., *Am.*, II, XV, 26 : et peragam partes uiri;

aut obscena membra :
Ou., *Ars Am.*, II, 707; *Rem.*, III, 92; *Fast.*, IV, 240.

Partita foedera lecti de riualium simultatibus dicuntur :
Ou., *Ars Am.*, III, 593.

Parum dicitur de iis qui amoris rebus non sufficiunt :
Prop., II, XXII, 36 : sic etiam nobis una puella parum est.

Paruus modo, proprio sensu, ad corporis staturam pertinet :
Ou., *Ars Am.*, III, 777 : parua uehatur equo;

modo, translatiue, ad uim amoris :
Ou., *Her.*, XIX, 13-16 : quique fuit numquam paruus,... creuit amor.

Pascere oculos est amantem diu auideque intueri :
Ou., *Am.*, III, II, 6 : oculos pascat uterque suos.

Pascere amorem est ei uires dare et incrementa :
Ou., *Rem.*, 749 : non habet unde suum paupertas pascat amorem.

Patere dicitur quodcumque facilem aditum praebet, seu amor qui sine labore satiari potest :
Ou., *Am.*, II, XIX, 25 : pinguis amor nimiumque patens;

seu animi qui haud aegre moueri queunt :
Ou., *Ars Am.*, I, 362 : pectora ipsa patent.

Interdum proprio sensu hoc uerbum accipitur[1] :
Ou., *Ars Am.*, III, 310 : oscula ferre umero, qua patet usque, libet.

Pati est tolerare dolores aut contemptum :
Prop., III, XXV, 13 : exclusa inque uicem fastus patiare superbos; — cf. Prop., III, XIX, 11; IV, I, 137; Ou., *Am.*, I, VIII, 73; *Ars Am.*, II, 520.

1. Apud Prop., I, IX, 20 (qui non ante patet, donec manus adtigit ossa), *patere* est conspici.

Digitized by Google

Ac praecipue *pati* est aequo uel humili animo tolerare[1] :

Prop., II, v, 16 : omne in amore malum, si patiare, leue est; — cf. Prop., I, I, 27; II, XXIV, 39; II, XXVI, 35; II, XXXIV, 49; Ou., *Am.*, III, XI, 28; *Ars Am.*, II, 168, 550; III, 566; *Rem.*, 521.

Pati aliquando inhonesto sensu intellegitur :

Ou., *Her.*, XVI, 26 : excepto redii passa timore nihil; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 187; *Ars Am.*, I, 706; III, 766; *Fast.*, V, 156.

Patienter est plerumque quasi aequo animo :

Ou., *Ars Am.*, II, 539 : riualem patienter habe; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 4, 101 XIX, 88.

Interdum tamen *patienter* idem est ac constanter, adsidue :

Ou., *Am.*, III, XI, 17 : lateri patienter adhaesi.

Patientia est modo tolerantia malorum :

Ou., *Am.*, III, XI, 1 : uitiis patientia uicta est;

modo nimia erga infidos facilitas :

Ou., *Am.*, II, XIX, 59 : quem tanta iuuat patientia.

Alias *patiens* est quasi durus aut frigidus :

Ps. Tib., III, II, 5 : non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro ingenio; — cf. Prop., I XVI, 29.

Pauere est amantis contemptum aut iniuriam timere :

Prop., IV, v, 38 : has artes si pauet ille, tenes; — cf. Ou., *Her.*, III, 59.

Pax est amantium concordia, uel nullis litibus turbata :

Prop., III, VIII, 34 : in te pax mihi nulla placet; — cf. Prop., II, XIII, 15; Ou., *Ars Am.*, II, 175;

uel post lites redintegrata :

Prop., IV, v, 32 : mercata pace premendus erit; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 413, 460.

Pacem quoque ab Amore petere amantes dicuntur :

Prop., II, II, 2 : at me conposita pace fefellit Amor; — cf. Ou., *Am.* I, II, 21.

Peccare est plerumque fidem seu coniugalem, seu amatoriam uiolare[2] :

Tib., I, VI, 16; me quoque seruato, peccet ut illa nihil; — cf. Tib., I, VI, 71; I, IX, 23; IV, XIV, 1; Prop., II, VI, 40; II, XVI, 25; II, XIX, 10; II, XXXII, 51; Ou., *Am.*, II, V, 3; II, VII, 11, 19; III, IV, 9; III, XIV, 1, 5, 11, 37; *Her.*, XV, 297; XVI, 41, 47, 91; XVIII, 118, 119; *Ars Am.*, II, 365, 390, 408, 558; *Trist.*, II, 281, 458.

1. Apud Ou., *Am.*, I, III, 3, et III, II, 57 (patiatur amari), *pati* est idem ac sinere.
2. Cf. Ou., *Rem.*, 99 (si cito sensisses quantum peccare parares), ubi de incesto agitur.

Digitized by Google

Aliquotiens, adtenuato, ut ita dicam, huius uerbi sensu, *peccare* fere nihil aliud est nisi amare :

Ps. Tib., IV, VII, 9 : sed peccasse iuuat; — cf. Prop., II, XXX, 11; II, XXXII, 1.

Alias *peccare* dicuntur qui amantem offenderunt :

Prop., II XXV, 19 : ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur laesus; — cf. Prop., III, XVI, 9; *Ars Am.*, II, 173, 492; *Rem.*, 603.

Denique *peccare* nonnumquam est adversus deos delinquere :

Tib., II, IV, 5 : seu quid merui, seu quid peccauimus, urit (Amor); — cf. Ou., *Her.*, XV, 17.

Pectus saepe, proprio sensu, ad corpus refertur :

Cat., LXIV, 64 : non contecta leui uelatum pectus amictu; — cf. Cat., LXIV, 125; Prop., II, II, 8; II, XIII, 27; II, XXXIV, 13; III, VIII, 8; III, XIII, 21; Ou., *Am.*, III, VI, 81; *Her.*, VI, 27; XIII, 82; XX, 201; *Ars Am.*, III, 274, 667, 707, 737, 745; *Rem.*, 19.

Notandi sunt praecipue loci in quibus depingunt poetae *pectoris* formam, colorem, ornamenta :

Tib., I, IV, 12 : niueo pectore; — cf. Tib., I, VI, 18; Prop., I, XV, 7; II, XXII, 8; IV, VIII, 47; Ou., *Am.*, I, V, 20; *Her.*, XV, 249, 251; *Ars Am.*, III, 781; *Rem.*, 338;

et ii in quibus pressa inuicem amantium pectora dicuntur :

Prop., IV, VII, 19 : pectore mixto; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 36; *Her.*, XI, 58; XVIII, 62.

Verba *pectora plangere* aut similia usum habent frequentissimum :

Prop., II, XXIV, 52; Ou., *Am.*, III, VI, 58; *Her.*, V, 71; X, 15, 145; XI, 91; XII, 153; *Ars Am.*, I, 535.

Frigidum *pectus* quasi timoris aut doloris aliquod signum haud raro notatur :

Ou., *Her.*, I, 22 : frigidius glacie pectus amantis erat; — cf. Ou., *Her.*, III, 60; XII, 142; XVIII, 192; *Fast.*, II, 754.

Translatiue autem hoc uerbum in multis similitudinibus usurpatur. Nam saepe dicunt poetae amantium *pectora* ignibus uri :

Cat., LXI, 170 : pectore uritur intimo; — cf. Ou., *Am.*, III, II, 40; *Her.*, VIII, 58; XV, 50, 120; XVII, 90; *Ars Am.*, II, 443; III, 714; *Rem.*, 434;

aut sagittis Amoris uulnerari :

Prop., II, XIII, 2 : spicula quot nostro pectore fixit Amor; — cf. Ou., *Her.*, IV, 20; VII, 189; XV, 278; *Ars Am.*, I, 22; 257;

aut ab Amore occupari et possideri :

Prop., II, XII, 15 : euolat nostro de pectore nusquam; — cf. Ou., *Am.*, I, I, 26; II, IX, 52; *Rem.*, 108, 268, 752;

aut ab Amore uersari :

Ou., *Am.*, I, II, 8 : possessa ferus pectora uersat Amor; — cf. Ou., *Her.*, XII, 211; *Ars Am.*, III, 718;

Digitized by Google

aut morbo laborare :

Prop., I, I, 26 : quaerite non sani pectoris auxilia; — cf. Ou., *Rem.*, 531;

aut cura morderi :

Ou., *Her.*, XIII, 30 : pectora legitimus casta momordit amor;

aut aestu agitari :

Ou., *Her.*, XV, 25 : sic pectoris adiuuet aestum;

aut uinculis opprimi :

Ou., *Rem.*, 293 : laedentia pectus uincula.

Pectora dura, duriora ferro aut lapide, saepe dicuntur :

Ps. Tib., III, IV, 76 : uincuntur molli pectora dura prece; — Ou., *Am.*, I, XI, 9; III, VI, 30; *Her.*, X, 108; XX, 229.

Saepissime, etiamsi nulla adsit similitudo, *pectus* absolute ponitur pro animo :

Cat., LXIV, 123 : inmemori discedens pectore coniunx; — cf. Cat., LXIV, 69, 72, 194, 198, 202; LXVI, 24; Ps. Tib., III, I, 20; III, IV, 84; IV, XI, 6; Prop., I, X, 30; I, XV, 31; III, V, 38; III, XX, 6; IV, VII, 64; Ou., *Am.*, I, XIII, 34; II, II, 42; III, V, 44; III, VIII, 18; III, X, 18; III, XI, 2, 33; *Her.*, IV, 23; XII, 170; XIII, 66, 89; XVI, 92, 111, 178; XVII, 27; XIX, 198; XX, 141; *Ars Am.*, I, 110, 236, 361; III, 372; *Rem.*, 54, 74, 259, 427.

Interdum *pectus* est quasi indoles aut naturae genus :

Ou., *Ars Am.*, I, 750 : sunt diuersa puellis pectora; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 136; XVII, 63, 67; *Ars Am.*, I, 759.

Aliquando pectus est ingenium :

Ou., *Ars Am.*, II, 121 : pectus coluisse per artes :

aut acumen iudicii :

Ou., *Her.*, XV, 307 : hominem sine pectore;

aut facultas sentiendi :

Ou., *Am.*, III, III, 42 : di quoque pectus habent.

Pellere, expellere est amantem a se remouere :

Prop., III, XVI, 9 : totum sum pulsus in annum; — cf. Prop., I, III, 36.

Sed *inpellere*, *conpellere*, est incitare :

Ou., *Her.*, XIX, 63 : hac ego conpulsus forma; — cf. Ou., *Am.*, I, IX, 43.

Pellere morbos est fugare amorem :

Ou., *Rem.*, 115.

Pendere ex amante est nihil curare nisi illum :

Cat., LXIV, 70 : ex te tota pendebat perdita mente.

Pennae saepe nominantur apud elegiarum scriptores, cum Amorem depingunt :

Prop., II, XXIV, 22; III, X, 28; Ou., *Ars Am.*, I, 233 : *Rem.*, 198.

Digitized by Google

Perdere est prohibere ne quis amans redametur :

Cat., LXXV, 1-2 : mens tua... ita se officio perdidit ipsa suo; — cf. Ou., *Her.*, V, 118.

Perdere est quoque eum qui nimium amat in perniciem inducere :

Ou., *Am.*, II, XVIII, 10 : quae me perdunt, oscula mille dedit; — cf. Ou., *Am.*, I, VI, 16; II, X, 21, 29; *Her.*, XI, 60; *Ars Am.*, III, 41.

Perdere amorem est amare desinere :

Prop., II, VII, 8 : nuptae perdere amore faces; — cf. Ou., *Rem.*, 453.

Perdere alias est felici occasione fraudari :

Ou., *Ars Am.*, I, 670 : haec quoque, quae data sunt, perdere dignus erit.

Denique *perdere* idem ualet ac frustra sua gaudia dare amantibus :

Ou., *Ars Am.*, III, 89 : ut iam decipiant, quid perditis? — cf. Ou., *Her.*, VII, 6.

Perditi dicuntur qui in amore infelices sunt et de rebus suis desperant :

Tib., II, VI, 51 : tunc mens mihi perdita fingit; — cf. Ou., *Am.*, III, VI, 80;

aut simpliciter qui uehementissime amant :

Cat., XLV, 3 : ni te perdite amo; — cf. Cat., LXIV, 70, 119; XII, 2; CIV, 3; Prop., I, XIII, 7; II, XXX, 29; Ou., *Rem.*, 533.

Interdum *perditus* est quasi dedecore adfectus :

Cat., XLII, 14 : aut si perditius potes quid esse.

Perire, sicut *perditus*, modo refertur ad eos qui ab amantibus decepti sunt :

Prop., I, XV, 41 : quis ego nunc pereo;

modo ad eos qui nimia cupidine uruntur :

Cat., XXXV, 12 : illum deperit inpotente amore; — cf. Cat., XLV, 5; C, 2; Prop., I, IV, 12; I, VI, 27; I, IX, 34; I, XIII, 33; II, XV, 13; II, XXIV, 41; II, XXVII, 11; Ou., *Her.*, IV, 86; XII, 33; *Rem.*, 16, 21.

Aliquando *perire* est corrumpi :

Prop., II, XVI, 16 : indigna merce puella perit; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 105;

aut nihil prodesse :

Cat., LXXVI, 9 : omnia quae ingratae perierunt credita menti; — cf. Prop., II, XXI, 5; Ou., *Am.*, II, III, 14;

aut aboleri et destrui :

Cat., VIII, 2 : et quod uides perisse perditum ducas;

quod quidem aliquotiens obsceno sensu intellegitur :

Ou., *Ars Am.*, III, 90 : mille licet sumant, deperit inde nihil; — cf. Ou., *Her.*, V, 104.

Vsitatissima etiam sunt duo genera loquendi, unum (*peream*) cum amantes se bona fide agere iurant :

Cat., XCII, 2, 4; Prop., II, XXIV, 15; Ou., *Her.*, XVI, 183; XVIII, 105; XX, 29;

Digitized by Google

alterum (*pereat*) cum aliquem exsecrantur :

Ps. Tib., III, IV, 62 : pereat, didicit fallere si qua uirum; — cf. Prop., I, VI, 12; I, XI, 30; I, XVII, 13; II, XXIII, 12, II, XXXIII, 3 et 27.

Perfidi dicuntur saepissime qui amantibus datam fidem non seruant :

Cat., LXIV, 174 : nec perfidus in Creta religasset nauita funem; — cf. Cat. LXIV, 132, 133 : Tib., I, VIII, 63; Ps. Tib., III, VI, 55; Prop., I, XI, 16; II, V, 3; II, IX, 28; II, XVIII, 19; IV, VII, 13; Ou., *Am.*, III, III, 10; *Her.*, II, 78; VII, 79, 118; XII, 37; XIX, 113; *Ars Am.*, I, 536; III, 489; *Rem.*, 597; *Fast.*, III, 464, 473.

perfidi quoque ii qui amicis amores suos rapere conantur :

Prop., I, XIII, 3 : et non ipse tuas imitabor, perfide, uoces; — cf. Prop., II, XXXIV, 9;

Hoc uerbum aliquando ad res transfertur :

Prop., I, XVI, 43 : perfida (ianua); — cf. Ou., *Her.*, X, 58; *Rem.*, 722.

Perfidia est saepissime perfida agendi ratio :

Prop., IV, VII, 70 : celo ego perfidiae crimina multa tuae; — cf. Ou., *Her.*, VI, 146; VII, 58; XII, 19;

aliquando uero unum perfidiae factum :

Prop., I, XV, 2 : hac tamen excepta perfidia;

aut falsa promissio :

Prop., I, XV, 34 : per quos saepe mihi credita perfidia est.

Peritus uocatur qui res amatorias experiendo cognouit :

Prop., II, XXXIV, 82 : siue in amore rudis, siue peritus erit; — cf. Prop., I, IX, 7. Ou., *Ars Am.*, I, 29.

Periuri sunt, cum qui prius datam fidem non seruant :

Cat., LXIV, 148 : nihil periuria curant; — cf. Cat., LXIV, 135; Tib., I, IX, 3; Prop., I, VIII, 17; I, XV, 23; II, XVI, 47, 53; Ou., *Am.*, I, VII, 15, III, III, 3, 21, 36; III, XI, 22; *Her.*, VII, 67; X, 76; XIX, 111, 127, 161, 185; XX, 181; *Ars Am.*, I, 657; *Fast.*, III, 461, 473;

tum qui dant fidem quam mox uiolent :

Tib., I, IV, 21 : ueneris periuria; — Ps. Tib., III, VI, 39, 49; Ou., *Am.*, I, VIII, 85; II, VIII, 19; *Ars Am.*, I, 633.

Periurum dicitur periuri corpus :

Prop., II, V, 21.

Pernicies uocatur amor qui maerorem gignit :

Cat., LXXVI, 20 : eripite hanc pestem perniciemque mihi.

Pernoctare est noctem cum amante transigere :

Ou., *Her.*, XVII, 217.

Perprimere est mulierem uehementer insequi et uincere :

Ou., *Ars Am.*, I, 394 : perprime temptatam.

Digitized by Google

Perstare aut **instare** est adsidue feminam urgere :

Ou., *Ars Am.*, I, 473 : Penelopen ipsam, persta modo, tempore uinces; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 483.

Persuadere est leniter hortari :

Ou., *Her.*, XX, 131 : cogere cur potius quam persuadere uolebas? — cf. Ou., *Her.*, XVI, 183.

Persuasus est, seu qui se amari plane credit :

Ou., *Ars Am.*, III, 679 : iamdudum persuasus erit;

seu qui aliquid facere firmo animo decreuit :

Prop., IV, I, 146 : persuasae fallere rima sat est.

Pestis dicitur aut amor nimius qui homini nocet :

Cat., LXXVI, 20 : eripite hanc pestem perniciemque mihi;

aut riualis qui amanti obest :

Cat., LXXVII, 6 : nostrae pestis amicitiae.

Petere est plerumque concupiscere :

Prop., II, XXXIV, 4 : formosam raro non sibi quisque petit; — cf., Prop., II, IX, 23; II, XX, 27; Ou., *Am.*, III, II, 62; III, VII, 2; *Her.*, XII, 197; XV, 33, 95, 172; XIX, 53, 227; XX, 129, 130, 222; *Ars Am.*, II, 2; *Trist.*, II, 376; *Fast.*, VI, 108;

aliquando lacessere, prouocare ad amandum :

Ou., *Ars Am.*, III, 132 : per quas nos petitis, saepe fugatis, opes; — cf. Ou., *Ars Am.* I, 545; III, 590;

aut adire :

Ou., *Her.*, XVIII, 179 : tu quam saepe petis, quod amas, tam saepe relinquis; — cf. Ou., *Am.*, II, XVI, 31.

Peti dicuntur non modo personae, sed res quoque :

gaudia amatoria :

Cat., LXI, 145, 146; Ou., *Am.*, I, X, 31; *Her.*, XVI, 25, 104, 108; *Ars Am.*, III, 476;

munera :

Ou., *Ars Am.*, II, 275;

amplexus :

Ou., *Her.*, XIX, 69; XV, 268;

oscula :

Ou., *Her.*, XVII, 102;

felicitas in amore :

Ou., *Ars Am.*, I, 356.

Petulantia est aliquando iracunda mordaxque dicacitas :

Prop., I, XVI, 37 : te non ulla meae laesit petulantia linguae;

Digitized by Google

saepius audacia pudore destituta :

Ou., *Rem.*, 329 : et poterit dici petulans quae rustica non est; — cf. Ou., *Her.*, XV, 247; *Ars Am.*, I, 767.

Pharetra Amoris non raro depingitur :

Prop., II, XII, 10; Ou., *Am.*, I, I, 21; II, V, 1; II, IX, 38; III, IX, 7; *Rem.*, 379; *Trist.*, V, I, 22.

Philtra haud saepe nominantur :

Ou., *Ars Am.*, II, 105, 106.

Piger est quasi iners et frigidus, seu de animi affectu agitur :

Ou., *Ars Am.*, II, 443 : pigra securaque pectora;

seu de corporis uenereo uigore :

Ou., *Am.*, III, VII, 4 : iacui pigro toro.

Piget modo ad praesentes res refertur quas aliquis inprobat :

Ou., *Rem.*, 80 : si piget, in primo limine siste pedem; — cf. Ou., *Rem.*, 237;

modo ad praeteritas, ita ut *pigere* sit idem prope ac paenitere :

Ou., *Ars Am.*, III, 717 : nunc uenisse piget; — cf. Ou., *Her.*, XII, 209, 210; XV, 169; *Rem.*, 415.

Pignus est modo foedus inter amantes pactum :

Prop., III, XX, 17 : haec Amor ipse suo constringit pignera signo;

modo indicium quo amor conprobatur [1] :

Ou., *Her.*, IV, 100 : illa ferae spolium pignus amoris habet; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 248.

Pignora nonnumquam dicuntur liberi :

Ou., *Her.*, XI, 113; XII, 192.

Pinguis amor est is qui nimium facilis est, neque acumen ingenii ullum desiderat :

Ou., *Am.*, II, XIX, 25.

Pietas est modo caritas ac studium :

Ps. Tib., IV, XI, 1 : estne tibi tuae pia cura puellae? — cf. Ou., *Am.*, II, XVI, 47; *Her.*, VIII, 15, 20; XIII, 78; *Ars Am.*, II, 321, *Pont.*, III, I, 60.

modo erga amantes fides inuiolata :

Prop., III, XIII, 24 : nec fida Euadne nec pia Penelope; — cf. Prop., III, XIII, 18; Ou., *Ars Am.*, III, 15;

modo probitas innocentiaque :

Ou., *Her.*, XIV, 4 : est mihi supplicii causa, fuisse piam; — cf. Ou., *Her.*, XIV, 49, 64, 84, 123, 129;

1. Apud Ou., *Ars Am.*, III, 486, 489, *pignora* sunt amatoriae epistulae.

Digitized by Google

Placata dicitur Venus cum amantem minus crudeliter urget :
Prop., I, XIV, 23 : quae mihi dum placata aderit;

placati quoque amantes post iram :
Prop., III, XXIII, 5 : illae iam sine me norant placare puellas; — cf. Prop., II, XXXIII, 21; Ou., *Her.*, XIX, 74.

Placere dicuntur aliquotiens feminae quae pulchrae habentur :
Tib., I, VIII, 15 : illa placet, quamuis inculto uenerit ore; — cf. Tib., I, IV, 11; Prop., I, II, 26; II, XXII, 1; Ou., *Am.*, II, II, 14; II, IV, 43; *Her.*, XIV, 88; XV, 77; XX, 34; *Med.*, 23, 46; *Ars Am.*, III, 191, 681.

Saepius *placere* idem est ac sibi amorem conciliare :
Tib., II, V, 51 : Marti placitura sacerdos; — cf. Tib., I, IV, 50; II, V, 35; IV, XIII, 3; Ps. Tib., IV, VI, 6; Prop., II, VII, 19; II, XXIII, 14; Ou., *Am.*, I, III, 15; I, VIII, 23, 25; I, X, 12, 28; II, II, 5; II, IV, 17, 18, 20; II, X, 8; III, IV, 27, 32, 41; III, VI, 47; III, XI, 19; III, XII, 11; *Her.*, IV, 63, 69; VI, 83; VII, 123; IX, 43; XV, 103; XVII, 95; XIX, 37; *Med.*, 44; *Ars Am.*, I, 37, 42, 63, 265, 309, 314, 322, 384, 513, 596; II, 164, 276, 505; III, 24, 380, 423, 535; *Rem.*, 61, 681; *Fast.*, II, 763.

Placent quoque poetae quorum uersus a puellis probantur :
Prop., I, VII, 11 : me laudent doctae solum placuisse puellae; — cf. Prop., III, IX, 43; Ou., *Rem.*, 363.

Interdum *placere*, non personae, sed res dicuntur :
Ou., *Her.*, XII, 11 : cur mihi plus aequo flaui placuere capilli? — cf. Ou., *Am.*, II, V, 57; III, II, 35; *Ars Am.*, II, 215, 304; III, 430; *Rem.*, 459.

Sibi placere dicuntur qui nimium suam formam probant :
Ou., *Rem.*, 686 : dum sibi quisque placet, credula turba sumus; — cf. Ou., *Am.*, I, XIV, 38; *Ars Am.*, III, 774; *Rem.*, 517.

Placidi dicuntur amantes beneuoli :
Tib., II, IV, 59 : si modo me placido uideat Nemesis mea uultu;

placidus quoque Amor, cum non grauia minatur hominibus :
Tib., II, I, 80 : cui placidus leniter adflat Amor.

Placida ars poetarum dicitur quia dulcis est et quieta, et ad beneuolentiam adducere potest amantes :
Ou., *Ars Am.*, III, 545 : scilicet ingenium placida mollitur ab arte.

Plagae dicuntur insidiae quibus uiri puellas captare nituntur :
Ou., *Ars Am.*, I, 270 : capies; tu modo tende plagas.

Plangere pectus dicuntur feminae quae ab amantibus derelictae sunt :
Ou., *Her.*, X, 37, 145; XI, 91; XII, 153.

Planus uenter, id est politus neque ullis rugis turpis, laudatur :
Ou., *Am.*, I, V, 21.

Digitized by Google

Plenum dicitur quod ad summum peruenit fastigium :
Prop., II, xxv, 21 : tu quoque qui pleno fastus adsumis amore; — cf. Ou., *Rem.*, 401.

Plenus est quoque quasi pinguis, non tamen ultra modum :
Ou., *Ars Am.*, II, 661 : dic quae turgida, plenam; — cf. contra Ou., *Rem.*, 327,

Plorare minus frequenter reperitur quam flere aut lacrimare [1] :
Prop., III, xii, 1; IV, iii, 26; Ou., *Her.*, V, 73; *Ars Am.*, I, 431; III, 292.

Pocula sunt amatoria philtra :
Prop., II, i, 51 : nouercae pocula Phaedrae.

Poena plerumque id significat quo puniuntur qui in amore nimis temerarii sunt :
Cat., XCIX, 13 : quam quoniam poenam misero proponis amori;

aut qui sunt infidi uel dolosi :
Cat., XL, 7-8 : meos amores cum longa uoluisti amare poena; — cf. Tib., I, vi, 55; I, ix, 13, 81; Prop., I, xiii, 9; I, xvii, 10; II, v, 3; III, vi, 20. 32; III, xiv, 24;

aut qui amantes contemnunt :
Tib., I, viii, 28 : persequitur poenis tristia facta Venus; — cf. Tib., I, viii, 77;

Interdum quae nimium formosae sunt, etiamsi nullum admittant crimen, *poenas* dare dicuntur quasi pretium quoddam :
Prop., II, xxxii, 26 : semper formosis fabula poena fuit.

Alias *poena* est quasi paenitentia :
Ou., *Am.*, I, vii, 26 : et ualui poenam fortis in ipse meam.

Pollere est per pulchritudinem in animos amantium dominari :
Prop., III, x, 17 : pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis.

Polliceri modo ad munera pertinet :
Ou., *Ars Am.*, I, 444 : pollicitis diues quilibet esse potest;

modo ad amorem :
Ou., *Ars Am.*, I, 632: pollicito testes quoslibet adde deos; — cf. Ou., *Her.*, VI, 110.

Aliquotiens obsceno sensu accipitur :
Ou., *Am.*, III, vii, 70.

Polluere est dedecorare. Hoc uerbum modo ad uirginitatem amissam refertur :
Cat., LXII, 46 : cum castum amisit polluto corpore florem;

1. Apud Prop., II, xiv, 14 (nec mihi ploranti lenta sedere potest), *plorare* significat simul flere et rogare.

Digitized by Google

modo ad fidem uiolatam :
Tib., I, IX, 17 : auro ne pollue formam; — cf. Prop., III, XX, 26.

Pondus est in amore grauitas et constantia :
Prop., II, XXV, 22 : nulla diu femina pondus habet; — cf. Ou., *Her.*, V, 111; VI, 110.

Poni est iacere :
Prop., II, VIII, 5 : in alterius positam lacerto; — Prop., II, XIV, 22; II, XXXIV, 59.

Ponere alias est quasi deponere, omittere :
Prop., I, IX, 8 : utinam posito dicar amore rudis! — cf. Ou., *Am.*, II, IX, 23; *Rem.*, 63, 484, 497, 544, 559.

Populari formam est eam minuere ac destruere :
Ou., *Med.*, 45.

Portus dicitur felix euentus amoris :
Ou., *Ars Am.*, II, 10 : longe, quem peto, portus abest; — cf. Ou., *Her.*, XV, 26

Dicitur quoque *portus* tranquillitas eorum qui amore carere possunt :
Prop., III, XXIV, 15 : coronatae portum tetigere carinae; — cf. Ou., *Rem.*, 610.

Poscere est plerumque munera flagitare :
Prop., III, XIII, 13 : nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi; — cf. Prop., II, XXIII, 17; II, XXIV, 13; III, XI, 31; Ou., *Am.*, I, VIII, 93; I, X, 11, 27, 53, 54, 63, 64; *Her.*, V, 143; *Ars Am.*, III, 805; *Rem.*, 321.

Alias *poscere* est amoris gaudia petere :
Ou., *Her.*, XV, 19 : praemia magna quidem, sed non indebita, posco; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 67; *Her.*, X, 116, *Rem.*, 277.

Posse ad imperium formosarum plerumque pertinet :
Prop., I, V, 31 : quid possit mea Cynthia; — cf. Ou., *Am.*, II, X, 22; III, III, 26.

Alias *posse* est uoluntate sua uim amoris peruincere :
Ou., *Rem.*, 208 : nec potes et uelles posse.

Posse est quoque amantem uidere posse :
Ou., *Am.*, I, XII, 2 : infelix hodie littera posse negat.

Possidere aliquotiens natiuum sensum habet e iure sumptum :
Ou., *Her.*, XVI, 107 : ad possessa uenis praeceptaque gaudia serus.

Alias hoc uerbum dicionem significat seu Amoris :
Ou., *Am.*, I, II, 8 : possessa ferus pectora versat Amor;

seu feminae :
Prop., IV, VII, 93 : nunc te possideant aliae.

Denique *possidere* est posse frui aliquo bono :
Ou., *Am.*, III, VII, 50 : possedi diues auarus opes.

Digitized by Google

Postulare est cupere :

Ou., *Rem.*, 608 : satisfieri postulat ille sibi.

Potens dicitur uir qui amorem puellae sibi adquirit :

Cat., C, 8 : sis felix, Caeli, sis in amore potens; — cf. Prop., II, xxvi, 22;

potens femina quae ab amante quodcumque uult inpetrat :

Ou., *Ars Am.*, II, 294 : partes illa potentis agat.

Potens saepe dicitur Amor :

Ou., *Am.*, I, i, 13 : sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna; — cf. Ou., *Am.*, III, ii, 55.

Nec solum personae *potentes* dicuntur, sed et res quae amorem inicere possunt :

forma :

Prop., II, v, 28; III, xx, 7, Ou., *Ars Am.*, III, 258;

uerba :

Ou., *Am.*, III, xi, 31.

Potior dicitur riualis amanti antepositus :

Tib., I, v, 69 : at tu qui potior nunc es.

Potiri est inpetrare amorem precibus :

Ou., *Ars Am.*, I, 711 : ut potiare roga; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 385, 737;

aut gaudia uenerea capere :

Ou., *Fast.*, III, 21 : potiturque cupita; — cf. Ou., *Fast.*, VI, 126.

Praebere saepe obscenum habet sensum [1] :

Ou., *Ars Am.*, II, 685 : odi quae praebet quia sit praebere necesse; — cf. Ou., *Am.*, III, viii, 34; *Ars Am.*, III, 666.

Praecepta vocant poetae consilia quae experti dant rudibus ut amare aut discant :

Tib., I, iv, 79 : ueneris praecepta ferentem; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 204; II, 161, 497, 745; III, 28, 57, 257, 651;

aut contra dediscant :

Ou., *Rem.*, 225 : dura aliquis praecepta uocet mea; — cf. Ou., *Rem.*, 41, 349, 423, 489, 523, 558.

Praecepta gaudia dicuntur quae a riuali iam decerpta sunt :

Ou., *Her.*, XVI, 107.

Praeconia sunt laudes quibus puellarum pulchritudo celebratur et innotescit :

Ou., *Am.*, III, xii, 9 : quid enim formae praeconia feci? — cf. Ou., *Her.*, XV, 141; *Ars Am.*, I, 623; III, 535.

1. Paulum dissimilis est sensus apud Ou., *Her.*, V, 132 : quae totiens rapta est praebuit ipsa rapi.

Digitized by Google

Praecordia, sicut *cor* et *pectus*, animum saepe significant :

Tib., I, I, 63 : non tua sunt duro praecordia ferro uincta; — cf. Prop., II, IV, 21; Ou., *Her.*, X, 107; XII, 183; XV, 135; *Rem.*, 79, 535.

Praecurrere amantes est acrius uehementiusque omnibus amantibus amare :

Prop., I, XIII, 23.

Praeda aliquotiens proprio sensu accipitur, et est diues amans a quo puella munera auferre conatur :

Prop., II, XVI, 2 : maxima praeda tibi, maxima cura mihi; — cf. Ou., *Am.*, I VIII, 92; — apud Ou., *Am.*, I, x, 48 (non habet cuentus sordida praeda bonos), *praeda* est quasi *praedatio*.

Dicitur quoque *praeda* rapta a uiro puella :

Ou., *Her.*, VIII, 82 : Neoptolemo praeda parata fui; — cf. Ou., *Her.*, XV, 154; XVIII, 178; *Ars Am.*, I, 125;

aut translatiue puella quam sibi amans conciliauit :

Ou., *Ars Am.*, II, 2 : decidit in casses praeda petita meos.

Non longe discrepans ab eo, sed turpior sensus nonnumquam inuenitur :

Ou., *Her.*, XII, 111 : uirginitas facta est peregrini praeda latronis.

Praeda dicitur quoque uir a femina subactus :

Prop., II, I, 55 : una meos quoniam praedata est femina sensus; — cf. Ou., *Am.*, I, III, 1; II, XVII, 5, 6; *Ars Am.*, II, 406; III, 84, 560;

aut quicumque Amori subiectus est :

Ou., *Am.*, I, II, 19 : tua sum noua praeda; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 29.

Praegestire est uehementer concupiscere :

Cat., LXIV, 145 : dum aliquid cupiens animus praegestit apisci.

Praemia sunt seu munera :

Ou., *Am.*, I, x, 53 : nec tamen indignum est a diuite praemia posci;

seu puellae amor et possessio :

Ou., *Her.*, XV, 374 : certamen praemia magna mouent.

Praeponere est modo aliquem plus aliis amare :

Cat., LXXXI, 5 : quem tu praeponere nobis audes; — cf., Ou., *Her.*, II, 82; IV, 36; VI, 132; VII, 124;

modo mulierem alia pulchriorem iudicare :

Ou., *Ars Am.*, II, 609 : Hermionen Helenae praeponere posses?

Preces amantium efferuntur plerumque ad ipsas personas amatas, quae rogantur ut benignae sint fidaeque :

Cat., L, 18 : precesque nostras caue despuas; — Ps. Tib., III, IV, 64, 76; III, VI, 46; Prop., I, VI, 6; I, VIII, 12, 28; I, XVI, 20; Ou., *Am.*, III, VI, 65; *Her.*, II,

Digitized by Google

103; III, 91, 92; IV, 149, 153, 175; V, 138; VI, 73; VII, 3, 163; XII, 183; XV, 271; *Ars Am.*, I, 440, 709, 710, 715; *Fast.*, III, 688.

aliquando ad deos qui amori prodesse aut nocere possunt, Ioui, Veneri, Cupidini :

Prop., II, XVI, 48 : Iuppiter et surda neglegit aure preces; — cf. Prop., II, XXX, 12; Ou., *Am.*, I, III, 1, 4;

alias ad puellarum custodes aut ancillas :

Ou., *Am.*, II, II, 60 : quid precibus nostris mollius esse potest; — cf. Ou., *Am.*, II, III, 17; *Her.*, XV, 262;

Rarius *preces* dicuntur flagitationes mulierum quae munera exposcunt :

Ou., *Ars Am.*, III, 806 : illa suas nollet pondus habere preces.

Premi aliquando est in inferiorem amandi condicionem redigi :

Tib., I, VI, 10 : nunc premor arte mea.

Premere dicitur Amor amantes in quos suam exercet dominationem :

Prop., III, XXI, 6 : ex omni me premit iste deus; — cf. Prop., I, I, 4; I, IX, 24; Ou., *Rem.*, 530.

Similiter *premere* dicunt uiros imperiosae feminae :

Prop., IV, V, 32 : postmodo mercata pace premendus erit.

Alio sensu *premere* est amplecti ac fouere :

Ou., *Her.*, XI, 58 : pressa refouisti pectora nostra tuis; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 20, 24; *Her.*, II, 94;

uel etiam uim facere :

Prop., I, XIII, 22 : Salmonida Taenarius facili pressit amore deus.

Pressus torus saepe nominatur :

Prop., II, XXIX, 35; Ou., *Am.*, III, XIV, 32; *Her.*, X, 56.

Prendere, deprendere, est peccantes subito capere amantes :

Ou., *Ars Am.*, II, 537-539 : deprendere parcite uestras;... crescit amor prensis.

Pretium est proprie munus pro amoris gaudiis datum acceptumque :

Cat., CX, 2 : accipiunt pretium, quae facere instituunt; — cf. Tib., I, IX, 52; II, IV, 14, 33, 30; Ps. Tib., III, I, 7; Prop., III, XI, 31; III, XIII, 1, 14; IV, V, 29 43; Ou., *Am.*, I, VIII, 09; I, X, 17, 18, 32, 47, 63; III, VIII, 30; *Her.*, V, 143; *Ars Am.*, III, 331.

Pretium est quoque quodcumque facit ut aut mulier aut res maiorem admirationem moueat :

Ou., *Ars Am.*, II, 299 : aurata est : ipso tibi sit pretiosior auro; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 30; *Her.*, XVI, 72.

Digitized by Google

Pretium est merces quam femina pro aliquo benefacto rependit :
Ou., *Am.*, II, I, 34 : ad uatem, pretium carminis, ipsa uenit; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 155;

et, hoc sensu, saepe turpem latentemque habet significationem :
Ou., *Am.*, II, VIII, 21 : pretium mihi dulce rependе; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 62.

Priapus dicitur uir ad libidinem pronus :
Ou., *Am.*, II, IV, 32 : illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Prima breuius ponitur pro ea quae primum amata fuit :
Prop., I, XII, 20 : Cynthia prima fuit.

Probare est pulchram iudicare aliquam feminam :
Ou., *Am.*, I, XIV, 48 : empta nunc ego merce probor; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 125; *Ars Am.*, II, 300.

Proba est quasi pudica :
Cat., XVII, 24 : pudica et proba; — cf. Ou., *Med.*, 49; *Rem.*, 330.

Proba dicitur peculiariter uxor quae marito datam fidem seruat :
Prop., II, XXVIII, 52 : nec proba Pasiphae; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 29; *Her.*, XVI, 174;

et similiter puella quae amantem non decipit :
Prop., II, XIX, 4 qui te blanditiis non sinat esse probam; — cf. Ou., *Am.*, III, XIV, 14.

Probrum est turpis dedecorusque amor :
Cat., LXI, 99 : probra turpia persequens; — cf. Prop., IV, IV, 36;

aut infidus amor :
Cat., XCI, 4 : a turpi mentem inhibere probro; — cf. Ou., *Am.*, III, XIV, 44; *Her.*, XVI, 208; *Ars Am.*, III, 716;

aut nimius ridendusque amor :
Prop., IV, V, 41 : nec te Medeae delectent probra sequacis.

Alias *probra* sunt conuicia et maligni rumores :
Ou., *Ars Am.*, III, 49 : probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae.

Procax idem ualet ac nimium liber et inpudens :
Cat., LXI, 119-120 : procax fescennina iocatio; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 13; *Trist.*, II, 435.

Proci haud raro apud nostros memorantur :
Prop., II, IX, 4; Ou., *Am.*, III, IV, 24; *Her.*, I, 88; VII, 123; XVI, 104; *Fast.*, VI, 108.

Prodere nonnumquam est decipere, deserere :
Cat., XXX, 3 : iam me prodere, iam non dubitas fallere? — cf. Prop., II, VII, 10.

Digitized by Google

Prodi dicitur quoque is cuius amor tectus reuelatur :

Ou., *Ars Am.*, III, 668 : indicio prodor ab ipse meo? — cf. Ou., *Her.*, XV, 8 ; *Ars Am.*, I, 395.

Similiter pectora *prodita* dicuntur quae oculis uirorum cernuntur :

Ou., *Her.*, XV, 249.

Prodesse dicuntur quaecumque amantes iuuant ut amentur :

Tib., II, IV, 13 : nec prosunt elegi; — cf. Tib., II, IV, 15, 51; Prop., II, XXXIV, 28, 29, 39; Ou., *Am.*, I, VIII, 36; *Ars Am.*, I, 639; II, 105, 313; III, 297, 387;

uel contra ut amorem deponant :

Tib., II, III, 12 : nec cithara intonsae profueruntue comae; — cf. Ou., *Rem.*, 263, 315, 341, 420, 440, 715.

Proelia sunt amantium inter se contentiones :

Prop., III, V, 2 : sat mihi cum domina proelia dura mea; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 151;

aut etiam rixae :

Prop., II, V, 25 : rusticus haec aliquis tam turpia proelia quaerat;

aut lusus rixis similes :

Tib., I, III, 64 : adsidue proelia miscet Amor;

aut denique uenerei lusus :

Prop., II, I, 45 : angusto uersantes proelia lecto.

Alias proelia sunt riualium simultates :

Ou., *Am.*, I, VIII, 96 : non bene, si tollas proelia, durat amor.

Promittere proprie dicitur de puella iuueni desponsa [1] :

Ou., *Am.*, III, VI, 31 : promissam Xutho, Creusam...; — cf. Ou., *Her.*, II, 33; VI, 20; VIII, 33; XIX, 2, 96, 146, 159; XX, 4, 139, 223.

Promittere quoque dicuntur amantes puellis munera :

Ou., *Am.*, III, VI, 66 : munera promissis uberiora feres; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 222; *Ars Am.*, I, 443; III, 461;

et rursus puellae amantibus noctem, gaudia, etc. :

Cat., CX, 5 : aut facere ingenuae est aut non promisse pudicae; — cf. Cat., CX, 3; Tib., I, VIII, 63; II, VI, 40; Prop., II, XVII, 1; II, XXIII, 4; III, VI, 19; IV, V, 33; Ou., *Am.*, III, II, 83; *Ars Am.*, II, 523; III, 461; *Rem.*, 400.

Denique *promittere* est amorem fidum polliceri :

Cat., CIX, 3; ut uere promittere possit; — cf. Cat., LXIV, 139, 146; Ou., *Am.*, III, II, 59; *Her.*, XVI, 229; *Ars Am.*, I, 631.

Propositum destituere obscene dicitur :

Ou., *Am.*, III, VII, 14.

Prostituere aliquotiens proprio sensu ponitur :

Cat., CX, 8 : quae sese toto corpore prostituit; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 17, 42.

1. Cf. Ou., *Her.*, XV, 15, ubi promisisse dicitur Venus Helenen Paridi.

Digitized by Google

Translatiue autem *prostituere* est aut in amorem flagitiosum inducere :

Ou., *Ars Am.*, III, 97 : nec uos prostituit mea uox;

aut nimis notam facere puellam :

Ou., Am., III, XII, 8 : ingenio prostitit illa meo.

Proteruus est aliquando quasi audax :

Prop., II, XXIV, 30 : iam tibi de timidis iste proteruus erit; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 84.

Saepius *proteruus* dicitur qui in amore nullis pudoris aut reuerentiae uinculis tenetur :

Ou., *Ars Am.*, I, 590 : quidquid facias dicasue proteruius aequo; — cf. Ou., *Her.*, V, 136; XVI, 27, 77; *Fast.*, IV, 142.

Interdum *proteruus* idem ualet ac uoluptarius, libidinosus :

Ou., *Am.*, I, IV, 45 : feci multa proterue.

Hoc uerbum ad litteras transfertur et ad carmina amatoria :

Ou., *Rem.*, 362 : quorum censura Musa proterua mea est.

Proximus ad amplexus amantium pertinet :

Ou., *Am.*, III, VII, 48 : proximus esse (optabam).

Prudentia operum est rei uenereae scientia :

Ou., *Ars Am.*, II, 675.

Prurire obscene dicitur de uoluptatis amatoriae incitamentis :

Cat., XVI, 9 : et quod pruriat incitare possunt; — cf. Cat., LXXXVIII, 2.

Pubes aliquando pro iuuentute ponitur :

Cat., LXIV, 4 : Argiuae robora pubis.

Publicae dicuntur meretrices[1] :

Prop., IV, VII, 39 : quae modo per uiles inspecta est publica noctes.

Pudere, pudor, pudicus, pudicitia, pudendus, saepissime apud elegiarum auctores reperiuntur, et multos ac uarios habent sensus.

Aliquotiens *pudor* refertur ad uirginitatis integritatem :

Cat., LXI, 79 : tardet ingenuus pudor; — cf., Cat., XV, 5; XXI, 12; Ou., *Her.*, II, 143;

aut ad fidem uxoriam :

Cat., LXI, 217-218 : et pudicitiam suae matris indicet ore; — cf. Prop., I, XV, 22; II, XXXII, 55; III, XII, 22; III, XIII, 9; Ou., *Her.*, I, 85; VI, 134; VII, 5, 97;

1. Forsitan, apud Ou., *Am.*, III, VII, 12 (quae publica uerba iuuant), sit idem sensus; sed nescio an potius *publica* idem ualeat ac consueta cotidianaque.

Digitized by Google

IX, 35; XV, 290; XVI, 13, 41, 67, 96, 114; *Ars Am.*, I, 31, 744; III, 58, 614; *Pont.*, IV, XI, 7; *Fast.*, II, 737, 794;

aut ad fidem quasi uxoriam, id est inter amantes perpetuo seruatam :

Cat., LXXVI, 24 : quod non potis est, esse pudica uelit; — cf. Tib., I, III, 83; Prop., I, II, 24; II, VI, 40; II, IX, 18; II, XXIV, 18; II, XXXII, 21; Ou., *Am.*, I, VIII, 19; III, XIV, 3, 13.

Pudici quoque dicuntur qui non turpem exigunt uitam [1] :

Cat., CX, 5 : aut facere ingenuae est, aut non promisse pudicae; — cf. Cat., XVI, 4; XLII, 24; Prop., III, XIX, 3; IV, V, 28; Ou., *Am.*, I, III, 14; *Her.*, V, 104; *Ars Am.*, I, 100, 767; *Fast.*, IV, 157.

Pudor est etiam uerecundia, qua moti amantes haesitant ac timent ne sese dedecorent :

Tib., I, I, 73-74 : dum frangere postes non pudet; — cf. Tib., I, II, 93; I, IV, 14; II, III, 30; Prop., I, XIII, 18; II, XXIV, 4; III, XIII, 50; III, XV, 3; Ou., *Am.*, I, V, 8; I, VIII, 35; II, IV, 12; III, I, 22; III, X, 28, 29; III, XIV, 18, 21, 28; *Her.*, IV, 9, 10, 155; XV, 285, 325; XVI, 86, 259; XVIII, 64; XIX, 5, 59, 202; XX, 47, 111, 242; *Ars Am.*, I, 608, 672, 705; II, 624, 720; III, 769, 804; *Rem.*, 407; *Fast.*, II, 819;

uel ne subito deprehendantur :

Ou., *Her.*, XVIII, 171 : uel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare...; — cf. Ou., *Am.*, I, VI, 60; *Ars Am.*, II, 556, 572, 590.

Pudor est etiam culpae alicuius aut dedecoris conscientia :

Tib., I, IX, 30 : nunc pudet ad teneros procubuisse pedes; — cf. Tib., I, VI, 31; II, I, 74; Prop., II, XVI, 35; III, XIII, 20; IV, IV, 30; Ou., *Am.*, II, V, 34; II, XVIII, 7, 8; III, VI, 78; III, XI, 4; *Her.*, V, 44, 98; VII, 98, 104; IX, 19, 59, 70, 111; XI, 35, 52, 79, 81.

Quibus omnibus in exemplis, amantes amare *pudet*, et, ut ita dicam, *pudor* amori contrarius est. Sed alias *pudor* ex aliis causis oritur, uelut e contemptus ac derisionis timore :

Tib., I, IX, 48 : et me nunc nostri Pieridumque pudet; — cf. Prop., III, XXIV, 4, Ou., *Ars Am.*, I, 496, 626; II, 313; III, 167, 203, 247.

Sic aliquotiens *pudor* pro dignitate ponitur :

Prop., I, IX, 33 : si pudor est; — cf. Prop., II, XII, 18.

Amantes quoque *pudet* in amore uinci aut decipi :

Prop., II, XXIV, 16 : fallaci dominae iam pudet esse iocum; — cf. Prop., II, XXI, 3;

aut male elegisse quem amarent :

Cat., VI, 5 : hoc pudet fateri; — cf. Prop., II, XVIII, 17; Ou., *Her.*, VII, 167; *Ars Am.*, III, 84; *Rem.*, 710;

1. Apud Prop., II, XXIII, 22 (nolim furta pudica tori) uidetur uox *pudica* referri ad eas quae, quamquam amori indulgent, non tamen cum meretricibus et libertinis feminis confunduntur.

Digitized by Google

aut nimis probos fidosque, ideoque rusticos ac ridendos, habere mores :

Prop., II, xxx, 23 : una contentum pudeat me uiuere amica? — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 644.

Non multum ab eo sensu abhorrens, sed turpior, significatio reperitur, cum eos *pudere* dicunt poetae qui ad rem ueneream non satis ualuerunt :

Tib., I, v, 42; Ou., *Am.*, III, vii, 37, 69, 72.

Pudendus aliquotiens est quasi inmundus :

Ou., *Rem.*, 432 : uidit in inmundo signa pudenda toro;

saepius autem ad res uenereas refertur hoc uerbum :

Ou., *Ars Am.*, II, 618; III, 768, 770; *Fast.*, 392.

Notandum est quoque inter numina poni *Pudorem* :

Ou., *Am.*, I, ii, 32;

et *Pudicitiam* :

Prop., II, vi, 23.

Puella nescio an usitatissimum sit uerbum apud elegiarum scriptores, neque quidem uno sensu.

Nam modo hoc uocabulo poetae utuntur cum inprimis aetatem significare uolunt :

Tib., I, ix, 74 : et senis amplexus culta puella fugit; — cf. Prop., II, xviii, 17; Ou., *Her.*, I, 115; *Ars Am.*, I, 62;

aut ut feminas uiris opponant :

Prop., II, iv, 17 : hostis si quis erit nobis, amet ille puellas; — cf. Ps. Tib. IV, viii, 3; Prop., II, xxviii, 55; III, ix, 45; III, xiv, 4; IV, ii, 23; IV, iv, 43; IV, ix, 23, 50, 59, 69; Ou., *Am.*, I, i, 20; I, ii, 27; I, xiii, 9; *Her.*, II, 63; IX, 73; X, 118; XII, 89, 92; XIV, 65; XVIII, 7; XIX, 66; XX, 122; *Ars Am.*, I, 173, 217, 275, 523; II, 219, 745; III, 31, 45, 381, 811; *Rem.*, 33, 49;

aut etiam humanas feminas animalibus :

Prop., II, xxxiii, 9 : cum te iussit habere puellam cornua Iuno.

Alias *puella* pro uirgine poni uidetur :

Cat., LXII, 23 : iuueni ardenti castam donare puellam; — cf. Cat., III, 7; XXXIV, 2, 4; LXII, 42, 44, 47; Tib., II, i, 61; Ps. Tib., III, iv, 33; Prop., IV, i, 111; IV, viii, 9; Ou., *Am.*, III, xiii, 23; *Her.*, I, 29; III, 35, 38; VIII, 92; XV, 93; XIX, 26, 37; XX, 59, 183; *Ars Am.*, I, 109, 125.

Alias uero *puellae* dicuntur nuptae feminae :

Cat., XVII, 14 : uiridissimo nupta flore puella; — cf. Cat., XVII, 15; LXIV, 378; Prop., III, xiii, 23; IV, iii, 45, 72; Ou., *Her.*, VIII, 8, 20; XIII, 105.

Heroinae quoque hac uoce significantur :

Cat., II, 11 : puellae pernici aureolum malum; — cf. Cat., LXIV, 97; Prop., II, iii, 36; II, viii, 23; III, xi, 18; III, xv, 34; III, xix, 26; Ou., *Am.*, III, ii, 17; *Her.*, I, 3; IV, 2, 117; XIV, 87; XV, 198; XVIII, 100; *Ars Am.*, I, 54, 531, 682; II, 187, 368; III, 631, 736;

Digitized by Google

aut etiam deae :

Prop., I, xx, 45 : cuius ut accensae dryades candore puellae; — cf. Prop., II, xxvi, 14; II, xxvi, 14; II, xxviii, 28; III, vii, 67; III, xii, 31.

Quod proprie ad amatorium dicendi genus pertinet, *puella* saepe pro domina ponitur, seu adiciuntur uerba *mea*, *tua*, etc., seu non :

Cat., XI, 15 : pauca nuntiate meae puellae; — cf. Cat., II, 1; III, 3, 4, 17; XIII, 11; XXXVI, 2; Tib., I, ii, 5; I, v, 44; I, x, 59; II, iii, 1, 31; IV, xiv, 1; Ps. Tib., IV, xi, 1; Prop., I, v, 19; I, viii, 24; II, vii, 15; II, xxvi, 20; II, xxxiv, 2; vi, 1; III, x, 3; III, xv, 21; Ou., *Am.*, I, vii, 4; II, v, 48; II, vi, 19; II, x, 21; III, xviii, 5; III, v, 37; III, vii, 73; *Ars Am.*, II, 249, 549; *Rem.*, 317, 319, 537, 681;

ac sine possessiuis adiectiuis :

Cat., XXXVII, 11 : puella quae meo sinu fugit; — cf. Cat., VIII, 4, 7, 12; XXXV, 8; XXXVI, 9; Tib., I, i, 55; I, ii, 93; I, vi, 15; I, viii, 62; I, x, 64; II, i, 76; II, iv, 6; II, v, 101, 114; II, vi, 28, 44, 49; Ps. Tib., III, ii, 1; III, iv, 58; III, vi, 12, 51; IV, iv, 1, 11, 16; IV, ix, 1; Prop., I, iv, 17; I, vi, 5; I, vii, 11; I, ix, 3; I, x, 21, 29; I, xii, 15; I, xiii, 4; I, xvii, 16; I, xviii, 10; II, i, 4, 78; II, viii, 1; II, viii, 1; II, ix, 51; II, x, 8; II, xii, 23; II, xiii, 11; II, xxv, 41; II, xxvii, 15; II, xxviii, 1, 44; III, iv, 15; III, vi, 35; III, viii, 20; III, xx, 3, 10; III, xxi, 3, 16; Ou., *Am.*, I, iv, 3; I, vii, 45; I, ix, 9, 43; I, xiii, 26; II, ii, 3, 34, 50; II, v, 4; II, vi, 43; II, ix, 23; II, xii, 8; II, xv, 1, 17; II, xix, 1, 37, 47; III, ii, 21, 71; III, iii, 48; III, vii, 1, 5, 53; III, x, 2; III, xii, 10; *Her.*, III, 117; V, 155; XVII, 108; XVIII, 205; *Ars Am.*, I, 37, 142, 149, 155, 351, 458, 462, 576, 579; II, 11, 205, 321, 527, 635; III, 569; *Rem.*, 15, 205, 299, 325, 431, 437, 655, 697, 717.

Sed plerumque *puella* pro femina simpliciter ponitur, quotiescumque de rebus amatoriis agitur :

Cat., XLIII, 1 : nec minimo puella naso; — cf. Cat., X, 16, 27; XIII, 4; XXXVII, 4; XLI, 1, 3, 5, 7; LV, 10, 17; LVI, 5; LXIX, 8; LXXVIII, 4, 7; LXXXIX, 3; Tib., I, i, 52; I, ii, 18; I, iii, 63; I, vi, 51; I, ix, 39; II, i, 71; II, iii, 49, 67; II, v, 36; II, vi, 9; IV, xiii, 4; Ps. Tib., III, iv, 52; III, vi, 60; IV, ii, 15, 24; IV, v, 3; IV, vi, 9; Prop., I, i, 5; I, ii, 26; I, iv, 1, 21; I, v, 7; I, ix, 6, 14; I, xi, 15, 29; I, xii, 11; I, xiii, 5; I, xix, 24; II, i, 49; II, iii, 15, 29; II, vi, 25, 29; II, xi, 6; II, xvi, 16, 22, 53; II, xviii, 27; II, xxi, 15; II, xxii, 1, 23, 36; II, xxv, 35; II, xxvi, 21, 26; II, xxviii, 7, 34; II, xxxii, 44, 51; II, xxxiii, 17; II, xxxiv, 46, 57, 69; III, i, 40; III, ii, 8; III, iii, 20, 49; III, viii, 16; III, xii, 17; III, xiii, 1, 33; III, xiv, 23; III, xxiii, 5, 17; IV, i, 140; IV, iii, 25; IV, iv, 17; IV, vii, 13; IV, viii, 83; Ou., *Am.*, I, iii, 1; I, v, 7; I, vi, 63; I, vii, 38; I, ix, 6; I, x, 59; I, xiii, 25; II, i, 33, 37; II, iv, 39, 47; II, ix, 15, 26, 53; II, x, 26; II, xi, 15, 35; II, xiii, 19; II, xiv, 1, 37; II, xvi, 17, 45; II, xvii, 1; III, i, 27; III, iii, 11, 25, 45; III, iv, 1, 33; III, vi, 83; III, vii, 39; *Her.*, IV, 173; XVI, 39, 94, 238; XVIII, 127; *Med.*, 1, 17, 43; *Ars Am.*, I, 44, 50, 55, 59, 243, 343, 403, 501, 617, 631, 643, 673, 714, 721, 755; II, 105, 281, 616, 627, 641, 673, 688; III, 10, 71, 57, 107, 105, 245, 255, 281, 315, 349, 367, 417, 435, 449, 487, 547, 552, 639, 761, 799; *Rem.*, 311, 344, 415, 488, 554, 608, 689.

Notanda sunt quoque uerba :

puellula :

Cat., LVII, 9; LXI, 57, 175, 181;

Digitized by Google

et *puellaris* :

Ou., *Her.*, X, 20; *Fast.*, V, 611.

Pueri amati non raro a nostris poetis nominantur :

Cat., VI, 1 : cum puero bello praeconem qui uidet esse; — cf. Cat., XV, 5, 10; XXI, 11; Tib., I, IV, 9, 39, 58, 61, 76, 83; I, IX, 11, 53, 75, 79; Prop., I, XX, 39; II, IV, 18; Ou., *Am.*, I, I, 20; *Ars Am.*, II, 684.

Vocantur etiam *pueri* iuuenes amantes :

Cat., XLV, 11 : dulcis pueri ebrios ocellos; — cf. Cat., XVI, 10; LXII, 42, 44, 47; LXXVIII, 4; Tib., I, VIII, 27, 35, 49, 67; Ps. Tib., IV, III, 20; Prop., III, IX, 45; Ou., *Am.*, II, I, 6; *Ars Am.*, III, 571.

Denique saepe hoc uerbum ad Amorem refertur :

Cat., LXIV, 95 : sancte puer, curis hominum qui gaudia misces; — cf. Tib., II, VI, 5; Prop., I, VI, 23; I, VII, 15; I, IX, 21; I, XIX, 5; II, XII, 1, 13; III, X, 28; Ou., *Am.*, I, I, 5, 13, 25; I, X, 15, 17; II, VII, 27; II, IX, 2, 35; III, IX, 7; III, XV, 13; *Her.*, XX, 123; *Ars Am.*, I, 10, 18, 165; II, 15, 18; III, 4, 515, 762; *Rem.*, 11, 23, 149, 168, 435, 575, 701;

aut ad Amores :

Prop., II, IX, 38 : tela, precor, pueri, promite acuta magis; — cf. Prop., II, XXIX, 3; Ou., *Am.*, III, II, 55.

Pugnare est proprie resistere et reluctari aduersus impetum amantis et oscula aut Veneris gaudia ei negare :

Cat., LXII, 59 : ne pugna cum tali coniuge; — cf. Cat., LXII, 60; Tib., I, IV, 54; Ou., *Am.*, I, V, 14, 15; *Ars Am.*, I, 561, 665, 666.

Translatiue autem *pugnare* est aduersus Amoris uim rebellare :

Ou., *Her.*, XVI, 189 : potius coepto pugnemus amori; — cf. Ou., *Am.*, II, IX, 6; *Her.*, IV, 151; *Rem.*, 423, 675.

Pugnare quoque inter se amantes dicuntur, seu de ueris litibus agitur :

Prop., I, X, 21 : tu caue ne tristi cupias pugnare puellae;

seu de eo bello, ut ita dicam, quo alter alterius amorem uincendo rapere conatur[1] :

Ou., *Ars Am.*, III, 589 : ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Pugnae sunt quoque inter riuales coortae simultates :

Ou., *Her.*, XIX, 171 : pro causa pugnat iniqua.

Pulchra mulier proprie dicitur ea cuius corpus ex omni parte absolutum et exactum est :

Cat., LXXXVI, 5 : quae, cum pulcherrima tota est.

Sed plerumque fere nihil distat inter *pulchritudinem* et formam et figuram, et *pulchra* pro formosa ponitur :

Cat., LXVIII, 105 : pulcherrima Laudamia; — cf. Cat., LXI, 84; LXIV, 28;

1. Verba *pugnantibus linguis*, apud Tib., I, VIII, 37, ad oscula referuntur.

Digitized by Google

Prop., II, xxv, 1; II, xxvi, 21; II, xxviii, 50; Ou., *Am.*, II, v, 42; II, ix, 51; II, x, 7; *Her.*, III, 71; VIII, 99; XI, 43; XV, 85, 86; *Ars Am.*, II, 129; III, 235; *Fast.*, IV, 161.

Interdum *pulchra* substantiue ponitur :
Ou., *Fast.*, I, 419 : fastus inest pulchris.

Pulchri dicuntur capilli :
Prop., III, xv, 13.

Pulchri aliquotiens, sed rarius, dicuntur uiri :
Cat., LXI, 191 : nihilo minus pulcher es; — cf. Tib., II, v, 7; Ou., *Am.*, III, ix, 14; *Her.*, IV, 125; *Ars Am.*, I, 213; *Fast.*, II, 303.

Ad uiros nonnumquam per derisionem refertur haec uox :
Cat., LXXIX, 1 : Lesbius est pulcher; — cf. Prop., II, xxi, 4.

Pulli capilli sunt nigri :
Ou., *Am.*, II, iv, 41.

Purgare se amanti est culpae admissae rationem reddere et excusationem :
Cat., XCIX, 5 : dum tibi me purgo.

Purpureus dicitur color corporis et oris :
Ps. Tib., III, iv, 30 : et color in niueo corpore purpureus; — cf. Ou., *Am.*, I, iv, 22;

ac peculiariter labrorum :
Cat., XLV, 12 : illo purpureo ore sauiata; — cf. Ou., *Am.*, III, xiv, 23.

Hic color saepe e pudore oritur :
Ou., *Am.*, II, v, 34 : conscia purpureus uenit in ora pudor; — cf. Ou., *Am.*, I, iii, 14; *Trist.*, IV, iii, 70.

Purpureus, id est quasi splendidus, dicitur Amor :
Ou., *Am.*, II, i, 38; II, ix, 34; *Rem.*, 701.

Purus dicitur proprie qui ab omni amatoria re, religionis causa, se abstinet :
Tib., I, iii, 26 : puro secubuisse toro; — cf. Prop., IV, v, 34; Ou., *Fast.* II, 330.

Ac, per quandam extensionem, *purus* est interdum quasi pudicus aut mundus :
Cat., LXXVIII, 7 : purae pura puellae sauia.

Alias *purus* est quasi integer, sincerus, probus :
Ou., *Am.*, I, iii, 6 : accipe qui pura norit amare fide.

Quod ad carmina spectat, *puri* dicuntur qui eleganti et acuto iudicio praediti sunt :
Prop., II, xiii, 12 : auribus et puris scripta probasse mea.

Digitized by Google

Purae frontes sunt quae capillis non operiuntur :
Prop., II, XXII, 9; Ou , *Ars Am.*, III, 137.

Putidus raro apud nostros inuenitur :
Cf. tamen Cat., XLII, 11, 12, 19, 20.

Putrida dicuntur pectora anuum :
Cat., LXIV, 351.

Quaerere est aliquem inueniendum curare qui amare possit :
Prop., I, II, 23 : non illis studium uulgo conquirere amantes; — cf. Prop., II, XXIV, 9; Ou., *Her.*, V, 136; *Ars Am.*, III, 431.

Alias *quaerere* est amoris gaudia cupere :
Prop., II, XXXIII, 42 : est quiddam quod uos quaerere cogat amor.

Requirere est amantem absentem desiderare uel lugere :
Cat., VIII, 13 : nec te requiret nec rogabit inuitam; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 340.

Queri saepe dicuntur amantes quod fortuitis rebus separentur :
Cat., LXVI, 19 : id mea me multis docuit regina querelis; — cf. Prop., I, VI, 8; I, VIII, 22; II, XVIII, 12; IV, III, 31; IV, VII, 6; Ou., *Her.*, I, 70; XIII, 138; XVII, 114, 135, 136, 212; XVIII, 79;

saepius autem quod amorem suum contemptum aut deceptum uideant :
Cat., LXIV, 195 : meas audite querelas; — cf. Cat., LXIV, 130, 164, 170; Tib., I, VIII, 53; II, VI, 34; Ps. Tib., III, VI, 37, 52; Prop., I, III, 43; I, IV, 28; I, V, 17; I, VI, 11; I, VII, 8; I, XVI, 13, 39; I, XVII, 9; I, XVIII, 1, 29; II, IV, 1; II, XVIII, 1; II, XX, 4; III, VI, 18, 35; IV, VII, 95; IV, VIII, 79; Ou., *Am.*, II, V, 60; III, III, 41; *Her.*, II, 2, 8, 26; V, 4, 73; VI, 17; VII, 30, 123; XVI, 194; XVIII, 24, 25; *Ars Am.*, II, 398, 455, 551; III, 455; *Rem.*, 509, 644, 645.

Alias *querelae* sunt preces amantium :
Tib., I, IV, 71-72 : querelis supplicibus... illa fauet; — cf. Tib. I, II, 9; Ps. Tib., III, IV, 75.

Queri dicuntur quoque puellae de amantium inpudentia :
Tib., I, X, 54 : perfractas conqueriturque fores; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 12; XIX, 24;

aut de eorum rusticitate :
Ou., *Ars Am.*, I, 668 : neue queri possit dura fuisse (oscula), caue.

Queruntur amantes de riualibus :
Ou., *Ars Am.*, III, 650 : questus eram metuendos esse sodales.

Queri est quoque quasi paenitentiam superbiae agere :
Prop., III, XXV, 4 : ungue meam morso saepe querere fidem; — cf. Prop., III, XXV, 16.

Questus sunt etiam uoluptarii gemitus :
Ou., *Ars Am.*, II, 723 : accedent questus, accedet amabile murmur.

Digitized by Google

Denique *queruli* dicuntur soni cum suaues tum tristes :

Prop., III, x, 9 : alcyonum positis requiescant ora querelis; — cf. Prop., IV, III, 55; Ou., *Am.*, II, IV, 27; III, I, 4; *Her.*, XVII, 82.

Qui, qualis, qualiscumque, quilibet, quisquis, saepe adhibentur ad definiendum amantium habitum uel condicionem :

Ou., *Rem.*, 89 : quale sit id quod amas;
Prop., III, XXI, 16 : qualiscumque mihi tuque, puella, uale;
Prop., I, V, 18 : nec poteris qui sis aut ubi nosse miser; — cf. Prop., I, XII, 11;
Prop., II, XX, 26 : quidquid eram, hoc animi gratia magna tui;
Prop., II, VI, 26 : si cuiuis nuptae quidlibet esse licet; — cf. Ou., *Her.*, VII, 168.

Quiddam saepe turpiorem habet sensum :

Prop., II, XXXIII, 42 : est quiddam quod uos quaerere cogat amor; — cf. Ou., *Am.*, II, V, 56; III, II, 83; *Ars Am.*, I, 705.

Quod saepissime in amatorio sermone usurpatur, ac nonnumquam significat cuiusmodi sit amans [1] :

Ou., *Ars Am.*, I, 616 : quod incipiens finxerat esse, fuit; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 78, 130; II, 638.

Alias eodem pronomine significatur amata persona :

Ou., *Am.*, III, II, 5-6 : spectemus uterque quod iuuat; — cf. Ou., *Am.*, II, II, 14; II, V, 9; II, XIX, 3, 4, 8, 31, 36; III, IV, 26; *Her.*, XV, 85; XVII, 153, 179; XVIII, 179; XIX, 32, 168; XX, 57; *Ars Am.*, I, 35, 91, 62, 175, 263, 498, 717, 741; II, 481; *Rem.*, 13, 89, 297, 345.

Denique ad res amatorias honeste significandas pertinet idem uocabulum :

Ou., *Ars Am.*, III, 476 : nec tamen e duro, quod petit ille, nega; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 99, 108, 185; *Ars Am.*, I, 674; II, 308, 576, 589, 682, 707; *Rem.*, 780.

Quiescere est proprie dormire, quod saepe ad rem amatoriam refertur :

Ps. Tib., III, VI, 53 : quam uellem tecum longas requiescere noctes; — cf. Prop., I, VIII, 33; I, X, 1; I, XIV, 9; II, XVIII, 11; II, XXII, 25; II, XXIX, 23; Ou., *Am.*, I, V, 25; I, VI, 45; *Her.*, V, 13.

Translatiue autem, quia amor saepe dicitur esse labor, *quiescere* est amare interim desinere :

Tib., I, II, 4 : infelix dum requiescit amor; — cf. Cat., II, 8; Prop., II, III, 3; Ou., *Ars Am.*, II, 351.

Rabies est modo furor quidam religiosus ac fanaticus :

Cat., LXIII, 4 : stimulatus furenti rabie; — cf. Cat., LXIII, 38, 44, 57, 93;

modo aduersus riuales inuidia et odium :

Prop., III, VIII, 11 : quae mulier rabida iactat conuicia lingua.

1. Apud Ou., *Fast.*, IV, 229-230 (desinit esse quod fuit) de sexu agitur.

Digitized by Google

Radiare dicuntur oculi cum uiuidum ac uehementem affectum exprimunt :

Ou., *Am.*, III, III, 9 : radiant ut sidus ocelli.

Rapere est proprie ui abducere puellam [1] :

Prop., II, VI, 21 : tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas; — cf. Prop., I, XX, 48; II, VIII, 29; II, XXVI, 51; III, VII, 13; III, XXII, 4; IV, IV, 57, 58; Ou., *Am.*, I, VI, 53; II, XII, 17; *Her.*, III, 1; V, 97, 132; VIII, 12, 18, 73; XIII, 47, 55, 74; XV, 153, 320, 341, 349; XVI, 22, 24; XIX, 37, 48; *Ars Am.*, I, 102, 125, 680; II, 6, 110; III, 234; *Rem.*, 775; *Trist.*, II, 374; *Fast.*, 4, 139, 431; IV, 590, 609; V, 690; VI, 43.

Rapere est quoque amanti auferre :

Cat., LXXXII, 3 : eripere ei noli, multo quod carius illi est oculis; — cf. Cat., LXVIII, 106; LXXVII, 4, 5; Ps. Tib., III, II, 2, 4, 30; Prop., I, IV, 26; I, XIII, 2; II, VIII, 1, 36; II, XXXIV, 2.

Alias *rapere* est in amorem uehementer inducere [2] :

Prop., II, XXV, 44 : utraque forma rapit; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 19; III, VI, 28; III, XI, 48; *Her.*, IV, 65; *Ars Am.*, I, 243.

Rapere est quoque gaudia amoris ui capere :

Ou., *Her.*, XV, 162 : quod poterat salua uirginitate rapi; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 43.

Sic quoque inuenitur *oscula rapere* :

Cat., XCIX, 1, 16; Tib., I, IV, 53, 55; I, VIII, 58; II, V, 92; Ou., *Am.*, II, IV, 26; *Ars Am.*, I, 667, etc.

Rapax dicitur femina quae nimia munera flagitat :

Tib., II, IV, 23 : dominam rapacem; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 553.

Rapina eundem sensum aliquando habet :

Ou., *Am.*, I, VIII, 55;

sed saepius *rapina* est seu raptus ipse :

Prop., I, XX, 11 : Nympharum cupidas rapinas; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 51; *Ars Am.*, I, 675;

seu rapta persona :

Prop., II, II, 10 : Centauris medio grata rapina mero; — cf. Ou., *Her.*, XV, 150; *Ars Am.*, III, 760.

Rarus dicitur quicumque insolitae est pulchritudinis :

Prop., I, XVII, 16 : quamuis dura, tamen rara puella fuit; — cf. Prop., I, VIII, 42; Ou., *Her.*, XVI, 93.

Rebellis Amor dicitur cum humanae uoluntati non uult cedere :

Ou., *Rem.*, 246.

1. Similis sensus est apud Cat., LXI, 3 : qui rapis teneram ad uirum uirginem.
2. Cf. Cat., LI, 6 : quod omnes eripit sensus mihi; — Prop., III, XIX, 10 : rapidae stimulos nequitiae; — Ou., *Fast.*, II, 762 : caeco raptus amore furit.

Digitized by Google

Recipere est amantem libenter admittere :

Prop., II, xiv, 28 : tota nocte receptus amans; — cf. Prop., II, xxii, 48; Ou., *Am.*, I, viii, 73, 78; III, vii, 47; *Her.*, II, 29; XV, 14; XVIII, 156.

Alias ad amplexus pertinet hoc uerbum :

Ou., *Ars Am.*, II, 360 : hospitis est tepido nocte recepta sinu; — cf. Ou., *Her.*, VI, 20; *Ars Am.*, II, 458; *Rem.*, 456.

Rectus ad staturam habitumque corporis refertur :

Cat., LXXXVI, 2 : candida, longa, recta; — cf. Prop., II, xxxiv, 46.

Interdum *rectus* est quasi decens :

Prop., II, xviii, 23 : ut natura dedit, sic omnis recta figura est.

Reddere est modo raptam restituere :

Ou., *Her.*, XV, 153 : miror, quod reddidit umquam; — cf. Ou., *Her.*, V, 129; XV, 159;

modo amorem amore pensare :

Ou., *Her.*, XVIII, 18 : plus quoque quam reddi quod mihi possit, amo.

Redire dicitur amor cum idem pectus rursus capit quod omisisse uisus erat :

Prop., II, v, 10 : si dolor afuerit, crede, redibit amor.

Reducere est in amorem rursus inducere eum qui aufugere uoluit :

Ou., *Am.*, III, xi, 37 : fugientem forma reducit.

At alias *se reducere* est uoluntatem reuocare ad sese atque amare desinere :

Cat., LXXVI, 11.

Referre se est amorem suum amanti restituere :

Cat., CVII, 5 : ipsa refers te nobis; — cf. Prop., I, xviii, 11.

Refricare amorem est ei nouam uim addere :

Ou., *Rem.*, 729 : admonitus refricatur amor.

Regnum dicitur dominatio modo feminae in uiros :

Tib., I, ix, 80 : et geret in regno regna superba tuo; — cf. Prop., III, x, 18; IV, vii, 50; Ou., *Am.*, II, xvii, 11; II, xix, 33; *Rem.*, 15;

modo uiri aut coniugis :

Tib., II, iii, 59 : regnum ille tenet;

modo amantis iuuenis :

Ps. Tib., IV, v, 4 : et dederunt regna superba tibi; — cf. Prop., II, xvi. 28; II, xxxiv, 57.

modo Amoris aut Veneris in homines :

Ou., *Am.*, I, i, 26 : in uacuo pectore regnat Amor; — cf. Ou., *Am.*, I, i, 13; I, viii, 42; II, ix, 52, 53; *Her.*, IV, 12; *Rem.*, 24;

Digitized by Google

Turpiore sensu aliquotiens sumitur hoc uerbum :
Prop., IV, VII, 6; Ou., *Am.*, III, VII, 49.

Remittere dicitur Amor aut amans cum non totam uim suam exercet :
Tib., II, IV, 4 : et numquam misero uincla remittit Amor; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 477.

Remouere est amantem contemnere :
Ou., *Am.*, II, XVII, 25 : non tibi crimen ero nec quo laetere remoto.

Remis totis incumbere turpisssimo sensu ponitur :
Ou., *Ars Am.*, II, 731.

Repellere est alicuius non aequo animo accipere uel coniugium :
Ou., *Her.*, XIX, 167 : grauior mihi morte repulsa est; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 177;

uel amorem [1] **:**
Prop., II, IV, 2 : saepe repulsus eas; — cf. Prop., III, XIV, 26; Ou., *Am.*, I, VIII, 76; II, VII, 26; II, IX, 46; II, XIX, 6; III, XI, 9; *Her.*, III, 55; *Ars Am.*, I, 346; III, 580.

Repetere modo ad ereptam feminam refertur :
Ou., *Her.*, XV, 343 : ecqua est repetita per arma? — cf. Ou., *Her.*, VIII, 19, 25;

modo ad oscula :
Ou., *Her.*, V, 51.

Reposcere est ereptam uxorem repetere :
Ou., *Ars Am.*, III, 253 : quam non stulte, Menelae, reposcis.

Repugnare est amori non indulgere :
Ou., *Her.*, XVI, 137 : amare repugno illum; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 127, 273.

Res sunt aliquando commoda amantium :
Prop., III, XIV, 25 : de rebus tute loquaris ipse tuis.

Nonnumquam *res* sunt praesentia ac uera gaudia :
Ou., *Her.*, XVII, 178 : et res non semper, spes mihi semper adest.

Minus honestam significationem accipit hoc uerbum :
Ou., *Ars Am.*, III, 794 : ex aequo res iuuet illa duos; — cf. Ou., *Rem.*, 431.

Resistere dicitur amor iis qui eum deponere uolunt :
Ou., *Rem.*, 82 : et tuus incipiens ire resistat equus.

***Resistit* quoque, ut indomita fera, amans qui nondum omnino puellae subiectus est :**
Ou., *Ars Am.*, III, 554 : nouus uiso casse resistet amans.

1. Apud Ou., *Rem.*, 484 (et posita est cura cura repulsa noua), *repellere* est quasi *fugare*.

Digitized by Google

Restare dicitur amor qui diu permanet :
Prop., II, xxv, 18.

Restituere est aliquem aptiorem facere ad placendum :
Ou., *Ars Am.*, II, 492 : his, ubi peccaris, restituendus eris.

Alias *se restituere* est amorem suum amanti reddere :
Cf. Cat., CVII, 4, 5.

Retia sunt doli quibus amantes utuntur, uel ut riuales fallant :
Prop., III, viii, 37 : qui nostro nexisti retia lecto;

uel ut promissam uiolent fidem :
Prop., II, xxxii, 20 : tendis iners docto retia nota mihi;

uel ut sese amandos praebeant :
Ou., *Am.*, I, viii, 69 : parcius exigito pretium, dum retia tendis; — cf. *Her.*, XIX, 45; XX, 206; *Ars Am.*, I, 263.

Reuerens est quasi pudicus :
Prop., II, xxx, 33 : nec tu uirginibus reuerentia moueris ora; — cf. Ou., *Her.*, IV, 127.

Reuiuiscere est mentem paene dolore elapsam recipere :
Ou., *Her.*, XI, 63 : ad tua uerba reuixi; — cf. Ou., *Fast.*, II, 759.

Reuocare est memoriam rursus inicere seu amoris :
Prop., II, xxv, 39 : qui officia in multos reuocatis amores; — cf. Ou., *Rem.*, 239;

seu officii :
Prop., I, xvi, 11 : nec tamen illa suae reuocatur parcere famae; — cf. Prop., I, i, 25.

Reus dicitur qui accusatur uel quod amori nimis indulgeat :
Prop., II, xxx, 32 : communis culpae cur reus unus agor?

uel quod infidus sit et fallax :
Ou., *Am.*, II, vii, 1 : ergo sufficiam reus in noua crimina semper? — cf. Ou., *Am.*, II, v, 12; II, vii, 28.

Risus est saepe festiuitatis uel alacritatis signum :
Ps. Tib., III, vi, 35 : nec bene mendaci risus conponitur ore; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 239.

Sed saepius minor est uis huius uerbi, ita ut *ridere* sit quasi subridere :
Cat., LI, 5 : dulce ridentem; — cf. Ou., *Am.*, II, v, 51; II, xviii, 15; III, i, 33; III, ii, 83; *Her.*, XV, 83.

Alias *risus* uictoriae summum gaudium significat :
Prop., IV, viii, 82 : riserat imperio facta superba dato.

Digitized by Google

Ridere est quoque eos qui ab amantibus contempti sunt iocose spectare :

Tib., I, II, 87 : qui laetus rides mala nostra; — cf. Tib., I, IV, 84; I, VIII, 73; Prop., II, IX, 21; III, XXV, 1; Ou., *Her.*, XII, 178, 179; XVI, 161.

Denique *ridere* est quasi fallere :

Tib., I, IX, 54 : rideat adsiduis uxor inulta dolis.

Rigidi dicuntur qui amori repugnant :

Ou., *Am.*, II, IV, 15 : aspera si uisa est rigidasque imitata Sabinas; — cf. Ou., *Her.*, IV, 73, 74, 77; *Rem.*, 762; *Fast.*, IV, 310;

aut uiri qui puellas nimis attente seruant :

Ou., *Am.*, III, IV, 44 : nec rigidi iura tuere uiri.

Idem uocabulum nonnumquam ad corpus refertur :

Ou., *Am.*, I, IV, 36 : mite nec in rigido pectore pone caput;

aut ad obscenas corporis partes :

Cat., LVI, 7.

Riualis persaepe apud nostros poetas reperitur, uno semper eodemque sensu :

Cat., LVII, 9; Prop., I, VIII, 45; II, XXXIV, 18; III, VIII, 33; Ou., *Am.*, I, VIII, 95; I, IX, 18; II, XIX, 60; III, XI, 26; *Ars Am.*, II, 336, 539, 595; III, 563, 593; *Rem.*, 677, 769, 791.

Rixa saepe proprium sensum habet, et est quasi iurgium et contentio inter amantes aut riuales :

Tib., II, IV, 37 : hinc fletus rixaeque sonant; — cf. Tib., I, I, 74; I, X, 57; Prop., I, XVI, 5; II, XIX, 5; IV, VIII, 19; Ou., *Ars Am.*, III, 71; *Rem.*, 31.

At nonnumquam *rixa* nihil amplius significat quam amatoriam uoluptatem :

Cat., LXVI, 13 : dulcia nocturnae portans vestigia rixae; — cf. Prop., II, XV, 4; III, VIII, 1.

Rogare est precibus amorem alicuius sollicitare :

Prop., I, V, 32 : non inpune illa rogata uenit; — cf. Prop., II, XIV, 31; Ou., *Her.*, XIX, 33.

Saepius hoc uerbum ad amatoria gaudia, oscula, etc., refertur :

Cat., VIII, 13 : nec te requiret nec rogabit inuitam; — cf. Cat., VIII, 14; Tib., I, IV, 55; Prop., II, IV, 2; IV, V, 42; Ou., *Am.*, I, VIII, 43, 44; II, II, 5; II, V, 49; II, VII, 25; II, XIX, 20; III, II, 59; *Her.*, XX, 227; *Ars Am.*, I, 277, 278, 345, 708, 711, 719; II, 690; III, 472, 475, 519.

Aliquotiens *rogare* est ueniam exposcere :

Prop., II, XXV, 19 : ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur laesus.

Denique *rogare* est munera ab amante flagitare :

Ou., *Ars Am.*, I, 433 : multa rogant utenda dari; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 100, 102; *Ars Am.*, I, 423, 424; II, 288.

Digitized by Google

Roseus dicitur color seu capitis :

Cat., LXIV, 309; Prop., III, xxiv, 7; Ou., *Am.*, III, iii, 5;

seu labellorum :

Cat., LXIII, 74; LXXX, 1;

seu papillarum :

Cat., LV, 12.

Rubere, rubor modo simpliciter de colore dicuntur :

Ou., *Ars Am.*, III, 200 : sanguine quae uero non rubet, arte rubet; — cf. Ou., *Am.*, III, xii, 5, 6; *Her.*, XIX, 120; XX, 217.

Sed saepius ad eum colorem qui e pudore nascitur haec uerba pertinent :

Cat., LXV, 24 : huic manat tristi conscius ore rubor; — cf. Ps. Tib., III, iv, 32; Ou., *Am.*, I, xiii, 47; I, xiv, 47, 52; *Her.*, IV, 72; XIX, 97; *Ars Am.*, III, 83.

Quem quidem sensum semper habet *erubescere* :

Prop., IV, xi, 42 : nec ulla labe mea uestros erubuisse focos; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 35; II, viii, 7, 16; *Her.*, XI, 35; XVI, 84; XIX, 6; XX, 112.

Rubicundus semper in deteriorem partem accipi uidetur :

Ou., *Ars Am.*, III, 303 : coniunx Vmbri rubicunda mariti; — cf. Ou., *Med.*, 13.

Rudes dicuntur uel qui non satis sciunt quid sit amor :

Prop., I, ix, 8 : utinam posito dicar amore rudis!

uel qui uoluptatum non magnam habent experientiam :

Prop., II, vi, 30 : nequitiaeque suae noluit esse rudes; — cf. Prop., III, xvii, 7; Ou., *Ars Am.*, I, 767;

Inprimis uocantur *rudes* qui non callide sese gerunt in arte amandi :

Prop., II, xxxiv, 82 : siue in amore rudis, siue peritus erit; — cf. Ou., *Her.*, IV, 23; XVI, 141; *Pont.*, III, iii, 38.

Atque ideo *rudes* dicuntur qui primum amare incipiunt :

Prop., III, xv, 5 : illa rudes animos inbuit; — cf. Prop., IV, iii, 12; Ou., *Am.*, II, i, 6; *Ars Am.*, III, 559.

Rudes quoque dicuntur qui non satis expolitos mores habent :

Ou., *Ars Am.*, III, 113 : simplicitas rudis ante fuit; — cf. Ou., *Fast.*, IV, 97.

Ruga saepe ut signum senectutis describitur :

Prop., IV, v, 57 : dum rugis integer annus; — cf. Prop., III, xxv, 12; Ou., *Ars Am.*, II, 118; III, 73, 785.

Aliquando tamen *ruga* est signum uitae seuerae :

Prop., II, xxxiv, 23 : numquam uitae fallet me ruga seuerae; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 45, 46;

aut tristitiae ac maeroris :

Ou., *Ars Am.*, I, 240 : tum dolor et curae rugaque frontis abit.

Digitized by Google

Ruina hyperbolice dicitur amantis infelicitas :

Prop., II, xxv, 28 : si qua uenit sero, magna ruina uenit; — cf. Ou., *Her.*, XII, 32.

Rumor saepe mala fama est :

Cat., V, 2 : rumoresque senum seueriorum; — cf. Tib., IV, xiv, 1, 4; Prop., I, v, 26; II, xviii, 38; II, xxxii, 24;

raro bona praeclaraque :

Ou., *Her.*, XV, 141 : magna quidem de te rumor praeconia fecit.

Rumpere dicuntur amantes fidem aut foedera, cum promissa non seruant :

Prop., III, vi, 20 : seruo teste rumpere fidem; — cf. Prop., III, xx, 25; Ou., *Her.*, IV, 17; *Fast.*, IV, 602.

Rumpere dicuntur quoque ea quae amori eorum obstant :

Prop., III, xix, 3 : ubi contempti rupistis frena pudoris; — cf. Prop., I, xv, 16.

Rumpunt curas cum eas deponunt subito :

Ou., *Rem.*, 495.

Rumpunt uincula amoris cum ab iis sese liberant :

Prop., III, xi, 4 : fracto rumpere uincla iugo; — cf. Ou., *Rem.*, 294.

Rumpi dicuntur cum uehementi aliquo affectu conmouentur :

Ou., *Her.*, XV, 223 : rumpor et inuideo; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 57.

Denique notanda est eiusdem uerbi turpior significatio :

Prop., II, xvi, 14 : rumpat ut adsiduis membra libidinibus.

Rusticum proprio sensu est quod agros decet :

Tib., II, iii, 4 : uerbaque aratoris rustica discit Amor; — cf. Ou., *Fast.*, IV, 744; VI, 534.

Et, quia urbani uiri magis expoliti habentur quam agrestes, *rustici* dicuntur qui mores et habitus habent simplices et inelegantes :

Ou., *Her.*, XV, 222 : lacertos inponit collo rusticus iste tuo; — cf. Ou., *Am.*, III, iv, 37; III, vi, 88; *Ars Am.*, II, 369; III, 128;

uel plane saeuos et barbaros :

Prop., II, v, 25 : rusticus haec aliquis tam turpia proelia quaerat.

Rustici praecipue uocantur qui artis amatoriae non sunt periti, sed sese praebent rudes et quasi inpeditos :

Ou., *Am.*, II, iv, 13 : siue procax aliqua est, capior, quia rustica non est; — — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 44; II, viii, 3; III, i, 43; *Her.*, I, 77; IV, 132; XV, 287; XVI, 12, 13, 186; XX, 59; *Ars Am.*, I, 607, 672; III, 305; *Rem.*, 329, 330; *Fast.*, III, 463.

Vnde fit ut *rustici* dicantur qui aduersus amorem sunt rebelles :

Ou., *Am.*, III, x, 17-18 : nec tamen est, quamuis agros amet illa feraces, rustica; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 566.

Digitized by Google

Denique, quod ad carmina spectat, *rustici* dicuntur versus non iucunde facti :

Ou., *Am.*, II, IV, 19 : est quae Callimachi prae nostris rustica dicat carmina; — cf. Cat., XXXVI, 19 : pleni ruris Annales Volusi.

Sacra dicunt poetae non modo iura quibus inter se uinciuntur amantes :

Prop., III, xx, 26 : pollueritque nouo sacra marita toro; — cf. Ou., *Her.*, IX, 159;

sed etiam uenereas uoluptates :

Prop., III, x, 30 : noctis et instituet sacra ministra Venus.

Alias *sacra*, id est quasi mysteria, uocantur artis amatoriae praecepta :

Ou., *Ars Am.*, III, 616 : ut fallas, ad mea sacra ueni.

Sacri dicuntur amantes quia eos deus protegit :

Prop., III, XVI, 11.

Saeuus est aliquando quasi truculentus et crudelis :

Tib., I, x, 65 : manibus qui saeuus erit; — cf. Ou., *Her.*, VI, 126.

Saeui dicuntur custodes puellarum :

Tib., I, II, 5 : nam posita est nostrae custodia sacua puellae; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 55; — cf. *saeuo metu* apud Tib., I, VI, 75.

Alias *saeuus* est quasi seuerus, austerus :

Cat., LXIV, 159 : sacua quod horrebas prisci praecepta parentis; — cf. Prop., II, XXXIII, 19.

Saeuitia est quoque iracundia molesta ac difficilis :

Prop., I, III, 18 : expertae metuens iurgia saevitiae; — cf. Prop., XVII, 9; I, XVIII, 14; IV, VIII, 55; Ou., *Am.*, II, V, 49; *Ars Am.*, II, 146, 461; *Rem.*, 664.

Saeui dicuntur qui amantes puellas derelinquunt :

Cat., LXIV, 203 : supplicium sacuis exposcens anxia factis; — cf. Ou., *Her.*, VII, 73.

Saeui quoque, qui amantes respuunt et contemnunt :

Cat., XCIX, 5 : tantillum uestrae demere saeuitiae; — cf. Tib., I, VIII, 62; II, IV, 6; Prop., I, I, 10; Ou., *Her.*, IV, 166.

Ac, per hypallagen, superbarum puellarum ianuae *saeuae* quoque uocantur :

Ou., *Am.*, I, IV, 62 : ad saeuas prosequar usque fores.

Saeuus dicitur Amor quia in homines crudeliter regnum exercet[1] :

Tib., I, VI, 3 : quid tibi saeuitiae mecum est? — cf. Tib., I, II, 88; Ps. Tib., III,

1. Apud Ou., *Ars Am.*, I, 18 (saeuus uterque puer [Achilles et Amor]), *saeuus* non ad crudelitatem pertinet, sed ad indocilem contumaciam.

Digitized by Google

IV, 65, 66; Ou., *Am.*, I, I, 5; I, VI, 34; II, X, 19; *Her.*, IV, 148; — cf. *saeuit Venus* apud Tib., I, V, 58.

Saeui uocantur itidem ignes Amoris :
Ou., *Rem.*, 53;

saeua eiusdem arma :
Ou., *Rem.*, 246.

Denique *saeuum* dicitur quodcumque aegre toleratur :
Prop., III, XVI, 8 : nocturno fletus saeuior hoste mihi; — cf. Prop., I, I, 27; II, VIII, 36; III, XXIV, 13; Ou., *Her.*, VII, 190; *Ars Am.*, II, 235.

Sagittae Amoris persaepe a nostris poetis nominantur :
Tib., II, I, 81; II, V, 105; II, VI, 15; Prop., II, XII, 9; II, XXIX, 5; Ou., *Am.*, I, I, 25; I, II, 7, 45; II, IX, 37; *Her.*, VII, 157; XV, 277, 279; XIX, 231; *Rem.*, 23, 137, 699; *Pont.*, III, III, 59, 67.

Sal est lepos cum urbanitate et iocis mixtus :
Cat., LXXXVI, 4 : nulla in tam magno est corpore mica salis.

Salus aut **salubre** dicitur, quod amantium dolores leuare potest, id est, modo quod eorum amorem expellit :
Cat., LXXVI, 15 : una salus haec est; — cf. Tib., II, III, 13; Ou., *Ars Am.*, I, 258; *Rem.*, 316, 526, 610, 704;

modo quod eorum uota adinplet :
Ou., *Her.*, XV, 1-2 : salutem quae tribui sola te mihi dante potest; — cf. Ou., *Her.* IV, 1.

Sanctus non raro a religioso sermone ad amatorium transfertur. Sic dicitur :

sancta Venus :
Cat., XXXVI, 3; LXVIII, 5; Tib., IV, XIII, 23;

sanctus Amor :
Cat., LXIV, 95; Tib., II, I, 81;

sancta amicitia uel *sanctus* amor :
Cat., CIX, 6; Prop., II, XXIX, 41;

sancta fides :
Cat., LXXVI, 3;

sanctus pudor :
Tib., I, III, 83;

sanctus amantis natalis dies :
Tib., IV, V, 1.

Sanguinem haurire hyperbolice dicuntur amoris dolores :
Prop., II, IV, 22 : altera uix ipso sanguine mollis erit; — cf. Prop., II, IX, 40; II, XII, 16; II, XVII, 2; Ou., *Am.*, I, VII, 60.

Digitized by Google

Sanus est quasi ab amore inmunis :

Cat., LXXXIII, 4 : si nostri oblita taceret, sana esset; — cf. Ps. Tib., IV, vi, 18; Prop., I, i, 26; II, xii, 12; Ou., *Ars Am.*, III, 713; *Rem.*, 493, 504; *Fast.*, IV, 7.

Ideoque *sanare* amantes est eos ab amore liberare :

Tib., II, iii, 13 : nec potuit curas sanare salubribus herbis; — cf. Prop., III, xxiv 8; Ou., *Am.*, I, x, 9; *Rem.*, 43, 101, 527, 546, 551, 621, 794, 814.

Alias *sanare* est amantium dolores leuare et solari :

Prop., I, x, 17 : curas sanare recentes; — cf. Prop., III, xvii, 10; IV, vii, 69.

Sapiens uocatur qui artis amatoriae peritus est atque callidus :

Cat., XVII, 12 : nec sapit pueri instar; — cf. Prop., II, iii, 37; II, xvi, 7; Ou., *Am.*, I, iv, 29; II, ii, 11; II, iv, 46; III, iv, 43; III, viii, 25, 33; *Her.*, IV, 96; V, 99; XVI, 237, 238, 239; *Ars Am.*, I, 65, 663, 760; II, 173.

Sapere est quoque recte de puellarum pulchritudine iudicare [1] :

Ps. Tib., IV, ii, 2 : spectatum a caelo, si sapis, ipse ueni; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 100.

Sapiens dicitur etiam qui in amore moderatus manet ac sui compos :

Prop., III, xxiv, 17 : uasto fessi resipiscimus aestu; — cf. Prop., II, xvii, 10; Ou., *Her.*, II, 27; *Ars Am.*, II, 501, 511; III, 565; *Rem.*, 521, 745, 781.

Saturare, uel **satiare** est gaudiis amatoriis cumulare :

Cat., LXVIII, 83 : auidum saturasset amorem; — cf. Cat., XLVIII, 4; LXIV, 147; Prop., II, xv, 23; IV, viii, 32.

Saucius dicitur, non modo qui propter amorem crudeles dolores patitur :

Cat., LXIV, 230 : multiplices animo uoluebat saucia curas; — cf. Tib., II, v, 109; Ou., *Her.*, XII, 57;

sed etiam qui amoris ictus accepit :

Ou., *Rem.*, 436 : saucia maiorem turba petetis opem; — cf. Ou., *Am.*, II, i, 7; *Her.*, V, 152; *Ars Am.*, I, 169; *Fast.*, IV, 7.

Sauium, sauiari, sauiolum, nonnumquam in amatorio sermone occurrunt :

Cat., IX, 9; XLV, 12; LXXVIII, 8; LXXIX, 4; XCIX, 2, 14; Prop., II, xxix, 39.

Scelus dicitur quidquid amantibus potest obici :

Ou., *Her.*, II, 29 : unum in me scelus est quod te, scelerate, recepi;

ac praecipue perfidia et fallacia :

Cat., VIII, 15 : scelesta! uae te! quae tibi manet uita? — cf. Ou., *Her.*, II, 17, 29; III, 59; VI, 145; VII, 133; X, 35; XII, 19, 141; *Ars Am.*, III, 13; *Rem.*, 299;

1. Cf. Ou., *Ars Am.*, I, 423, ubi *sapere* est uestium pretium ac decorem recte cognoscere.

Digitized by Google

aut iracundia :

Ou,, *Am.*, I, VII, 67 : neue mei sceleris tam tristia signa supersint.

Scelesti uocantur quoque riuales :

Cat., XV, 15.

Denique *scelus* hyperbolice dicitur quodcumque conmittitur contra ea quae amantes decent[1] :

Ou., *Rem.*, 655 : modo dilectam scelus est odisse puellam; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 551.

Scire aliquotiens ad artis amatoriae notitiam refertur :

Prop., III, III, 49 : ut per te clausas sciat excantare puellas; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 544.

Scortum raro in amatorio sermone inuenitur :

Cat., VI, 5; X, 3; Ps. Tib., IV, x, 4.

Secundus est amor qui spei amantium adridet :

Tib., I, II, 75 : quid Tyrio recubare toro sine amore secundo? — cf. Prop., II, XXV, 27.

Securus est qui nihil de amantis fide timet aut suspicatur. Hoc uocabulum saepius ad personas pertinet :

Ps. Tib., III, III, 31-32 : liceat mihi securo cara coniuge posse frui; — cf. Ps. Tib., IV, x, 1; Prop., III, XII, 19; Ou., *Am.*, I, VIII, 95; II, XIX, 37; *Her.*, XVIII, 109; *Ars Am.*, II, 443;

aliquotiens ad res :

Ps. Tib., III, IV, 54 : quae tibi securos non sinit ire dies.

Sedare est motus animi inpedire et sistere :

Prop., II, XVI, 31 : nullane sedabit nostros iniuria fletus? — cf. Ou., *Rem.*, 117.

Sedere dicitur amor in animis eorum quos diu possidet :

Ou., *Rem.*, 108 : et uetus in capto pectore sedit amor; — cf. Ou., *Rem.*, 268.

Seducere est ab amante abstrahere :

Prop., II, VI, 41 : nos uxor numquam, numquam seducet amica; — cf. Prop., I, IX, 27.

Sedulus dicitur qui adsidua praesentia, officiis, curis, placere laborat :

Tib., I, V, 71-72 : in limine perstat sedulus; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 154, 377, 384; II, 334.

Segnis plerumque turpi sensu accipi uidetur :

Ou., *Rem.*, 404 : a prima proxima segnis erit (voluptas); — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 14.

1. Cf. Ou., *Am.*, I, XIV, 27 : scelus urere crines.

Digitized by Google

Seiuncti dicuntur amantes qui conuenire aut nequeunt aut nolunt :
Prop., II, xvi, 23 : non quia septenas noctes seiuncta cubaris.

Semina sunt initia et causae uel amoris uel odii :
Ou., *Rem.*, 81 : subiti mala semina morbi; — cf. Ou., *Am.*, III, iv, 10; *Rem.*, 308.

Senex non modo ad aetatem refertur :
Tib., I, ii, 90; I, viii, 50; I, ix, 74;

sed ad uim uenerem :
Ou., *Fast.*, I, 414 : nequitia est quae te non sinit esse senem; — apud Ou., *Her.*, IV, 96, ubi de Aurora eiusque *sene uiro* agitur, uterque inest sensus.

Translatiue *senescere* dicitur amor, cuius uis decrescit :
Ou., *Ars Am.*, III, 594.

Sentire est uim amoris experiri.
Prop., I, xv, 19 : Hypsipyle nullos post illos sensit amores; — cf. Prop., I, xiii, 24; Ou., *Am.*, I, xi, 11; III, vi, 24.

Sensus sunt modo uitalis uigor :
Cat., LXVI, 25 : sensibus ereptis mens excidit; — cf. Cat., LI, 6;

modo animi affectus :
Ps. Tib., IV, viii, 7 : hic animum sensusque meos abducta relinquo; — cf. Prop., II, i, 53; Ou., *Her.*, XVII, 24; XX, 204; *Rem.*, 307;

modo ingenii lumina :
Prop., II, xii, 3 : sine sensu uiuere amantes.

Separari est abesse ab amante :
Ou., *Am.*, II, xvi, 42 : separor a domina cur ego saepe mea?

Sequi, sectari, est amantem petere :
Cat., VIII, 10 : nec quae fugit sectare; — cf. Prop., II, xxxiv, 8; Ou., *Am.*, II, xix, 36; *Ars Am.*, I, 545; II, 483.

Alias *sequi* est uelut insequi, exagitare :
Prop., II, xxx, 2 : usque sequetur Amor; — cf. Prop., II, viii, 19; IV, v, 41.

Sequi dicitur puella quae a raptore libenter abducitur :
Ou., *Her.*, xvi, 70 : te potius quam tua dona sequar.

Seria uerba sunt graues tristesque questus :
Ps. Tib., III, vi, 52.

Sermo nonnumquam est quasi iusiurandum :
Cat., LXIV, 144 : uiri sermones esse fideles.

Sermones sunt quoque amatorii lusus :
Tib., I, vi, 17 : neu iuuenes celebret multo sermone; — cf. Prop., III, xx, 19; Ou., *Ars Am.*, I, 569.

Digitized by Google

Denique *sermo* dicitur is de quo malignus dicaxque sermo oritur :
Prop., II, XXI, 7 : et nunc inter eos tu sermo es.

Seruare plerumque idem ualet ac custodire :
Cat., XVII, 16 : adseruanda nigerrimis diligentius uuis; — cf. Tib., I, VI, 34, 37, 76; Ou., *Am.*, II, XII, 4; II, XIX, 1, 2, 47, 50; III, IV, 5, 7, 25, 29, 33; *Ars Am.*, III, 615, 631;

aliquotiens autem cauere et diffidere :
Tib., I, VI, 16 : me quoque seruato; — cf. Ou., *Am.*, II, XIX, 29.

Translatiuo sensu *seruare* est promissa fideliter obseruare :
Prop., IV, III, 69 : incorrupta mei conserva foedera lecti; — cf. Prop., II, XXXII, 55; IV, VII, 53;

aut retinere amorem :
Ou., *Ars Am.*, II, 104 : si modo seruari carmine posset amor.

Denique *seruare* est saluum facere :
Ou., *Her.*, XIX, 186 : teque simul serua meque.

Seruire dicuntur amantes Cupidini aut Veneri :
Cat., XLV, 14 : huic uni domino usque serviamus; — cf. Tib., I, II, 97; II, III, 30; Ps. Tib., IV, V, 13; Prop., II, XIII, 36; Ou., *Am.*, I, II, 18;

aut eis quos amant :
Tib., II, IV, 1 : mihi servitium uideo dominamque paratam; — cf. Tib., II, IV, 3; IV, XIII, 22; Ps. Tib., IV, V, 4; IV, VI, 10; Prop., I, IV, 4; I, V, 19; I, XII, 18; II, XX, 20; II, XXVI, 22; III, XVII, 41; III, XXV, 3; Ou., *Am.*, I, III, 5; II, XVII, 1; *Her.*, XIX, 90; *Ars Am.*, II, 435.

Seruire quoque dicuntur homines eis affectibus quos repellere nequeunt :
Prop. I, VII, 7 : nec tantum ingenio quantum seruire dolori cogor; — cf. Ou., *Rem.*, 54.

Parum honestum sensum habere nonnunquam uidetur *seruire* :
Ou., *Am.*, III, VIII, 14 : latus quod tibi seruit.

Seuerus est qui austero animo amori repugnat :
Cat., V, 2 : rumores senum seueriorum; — cf. Cat., XXVII, 6; Ps. Tib., III, VI, 21; Prop., II, III, 7; II, XXXIV, 23; Ou., *Am.*, II, I, 3; II, V, 25; II, X, 16; III, IV, 43; III, VIII, 31; *Her.*, XVII, 63; *Trist.*, I, IX, 57; II, 241, 309; *Fast.*, V, 333.

Sicci dicuntur oculi qui flere desierunt :
Prop., I, XVII, 11; III, VI, 17; IV, XI, 80;

siccae medullae quas amoris ignis exedit :
Prop., II, XII, 17.

Sidera uocantur saepe oculi puellarum :
Prop., II, III, 14 : non oculi, geminae, sidera nostra, faces; — cf. Ou., *Am.*, II, XVI, 44; III, III, 9.

Digitized by Google

Alias *sidus* est fatum :

Prop., I, vi, 36 : uiuere me duro sidere certus eris.

Signare est foedus amatorium obstringere ac ratum facere :

Prop., III, xx, 17 : haec Amor ipse suo constringit pignera signo; — cf. Prop., III, xx, 15.

Signa sunt indicia quibus amor cognosci possit :

Prop., III, viii, 9 : ueri dantur mihi signa caloris; — cf. Prop., I, xviii, 17; Ou., *Am.*, I, xi, 12; *Rem.*, 510;

aut notae inter amantes clam pactae :

Ou., *Her.*, XV, 238 : per nutum signa tegenda dabam; — cf. Ou., *Her.*, XIV, 82; *Ars Am.*, II, 549.

Sensus militaris huius uerbi persaepe occurrit apud nostros :

Tib., II, vi, 6 : errorem sub tua signa uoca; — cf. Ou., *Am.*, II, iii, 10; II, ix, 3; II, xii, 29; III, xv, 16; *Ars Am.*, II, 234; *Rem.*, 4; *Fast.*, IV, 7.

Notanda quoque turpior significatio eiusdem uocabuli :

Ou., *Fast.*, IV, 242 : nullaque sunt subito signa relicta uiri.

Silicibus durae et saeuae mentes saepe conparantur :

Ou., *Am.*, I, xi, 9 : nec silicum uenae nec durum in pectore ferrum; — cf. Ou., *Am.*, III, vi, 59; *Her.*, X, 109, 110.

Simplices dicuntur qui probi sunt ac ueraces :

Ou., *Am.*, I, x, 13 : donec eras simplex, animum cum corpore amaui; — cf. Ou., *Am.*, I, iii, 14;

et qui rudes rei amatoriae sunt adhuc :

Ou., *Her.*, XV, 287 : a! nimium simplex Helene, ne rustica dicam; — cf. Ou., *Am.*, I, xi, 10; II, iv, 18; *Her.*, II, 64; XII, 90; XX, 104.

Alias *simplicitas* est prope stultitia :

Ou., *Her.*, XV, 316 : utere mandantis simplicitate uiri; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 176;

aut parsimonia et frugalitas :

Ou., *Ars Am.*, III, 113 : simplicitas rudis ante fuit.

Simplex minimique laboris (modus ueneris) turpem habet significationem :

Ou., *Ars Am.*, III, 787.

Simulari aliquotiens dicitur amor :

Prop., II, xxiv, 47; Ou., *Her.*, XVI, 36.

Simultas est ira longa ac perpetua :

Ou., *Am.*, I, viii, 82 : saepe simultates ira morata facit.

Singultus aliquotiens a nostris poetis nominatur :

Prop., I, v, 14; Ou., *Rem.*, 598.

Digitized by Google

Sinus haud raro ad uestes pertinet :

Cat., LXI, 53 : zonula soluunt sinus; — cf. Tib., I, vi, 18, 40; I, ix, 70; I, x, 68; Prop., I, ii, 2; III, viii, 8; Ou., *Her.*, V, 71; XIII, 36; XIV, 51.

Sed saepius de personis dicitur, ac gremium significat seu feminarum, seu uirorum :

feminarum :

Cat., LXIII, 43 : trepidante eum recepit dea Pasithea sinu; — cf. Cat., II, 2; Tib., I, v, 26; I, viii, 30; Ps. Tib., III, iii, 8; IV, iii, 24; IV, vii, 4; Prop., I, iii, 26; I, xvii, 12; Ou., *Am.*, I, iv, 37; II, xv, 14; III, iv, 15; III, vi, 68; III, viii, 34; *Her.*, III, 114; VI, 70; VIII, 62; XIII, 78, 148, 157; XVIII, 62; XIX, 141, 145; *Ars Am.*, III, 212, 622; *Rem.*, 354; *Trist.*, IV, viii, 11;

uirorum :

Cat., XXXVII, 11 : puella quae meo sinu fugit; — cf. Tib., I, i, 46; I, ii, 96; Prop., I, v, 30; I, viii, 38; Ou., *Am.*, I, iv, 5; II, xii, 2; III, ii, 76; *Her.*, XV, 158, 266; XIX, 48; *Ars Am.*, I, 128, 561; II, 214, 360, 458; III, 34, 698, 743.

Sinus aliquando pro pectore ponitur :

Prop., II, xxv, 30 : in tacito cohibe gaudia clausa sinu; — cf. Ou., *Her.*, V, 37; *Ars Am.*, III, 722;

uel etiam pro mente : —

Prop., III, xxi, 32 : lenibunt tacito uulnera nostra sinu.

Hoc uerbum parum honeste accipi nonnumquam uidetur :

Tib., I, viii, 36 : et teneros conserit usque sinus.

Sitire dicuntur qui uehementer amant :

Ou., *Rem.*, 247 : auidus sitiensque redibis; — cf. Ou., *Rem.*, 533, 632.

Situs est habitus animi nimis quieti et inconcussi :

Ou., *Ars Am.*, II, 443 : ubi pigra situ securaque pectora torpent.

Socius saepe ad coniugium refertur :

Ou., *Her.*, IV, 17 : non ego nequitia socialia foedera rumpam; — cf. Ou., *Am.*, III, vi, 82; *Her.*, II, 33; V, 126; XII, 139; XX, 155;

saepe quoque ad amorem :

Ou., *Am.*, I, ix, 6 : hos petit in socio bella puella uiro; — cf. Ou., *Am.*, II, xi, 7; *Her.*, XVIII, 157; *Ars Am.*, I, 143.

Notandum est praecipue uerbum illud cum lecto aut toro frequenter coniungi :

Ou., *Am.*, III, xi, 45 : per lecti socialia iura; — cf. Ou., *Her.*, III, 109; *Ars Am.*, I, 566; II, 377.

Aliquando rem ueneream hoc uocabulum significat :

Ou., *Am.*, II, viii, 5 : sociati corporis index; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 36.

Nonnumquam *socii* dicuntur qui pariter amore laborant :

Prop., I, v, 29 : pariter miseri socio cogemur amore; — cf. Prop., I, xvii, 28.

Digitized by Google

Solacium dicitur quidquid amantium dolores leuare potest :
Cat., II, 7 : solaciolum sui doloris; — cf. Tib., I, III, 13; Prop., I, V, 27; Ou., *Rem.*, 241;

ac peculiariter nouus amor quo prior adtenuatur :
Ou.. *Rem.*, 449 : qui sibi solacia bina parauit; — cf. Ou., *Rem.*, 483.

Solere interdum absolute ponitur quasi amare solere :
Cat., CXIII, 1 : duo solebant Maeciliam.

Sollertia est calliditas in amantium fauore adquirendo :
Tib., I, IV, 3 : quae tua formosos cepit sollertia? — cf. Ou., *Her.*, XIX, 26.

Sollicitare est aliquotiens turbare, anxium facere :
Ou., *Her.*, XVIII, 108 : fama sollicitata noua;

sed multo saepius inducere in amorem, seu de inlecebris feminarum agitur :
Ou., *Am.*, II, IV, 45 : me noua sollicitat, me tangit serior aetas;

seu de uirorum precibus et blanditiis :
Ou., *Ars Am.*, I, 484 : ne se sollicitare uelis; — cf. Ou., *Fast.*, I, 418.

Praecipue hoc uerbum dicitur de iis qui aut nuptarum aut puellarum fidem temptare conantur :
Ou., *Her.*, XVI, 4 : legitimam nuptae sollicitare fidem; — cf. Ou., *Am.*, III, I, 50; *Trist.*, II, 346; *Pont.*, III, III, 50; *Fast.*, III, 484.

Turpia uoluptatis uenereae incitamenta significat hoc uerbum :
Ou., *Am.*, III, VII, 56, 74.

Solliciti, id est anxii, dicuntur amantes qui fortuitis casibus conuenire prohibentur :
Cat., LXVI, 24 : toto pectore sollicitae; — cf. Ou., *Her.*, III, 137; XIII, 124; XVII, 196;

et ii qui riuales timent :
Ps. Tib., III, VI, 61 : sollicitus repetam tota suspiria nocte; — cf. Ps. Tib., III, VI, 36; Ou., *Her.*, XVI, 216; *Ars Am.*, III, 600;

et qui metuunt ne parum amentur :
Ou., *Ars Am.*, III, 472 : ex animo sollicitusque roget; — cf. Ou., *Am.*, I, XV, 38.

Denique *sollicitum* dicitur quidquid ad amantium curas et timores pertinet :
Ps. Tib., III, IV, 20 : somnus sollicitas deficit ante domos; — cf. Prop., I, XVI, 40; III, XVII, 42; Ou., *Rem.*, 557.

Soluere amantes est eos separare :
Ps. Tib., IV, V, 16 : nulla queat posthac nos soluisse dies; — cf. Prop., II, XV, 26; III, XVII, 5; Ou., *Her.*, XIII, 12.

Digitized by Google

Eodem sensu dicunt poetae quoque *solui* amores :

Tib., I, II, 60 : amores soluere posse meos; — cf. Prop., I, IV, 15; Ou., *Her.*, VII, 9; *Ars Am.*, II, 385;

aut *solui* homines amore, id est liberari :

Tib., I, IX, 83 : fallaci resolutus amore; — cf. Prop., III, XXI, 2.

Alias *solui* dicitur corpus cum iam non uoluntate retineri potest :

Ou., *Her.*, XIII, 116 : languida laetitia soluar ab ipsa mea; — apud Prop., II, XXXIV, 42 (ad molles membra resolue choros), alius paulum est sensus.

Hoc etiam ad uenerea gaudia interdum pertinet :

Ou., *Ars Am.*, II, 683 : odi concubitus qui non utrumque resoluunt; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 793.

Soli dicuntur qui sine amantibus dormiunt :

Tib., I, VIII, 39-40 : quae frigore sola dormiat; — cf. Tib., I, VI, 11; Ps. Tib., IV, XII, 5; Prop., I, XII, 13; II, XXI, 6; II, XXIX, 23; II, XXXIII, 41; III, III, 20; III, VI, 23; Ou., *Am.*, III, X, 2; *Her.*, XV, 317, 318; *Ars Am.*, II, 359, 370; *Rem.*, 770;

et qui ab amantibus relicti sunt :

Prop., II, XXIV, 46 : et modo servato sola relicta uiro; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 36;

denique qui neminem habent qui eos amet :

Prop., II, IX, 46 : solus ero, quoniam non licet esse tuum; — cf. Prop., I, XIII, 2; II, IX, 20; II, XIX, 7; II, XXXII, 56; IV, VIII, 48.

Sopire amorem est eum cohibere et frenare :

Ou., *Her.*, XII, 171 : quae me non possum, potui sopire draconem.

Sordere est ab amantibus contemni :

Cat., LXI, 129 : sordebant tibi uilicae.

Spatiosus modo ad staturam corporis refertur :

Ou., *Ars Am.*, II, 645;

modo ad capillos :

Ou., *Am.*, I, XIV, 3.

Species est corporis pulchritudo :

Prop., I, XX, 5 : non infra speciem, non nomine dispar; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 46; *Ars Am.*, I, 497; III, 421; *Fast.*, V, 353.

Spectare est cum amore et admiratione adspicere :

Tib., I, I, 59 : te spectem, suprema mihi cum uenerit hora; — cf. Prop., III, XXI, 3; Ou., *Am*, III, II, 5, 16, 28; *Her.*, XIII, 157; XVI, 77; XX, 103; *Ars Am.*, I, 99; I, 498; II, 503; III, 774.

Ad eundem sensum referuntur *spectabilis* :

Ou., *Her.*, XIII, 57; *Fast.*, IV, 223;

et *spectaclum* :

Prop., IV, VIII, 21.

Digitized by Google

Alias *spectare* est benignis aut iratis oculis intueri :

Ou., *Ars Am.*, III, 673 : spectet amabilius iuuenem; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 573; II, 453.

Spernere aliquando a nostris poetis dicitur quasi amorem respuere :

Tib., I, IV, 77 : me, qui spernentur, amantes consultent; — cf. Tib., I, VIII, 33; Prop., II, XVIII, 7; Ou., *Am.*, III, VI, 65; *Her.*, IV, 168.

Sperare aliquando prope idem ualet ac cupere :

Ou., *Her.*, XVI, 74 : quod tam per longas spes tua uenit aquas; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 108; XX, 59; *Ars Am.*, I, 719.

Saepius *sperare* est confidere aut se amatum iri aut amantem rediturum, et ita *spes* timori frequenter opponitur :

Prop., III, XVII, 12 : spesque timorque animum uersat; — cf. Prop., II, XXII, 46; Ou., *Am.*, II, XIX, 5; *Her.*, III, 142; VI, 38; IX, 42; XIII, 124; XV, 100, 105, 171; XVI, 20, 234; *Ars Am.*, I, 343; III, 477, 478, 592; *Rem.*, 273.

Nonnumquam *sperare* non ad futurum tempus, sed ad praesens spectat :

Ou., *Rem.*, 683 : desinimus tarde quia nos speramus amari.

Vt amor pro persona amata, ita interdum ponitur *spes* pro sperata puella :

Ou., *Her.*, XIX, 144 : ad spes alterius quis tibit fecit iter?

Spicula Amoris, id est sagittae, non raro a nostris poetis nominantur [1] :

Prop., II, XIII, 2 : spicula quot nostro pectore fixit Amor; — cf. Ou., *Am.*, I, I, 22; *Ars Am.*, II, 520; III, 516.

Spinosae dicuntur curae amantium :

Cat., LXIV, 72.

Spiritus aliquando proprio sensu accipitur :

Prop., II, XXIX, 38 : adspice ut in toto nullus mihi corpore surgat spiritus.

Translatiue autem modo cupiditates et affectus significat :

Prop., II, XXIV, 5 : quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis;

modo superbum et elatum animum :

Prop., II, III, 2 : cecidit spiritus ille tuus; — cf. Prop., II, XV, 53.

Splendere ad colorem oris pertinet :

Tib., I, VIII, 11 : fuco splendente genas ornare.

Spolia translatiue dicitur amor quem quis sibi adquisiuit quasi uictoria quadam :

Prop., II, XIV, 24 : haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt; — cf. Ou., *Her.*, IX, 113; XVI, 114; *Ars Am.*, III, 812.

1. Turpis ambiguitas occurrit apud Ou., *Ars Am.*, II, 708.

Digitized by Google

Ad minus honestam rem refertur quoque hoc uerbum :
Ou., *Her.*, V, 140 : ille meae spolium uirginitatis habet.

Spolia opprobrii sunt diuitiae quas mulieres dedecore sibi conparauerunt:
Prop., III, XIII, 12.

Spolia sunt quoque munera quae feminae ab amantibus extorquent :
Ou., *Am.*, I, X, 29 : sola uiro mulier spoliis exsultat ademptis.

Sponda interdum pro lecto ponitur :
Ou., *Am.*, III, XIV, 26 : spondaque lasciua mobilitate tremat; — cf. Ou., *Fast.*, II, 345.

Spondere, sponsus, de coniugio promisso dicuntur [1] :
Cat., LXV, 19 : sponsi furtiuo munere; — cf. Cat., LXII, 27; Ou., *Am.*, II, I, 5; II, V, 36; *Her.*, XX, 228.

Spondere aliquando ad amorem refertur quasi foedere promissum :
Prop., II, XXIX, 19 : iam certos spondet amores.

Stabiles animi annis dicuntur, id est in re amatoria graues et prudentes :
Ou., *Ars Am.*, III, 557.

Stimuli sunt aut uehementis affectus ardores :
Prop., III, XIX, 10 : rapidae stimulos frangere nequitiae; — cf. Ou., *Fast.*, II, 779; — cf. quoque Cat., LXIII, 4 (sed de religioso furore, non de amore).

aut incitamenta quibus amantes sibi amorem conparare conantur :
Ou., *Ars Am.*, II, 444 : acribus est stimulis eliciendus amor.

Stolidi dicuntur qui puellis se fallendos praebent :
Cat., XVII, 24 : stolidum excitare ueternum; — cf. Prop., II, XVI, 8.

Studium est sedulitas eorum qui placere uolunt :
Prop., I, II, 23 : non illis studium uulgo conquirere amantes; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 57.

Stultus aliquando proprio sensu ponitur quasi ingenii acumine carens :
Ou., *Ars Am.*, III, 760 : stulta rapina mea est; — cf. Ou., *Her.*, XII, 175; *Ars Am.*, I, 316.

Sed saepius *stulti* dicuntur aut qui intempestiuo liuore ac timore se ridendos praebent :
Cat., LXVIII, 137 : ne nimium simus stultorum more molesti; — cf. Prop., II, XXXIV, 20;

1. Cf. Prop., III, XIX, 23 : hanc igitur dotem uirgo desponderat hosti.

Digitized by Google

aut qui in amore non sese prudenter callideue gerunt :

Cat., LXXVIII, 5 : [illegible] homo est stultus; — cf. Tib., I, iv, 34; IV, xiii, 13; Prop., III, xxiii, 17; Ou., *Am.*, II, viii, 25; *Ars Am.*, II, 391;

aut qui falso amari se credunt et fallacias non intellegunt :

Tib., I, ix, 45 : stulte confisus amari; — cf. Tib., I, ix, 65; Prop., II, xxi, 18; III, xx, 5; Ou., *Am.*, II, xix, 1, 46; III, xi, 32; III, xiv, 30; *Her.*, I, 73;

aut qui in rebus amatoriis iudicandis non sane sentiunt :

Ou., *Her.*, XV, 169 : nec piget aut umquam stulte legisse uidebor;

aut qui, nimio amore capti, uix sui sunt conpotes :

Ou., *Her.*, VII, 28 : et quo, si non sim stulta, carere uelim.

Stupidus est aliquando quasi stultus, id est inprudenter amanti confisus :

Ou., *Ars Am.*, II, 361 : qui stupor hic, Menelae, fuit?

Alias *stupere*, *obstupescere*, est mente capi, seu ob dolorem et timorem :

Prop., I, iii, 28 : obstupui uano credulus auspicio; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 111;

seu ob nimiam mirationem nimiumque amorem :

Prop., IV, iv, 21 : obstupuit regis facie; — cf. Prop., II, xiii, 7; II, xxxix, 25; Ou., *Am.*, I, x, 38; *Her.*, XV, 135, 253.

Stuprum aliquando indignum facinus est, sicut adulterium, perfidia, uenalis amor, etc. :

Prop., III, xix, 20 : infamis stupro stat Pelopea domus; — cf. Prop., II, xxxii, 41; IV, viii, 57; Ou., *Her.*, IX, 20.

Alias *stuprum* pro raptu ponitur :

Ou., *Her.*, V, 143 : nec pretium stupri gemmas aurumque poposci; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 698, 704.

Denique *stupra* iocose dicuntur amores :

Cat., VI, 12.

Suauis raro apud nostros poetas reperitur, et potius ad odores quam ad amoris gaudia refertur :

Cat., LXIV, 87 : suauis exspirans castus odores lectulus; — cf. Cat., XIII, 10; LXI, 7.

Succensere est amanti temerario irasci :

Ou., *Her.*, XVI, 33 : quis succenset amanti? — cf. Ou., *Her.*, XVI, 129.

Subcumbere est plerumque se submittere Amoris potentiae :

Tib., I, viii, 8 : quos uidet inuitos subcubuisse sibi; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 38;

aut amantis inlecebris :

Ou., *Her.*, IX, 2 : uictorem uictae subcubuisse queror; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 186.

Aliquando *subcumbere* est quasi concumbere :

Cat., CXI, 3 : cuiuis quamuis subcumbere par est.

Digitized by Google

Succurrere est amantibus prodesse :
Prop., I, v, 23 : nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti; — cf. Prop., II, xvi, 13.

Subditus modo idem ualet ac subiectus, obtemperans Amori :
Tib., I, ii, 90 : Veneris uinclis subdere colla.

Alias obsceno sensu accipitur :
Ou., *Her.*, IV, 57 : subdita tauro.

Subducere est quasi rapere riualibus amantem :
Tib., IV, xiii, 1 : nulla tuum nobis subducet femina lectum; — cf. Prop., I, viii, 45.

Sufficere, turpi sensu, est rei uenerae satisfacere posse :
Ou., *Am.*. II, x, 23; *Ars Am.*, III, 92.

Alias de humili animi affectu dicitur :
Prop., I, x, 27 : at quo sis humilis magis et subiectus amori; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 411.

Subiectus modo de habitu corporis :
Ou., *Am.*, I, iv, 5 : alteriusque sinus, apte subiecta, fouebis;

Subire modo est in animum amantis ingredi :
Prop., I, ix, 26 : acrius illa subit si qua tua est; — cf. Prop., I, xi, 5; Ou., *Am.*, I, ii, 6; *Ars Am.*, I, 362;

modo cum uiro concumbere :
Prop., III, xix, 14 : quae uoluit liquido tota subire deo.

Submissus itidem est quasi humilis :
Ou., *Ars Am.*, III, 582 : multaque submisse, multa minanter agat.

Subnuba lecti est paelex :
Ou., *Her.*, VI, 153.

Subponere semper ad corpus refertur :
Tib., I, viii, 33 : umero subpone lacertos; — cf. Prop., III, vii, 69; Ou., *Am.*, III, vi, 81; *Her.*, XIII, 106;

et aliquando quidem ad rem uenerem :
Cat., LXIX, 2 : tenerum subposuisse femur.

Subpressus ad amoris dominationem refertur :
Ou., *Rem.*, 73 : dominus subpressa leuabo pectora.

Subrepere dicuntur riuales :
Cat., LXXVII, 3 : sicine subrepti? — cf. Ps. Tib., IV, iii, 21;

et quoque amor, qui homini quasi dolosus est hostis :
Cat., LXXVI, 21 : subrepens imos torpor in artus.

Digitized by Google

Substernere ad habitum corporis pertinet :
Cat., LXIV, 332 : leuia substernens robusto bracchia collo;

et aliquando obsceno sensu intellegitur :
Cat., LXIV, 402 : mater substernens se inpia nato.

Subtrahere colla iugo est ab amoris uinclis sese liberare :
Prop., II, v, 14; Ou., *Rem.*, 99.

Suetus ad longum sensimque progredientem amorem refertur :
Ou., *Ars Am.*, II, 345 : fac tibi consuescat; nil adsuetudine maius.

Sumere dicuntur amantes plerumque oscula :
Prop., I, III, 16; Ou., *Am.*, I, IV, 63; *Her.*, XIII, 141; XIX, 145; *Ars Am.*, I, 664;

aliquando Veneris gaudia :
Ou., *Am.*, I, IV, 63; *Ars Am.*, III, 90; *Rem.*, 401,

Superbi dicuntur et qui ob laudes suas et dicionem in amantes insolenter gaudent :
Tib., I, IX, 80 : et geret in regno regna superba tuo; — cf. Ps. Tib., IV, V, 4; Prop., II, XXI, 7; IV, VIII, 82; Ou., *Her.*, V, 92; *Ars Am.*, III, 103;

et qui amantes adroganter respuunt :
Tib., I, VIII, 77 : at te poena manet, ni desinis esse superba; — cf. Prop., II, XXXIII, 14; III, XXV, 13; Ou., *Fast.*, I, 419;

et qui in amantes dure et tyrannice dominantur :
Prop., I, XVIII, 23 : perferre superbae iussa; — cf. Prop., II, VIII, 16; III, VIII, 36; III, XVII, 41; III, XXIV, 2; Ou., *Her.*; *Ars Am.*, III, 509.

Ad incedendi genus aliquando refertur hoc uerbum[1] :
Prop., II, I, 8 : gaudet laudatis ire superba comis; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 302.

Supercilium plerumque refertur ad nutus quibus amantes sibi secretas notas mittunt :
Prop., III, VIII, 23 : tecta superciliis si quando uerba remittis; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 19; II, V, 13; *Her.*, XVI, 82; *Ars Am.*, I, 500.

Alias hoc uocabulum rigidum durumque animi habitum significat :
Ou., *Her.*, XVI, 16 : nec sedeo duris torua superciliis.

Superare est riuales uincere :
Tib., I, IV, 62 : aurea nec superent munera Pieridas.

Supplices amantes persaepe describuntur :
Cat., LX, 4-5 : ut supplicis uocem contemptam haberes; — cf. Tib., I, II, 14; I, IV, 72; II, VI, 33; Prop., I, IX, 3; I, XVI, 14; II, XIV, 11; II, XX, 33; IV, V, 37; IV, VIII, 71; Ou., *Am.*, I, VII, 61; II, V, 49; *Her.*, IV, 149; XII, 185; *Ars Am.*, I, 713; II, 527.

1. *Forma superba* est praestans et egregia, apud Ou., *Her.*, XX, 33. — Apud Prop. I, X, 22, *superba loqui* est magnifice et aspere loqui.

Digitized by Google

Surdus dicitur Amor, cum hominum preces non exaudit :
Prop., II, xvi, 36 : turpis amor surdis auribus esse solet;

surdi quoque homines qui amantes respuunt[1] :
Ou., *Her.*, VII, 27: ad mea munera surdus.

Id uerbum nonnumquam ad res refertur :
Ou., *Am.*, I, viii, 77 : surda sit oranti tua ianua; — cf. Prop., IV, xi, 6 : litora surda Orci.

Surgere aliquotiens proprio ac solito sensu intellegitur :
Prop. II, xxiii, 19 : propera iam surgere; — cf. Ou., *Am.*, I, xiii, 25;

sed nonnumquam turpem habet sensum :
Ou., *Am.*, II, xv, 25; III, vii, 75.

Suspiria saepe a nostris nominantur, orta seu ex amore :
Cat., LXIV, 98 : in flauo hospite suspirantem; — cf. Tib., I, vi, 35; Ps. Tib., IV, v, 11; Ou., *Her.*, XVI, 79; *Ars Am.*, III, 675; *Fast.*, I, 417.

seu ex aliquo dolore :
Ps. Tib., III, vi, 61 : sollicitus repetam tota suspiria nocte; — cf. Prop., II, xxii, 47; III, viii, 27; Ou., *Her.*, XX, 201;

seu ex angore :
Ou., *Am.*, II, xix, 55 : per nulla traham suspiria somnos?

Sustinere aliquando amantium humilitatem significat :
Prop., II, xxv, 18 : et inmerita sustinet aure minas;

saepius autem turpem habet sensum :
Ou., *Am.*, III, vii, 26; *Ars Am.*, I, 294; II, 600; *Rem.*, 405.

Susurri blandi sunt amatoria uerba :
Prop., I, xi, 13.

Suus plerumque amorem significat :
Cat., XI, 17 : cum suis uiuat ualeatque moechis; — cf. Tib., I, x, 59 : II, iii, 31; Prop., III, viii, 30; IV, iii, 1; Ou., *Am.*, I, xv, 30; II, v, 28; III, ii, 17; III, v, 41; *Her.*, XX, 196; *Ars Am.*, II, 551;

aliquando autem fidem et constantiam :
Ou., *Rem.*, 545 : qui timet ut sua sit;

interdum possessionem uenerem :
Prop., I, iii, 30 : neue quis inuitam cogeret esse suam.

Substantiue ponitur :
Tib., I, iv, 73 : pareat ille suae; — cf. Tib., II, v, 103; Prop., III, xiv, 22.

1. Apud Prop., II, xx, 13 (de te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures), non de superbo, sed de confidenti amante agitur.

Digitized by Google

Tabellae saepe epistolas amatorias significant :

Tib., II, vi, 45-46 : tabellas occulto portans itque reditque sinu; — cf. Ou., *Am.*, I, xi, 15, 24, 25; I, xii, 1; II, v, 5; *Ars Am.*, III, 621, 630.

Tabescere est macerari et urgeri seu anxietate et dolore :

Prop., III, xii, 9 : illa quidem interea fama tabescet inani; — cf. Prop., III, vi, 23;

seu amore ipso :

Prop., I, xv, 20 : ut semel Haemonio tabuit hospitio.

Nonnumquam *tabescere* oculi fletu dicuntur :

Cat., LXVIII, 55.

Tacere est amorem non uulgare :

Prop., II, xxiv, 4 : haud reticendus amor; — cf. Prop., II, xxv, 30; Ou., *Ars Am.*, I, 334; II, 607.

Saepe *tacitus* pro arcano, secreto, ponitur :

Tib., I, vi, 6 : nescio quem tacita callida nocte fouet; — cf. Prop., I, iv, 14; II, vi, 32; III, xxi, 32; IV, vii, 21.

Tacitus interdum uocatur qui nullos questus profert :

Prop., II, xviii, 2 : frangitur in tacito femina saepe uiro.

Taedae potius ad nuptias quam ad amoris ignes referuntur :

Cat., LXVI, 79 : quas iunxit taeda; — cf. Cat., LXIV, 25, 302; Prop., III, xix, 25; Ou., *Am.*, III, vi, 75; *Her.*, II, 42; IV, 121; VI, 134; VIII, 35.

Taedia aliquotiens eundem sensum habere uidentur quem curae aut dolores :

Ps. Tib., III, ii, 8 : uitae tot mala perpessae taedia nata meae.

Sed proprie hoc uerbum eam satietatem significat quae nascitur e nimis facili aut frequenti usu :

Ou., *Am.*, II, xix, 25 : pinguis amor in taedia nobis uertitur; — cf. Ou., *Am.*, II, ix, 27; *Her.*, III, 139; *Rem.*, 539;

aut e nimis adsidua praesentia :

Ou., *Ars Am.*, I, 718 : lenius instando taedia tolle tui; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 530.

Hoc uocabulo exprimitur quoque quod iniucundum est ac sensibus repugnat :

Ou., *Ars Am.*, II, 325 : nec taedeat oscula ferre (aegrotanti feminae);

uel quod molestum est[1] :

Ou., *Ars Am.*, II, 346 : quam tu dum capias, taedia nulla fuge.

1. Apud Tib., I, iv, 15-16 (sed ne te capiant, primo si forte negabit, taedia), duo sensus intellegi possunt, seu : ne taedia sentias, — seu : ne te decipiant ficti ac simulati a puero fastus.

Digitized by Google

Tangere saepe ad corpus pertinet, ita ut nullus turpis adsit sensus :

Ou., *Her.*, XVII, 199 : flebis enim tactuque meum dignabere corpus; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 39; *Her.*, VIII, 112, 113; XVII, 179; XIX, 147; XX, 200; *Ars Am.*, I, 142.

Alias ad certas corporis partes refertur hoc uerbum[1] :

ad labra :

Ou., *Am.*, II, XV, 17; *Her.*, XVII, 17;

ad collum :

Ou., *Her.*, III, 131;

ad lacertos :

Am., I, V, 19;

ad manus :

Tib., I, VI, 26; Ou., *Ars Am.*, III, VIII, 16, 17, 22; *Am.*, I, 578;

ad papillas :

Ou., *Am.*, II, XV, 11;

ad pedes :

Prop., IV, VIII, 72; Ou., *Am.*, I, IV, 16; *Ars Am.*, I, 606.

Alias *tangere corpus* amplexus obscenos significat :

Tib., I, VIII, 25 : sed corpus tetigisse nocet; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 4, 58; II, IV, 24; III, VII, 41; *Ars Am.*, II, 713, 719, 720.

Tangere feminam est eam possidere[2] :

Cat., LXVII, 20 : non illam uir prior adtigerit; — cf. Cat., XXI, 8; Ou., *Ars Am.*, I, 677; II, 634, 692; *Rem.*, 415, 416, 783; *Fast.*, VI, 231.

Ac peculiariter *tangere* est ad tempus amare ac ludere, non diu retinere :

Ou., *Ars Am.*, I, 92 : quodque semel tangas, quodque tenere uelis.

Tangere est quoque feminam adgredi, ei captandae dare operam :

Cat., LXXXIX, 5 : qui ut nihil adtingat, nisi quod fas tangere non est; — cf. Tib., I, VI, 53; Prop., II, XXXIV, 10; Ou., *Ars Am.*, II, 630, 633, 701.

Quod uero ad animos spectat, eos *tangere* saepe dicuntur Amoris sagittae :

Prop., II, XXXIV, 60 : quem tetigit iactu certus ad ossa deus; — cf. Prop., I, IX, 29;

aut amoris affectus :

Prop., I, IX, 17 : uero nec tangeris igni; — cf. Prop., I, I, 2; III, I, 40; Ou., *Am.*, II, I, 6; *Ars Am.*, II, 684; III, 588, 682; *Rem.*, 79;

aut causae quae in amorem inducere queunt :

Ou., *Her.*, V, 81 : nec me tua regia tangit; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 31, 45; *Her.*, XV, 328.

1. Cf. Ou., *Her.*, X, 53 : et tua pro te uestigia tango.
2. Apud Prop., I, XIX, 9 (cupidus falsis adtingere gaudia palmis), propinquus quidem illi sensus inest, sed minus turpis.

Digitized by Google

Denique *tangere* est misericordia permouere :

Ou., *Her.*, VIII, 15 : cura mei si te pia tangit; — cf. Ou., *Her.*, XII, 183, 189.

Tardus modo pro sero ponitur :

Prop., I, VII, 26 : saepe uenit magno fenore tardus amor; — cf. Prop., I, XIII, 7;

modo pro lento et inerti :

Tib., I, IV, 27 : si tardus eris, errabis; — cf. Tib., I, II, 23; Prop., I, VIII, 41; Ou., *Her.*, XVI, 184;

modo pro parum ingenioso :

Prop., I, I, 17 : in me tardus amor non ullas cogitat artes.

Aliquotiens, per hypallagen, ad res transfertur hoc uocabulum :

Prop., I, X, 16 : dominae tardas possum aperire fores.

Tegere est modo corpus operire :

Prop., II, XXII, 8 : candida non tecto pectore si qua sedet; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 14; *Rem.*, 338, 343;

modo amorem dissimulare aut consilium :

Ou., *Rem.*, 619 : manat amor tectus; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 276; II, 428, 555, 589.

Tecta superciliis uerba sunt arcana signa :

Prop., III, VIII, 25.

Tela Amoris persaepe nominantur :

Tib., II, V, 107 : postquam sumpsit sibi tela Cupido; — cf. Tib., II, VI, 4, 15; Prop., II, IX, 38; II, XII, 13, 18; Ou., *Am.*, II, IX, 13, 34; *Her.*, II, 39, 40; VII, 157, 189; VIII, 38; XV, 40; *Ars Am.*, I, 169, 261; II, 397; III, 30; *Rem.*, 26, 612; *Trist.*, IV, X, 65; *Pont.*, III, III, 80.

Tela quoque uocantur arma quibus amantes inter se pugnare dicuntur, cum non sunt concordes :

Ou., *Ars Am.*, II, 463 : illic depositis habitat Concordia telis; — cf. Ou., *Rem.* 676;

aut arma quibus amorem adquirere conantur :

Ou., *Ars Am.*, III, 590 : nec dubito telis quin petar ipse meis.

Temerare est plerumque alienos amores temptare ac destruere :

Ou., *Her.*, XV, 285 : uenerem temerare maritam; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 19; II, VII, 18; III, IV, 24; *Her.*, V, 101; XVI, 3; *Ars Am.*, I, 743.

Aliquando *temerare* est uim facere :

Ou., *Her.*, IX, 49 : Partheniis temeratam uallibus Augen.

Temerarius est proprie audax :

Ou., *Her.*, XVI, 101 : non tu plus cernis, sed plus temerarius audes.

Alias autem *temerarius* dicitur qui sine ratione amat; eundem sensum habet uox *temere* :

Prop., II, VIII, 13 : ergo tam multos nimium temerarius annos; — cf. Prop., II, XX, 36; II, XXI, 16.

Digitized by Google

Temptare est saepe est ad amorem sibi conciliandum eniti :

Tib., I, III, 73 : Iunonem temptare Ixionis ausi; — cf. Tib., I, II, 17; Prop., II, XXXIV, 73; Ou., *Am.*, *Ars*, I, 273, 365, 389, 394.

Temptari dicitur aliquotiens amore qui amare incipit :

Prop., II, XII, 19 : intactos isto satius temptare ueneno; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 5.

Temptare est quoque corpus amatum tangere incipere :

Prop., I, III, 15 : subiecto leuiter positam temptare lacerto;

et aliquando quidem cum turpi significatione :

Ou., *Fast.*, II, 349 : cetera temptantem.

Denique *temptare* est experiri :

Ou., *Ars Am.*, I, 437 : cera uadum temptet rasis infusa tabellis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 456;

et hic quoque obscenus sensus nonnumquam additur :

Ou., *Am.*, I, VIII, 47 : Penelope iuuenum uires temptabat in arcu.

Tempus in amatorio sermone est hora conueniendi :

Ou., *Ars Am.*, II, 367 : dando tempusque locumque; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 392.

Tenere, quod ad corpus pertinet, est saepe quasi amplecti, fouere :

Cat., XLV, 2 : Acmen tenens in gremio; — cf. Cat., LXXII, 2; Tib., I, I, 46, 60; I, II, 73; Prop., II, XXXII, 37; Ou., *Am.*, I, XIII, 39; *Her.*, III, 117; XIII, 157; XVII, 164, 183; XIX, 140.

Saepe quoque obscenum sensum habet idem uerbum :

Cat., XI, 18 : quos simul conplexa tenet trecentos; — cf. Tib., I, V, 39; I, VI, 35; II, VI, 52; Ou., *Am.*, III, VII, 3; III, XI, 11; *Her.*, XV, 216, 227.

Quod uero ad animos spectat, eos amore *teneri* nonnumquam dicunt poetae :

Tib., I, II, 27 : quisquis amore tenetur; — cf. Ou., *Her.*, IX, 12; XX, 125.

Tenere amantem est modo sibi conciliare eius amorem :

Cat., LXIV, 28 : tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? — cf. Prop., II, XVI, 28; II, XXI, 12; IV, V, 38; IV, VII, 72, 93; Ou., *Am.*, II, XVII, 12; *Her.*, II, 103; XV, 94, 310; XIX, 32; *Ars Am.*, II, 483; III, 563;

modo eundem amorem sibi seruare diu :

Tib., II, IV, 3 : teneorque catenis; — cf. Ps. Tib., IV, V, 15; Prop., II, XX, 19, 20; Ou., *Am.*, II, XVII, 16; *Her.*, XV, 154; *Ars Am.*, I, 92; II, 12, 103, 111, 295; *Rem.*, 272, 457.

Tenere aut *retinere* est quoque discessionem amantis inpedire :

Cat., LV, 17 : num te lacteolae tenent puellae? — cf. Tib., I, I, 55; Ou., *Her.*, XVII, 213; *Rem.*, 213, 529.

Tenere et *teneri* quoque dicuntur de iis qui uno amore sunt contenti :

Prop., IV, XI, 68 : fac teneas unum nos imitata uirum; — cf. Prop., II, III, 45.

Digitized by Google

aut qui in amore non sese prudenter callideue gerunt :
Cat., LXXVIII, 5 : Gallus homo est stultus; — cf. Tib., I, IV, 34; IV, XIII, 18; Prop., III, XXIII, 17; Ou., *Am.*, II, VIII, 25: *Ars Am.*, II, 591;

aut qui falso amari se credunt et fallacias non intellegunt :
Tib., I, IX, 45 : stulte confisus amari; — cf. Tib., I, IX, 65 : Prop., II, XXI, 18; III, XX, 5; Ou., *Am.*, II, XIX, 1, 46; III, XI, 32; III, XIV, 30; *Her.*, I, 75;

aut qui in rebus amatoriis iudicandis non sane sentiunt :
Ou., *Her.*, XV, 169 : nec piget aut umquam stulte legisse uidebor;

aut qui, nimio amore capti, uix sui sunt conpotes :
Ou., *Her.*, VII, 28 : et quo, si non sim stulta, carere uelim.

Stupidus est aliquando quasi stultus, id est inprudenter amanti confisus :
Ou., *Ars Am.*, II, 361 : qui stupor hic, Menelae, fuit?

Alias *stupere*, *obstupescere*, est mente capi, seu ob dolorem et timorem :
Prop., I, III, 28 : obstupui uano credulus auspicio; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 111;

seu ob nimiam mirationem nimiumque amorem :
Prop., IV, IV, 21 : obstupuit regis facie; — cf. Prop., II, XIII, 7; II, XXIX, 23; Ou., *Am.*, I, X, 38; *Her.*, XV, 135, 253.

Stuprum aliquando indignum facinus est, sicut adulterium, perfidia, uenalis amor, etc. :
Prop., III, XIX, 20 : infamis stupro stat Pelopea domus; — cf. Prop., II, XXXII, 41; IV, VII, 57; Ou., *Her.*, IX, 20.

Alias *stuprum* pro raptu ponitur :
Ou., *Her.*, V, 143 : nec pretium stupri gemmas aurumque poposci; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 698, 704.

Denique *stupra* iocose dicuntur amores :
Cat., VI, 12.

Suauis raro apud nostros poetas reperitur, et potius ad odores quam ad amoris gaudia refertur :
Cat., LXIV, 87 : suauis exspirans castus odores lectulus; — cf. Cat., XIII, 10; LXI, 7.

Succensere est amanti temerario irasci :
Ou., *Her.*, XVI, 35 : quis succenset amanti? — cf. Ou., *Her.*, XVI, 129.

Subcumbere est plerumque se submittere Amoris potentiae :
Tib., I, VIII, 8 : quos uidet inuitos subcubuisse sibi; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 38;

aut amantis inlecebris :
Ou., *Her.*, IX, 2 : uictorem uictae subcubuisse queror; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 186.

Aliquando *subcumbere* est quasi concumbere :
Cat., CXI, 3 : cuiuis quamuis subcumbere par est.

Digitized by Google

Succurrere est amantibus prodesse :
Prop., I, v, 23 : nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti; — cf. Prop., II, XVI, 13.

Subditus modo idem ualet ac subiectus, obtemperans Amori :
Tib., I, II, 90 : Veneris uinclis subdere colla.

Alias obsceno sensu accipitur :
Ou., *Her.*, IV, 57 : subdita tauro.

Subducere est quasi rapere riualibus amantem :
Tib., IV, XIII, 1 : nulla tuum nobis subducet femina lectum; — cf. Prop., I, VIII, 45.

Sufficere, turpi sensu, est rei uenerae satisfacere posse :
Ou., *Am.*. II, x, 23; *Ars Am.*, III, 92.

Alias de humili animi affectu dicitur :
Prop., I, x, 27 : at quo sis humilis magis et subiectus amori; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 411.

Subiectus modo de habitu corporis :
Ou., *Am.*, I, IV, 5 : alteriusque sinus, apte subiecta, fouebis;

Subire modo est in animum amantis ingredi :
Prop., I, IX, 26 : acrius illa subit si qua tua est; — cf. Prop., I, XI, 5; Ou., *Am.*, I, II, 6; *Ars Am.*, I, 362;

modo cum uiro concumbere :
Prop., III, XIX, 14 : quae uoluit liquido tota subire deo.

Submissus itidem est quasi humilis :
Ou., *Ars Am.*, III, 582 : multaque submisse, multa minanter agat.

Subnuba lecti est paelex :
Ou., *Her.*, VI, 153.

Subponere semper ad corpus refertur :
Tib., I, VIII, 33 : umero subpone lacertos; — cf. Prop., III, VII, 69; Ou., *Am.*, III, VI, 81; *Her.*, XIII, 106;

et aliquando quidem ad rem uenerem :
Cat., LXIX, 2 : tenerum subposuisse femur.

Subpressus ad amoris dominationem refertur :
Ou., *Rem.*, 73 : dominus subpressa leuabo pectora.

Subrepere dicuntur riuales :
Cat., LXXVII, 3 : sicine subrepti? — cf. Ps. Tib., IV, III, 21;

et quoque amor, qui homini quasi dolosus est hostis :
Cat., LXXVI, 21 : subrepens imos torpor in artus.

Digitized by Google

Substernere ad habitum corporis pertinet :
Cat., LXIV, 332 : leuia substernens robusto bracchia collo;

et aliquando obsceno sensu intellegitur :
Cat., LXIV, 402 : mater substernens se inpia nato.

Subtrahere colla iugo est ab amoris uinclis sese liberare :
Prop., II, v, 14; Ou., *Rem.*, 99.

Suetus ad longum sensimque progredientem amorem refertur :
Ou., *Ars Am.*, II, 343 : fac tibi consuescat; nil adsuetudine maius.

Sumere dicuntur amantes plerumque oscula :
Prop., I, III, 16; Ou., *Am.*, I, IV, 63; *Her.*, XIII, 141; XIX, 143; *Ars Am.*, I, 664;

aliquando Veneris gaudia :
Ou., *Am.*, I, IV, 63; *Ars Am.*, III, 90; *Rem.*, 401,

Superbi dicuntur et qui ob laudes suas et dicionem in amantes insolenter gaudent :
Tib., I, IX, 80 : et geret in regno regna superba tuo; — cf. Ps. Tib., IV, V, 4; Prop., II, XXI, 7; IV, VIII, 82; Ou., *Her.*, V, 92; *Ars Am.*, III, 103;

et qui amantes adroganter respuunt :
Tib., I, VIII, 77 : at te poena manet, ni desinis esse superba; — cf. Prop., II, XXXIII, 14; III, XXV, 15; Ou., *Fast.*, I, 419;

et qui in amantes dure et tyrannice dominantur :
Prop., I, XVIII, 23 : perferre superbae iussa; — cf. Prop., II, VIII, 16; III, VIII, 36; III, XVII, 41; III, XXIV, 2; Ou., *Her.*; *Ars Am.*, III, 509.

Ad incedendi genus aliquando refertur hoc uerbum[1] :
Prop., II, I, 8 : gaudet laudatis ire superba comis; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 302.

Supercilium plerumque refertur ad nutus quibus amantes sibi secretas notas mittunt :
Prop., III, VIII, 23 : tecta superciliis si quando uerba remittis; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 19; II, V, 13; *Her.*, XVI, 82; *Ars Am.*, I, 500.

Alias hoc uocabulum rigidum durumque animi habitum significat :
Ou., *Her.*, XVI, 16 : nec sedeo duris torua superciliis.

Superare est riuales uincere :
Tib., I, IV, 62 : aurea nec superent munera Pieridas.

Supplices amantes persaepe describuntur :
Cat., LX, 4-5 : ut supplicis uocem contemptam haberes; — cf. Tib., I, II, 14; I, IV, 72; II, VI, 33; Prop., I, IX, 3; I, XVI, 14; II, XIV, 11; II, XX, 33; IV, V, 37; IV, VIII, 71; Ou., *Am.*, I, VII, 61; II, V, 49; *Her.*, IV, 149; XII, 185; *Ars Am.*, I, 713; II, 527.

1. *Forma superba* est praestans et egregia, apud Ou., *Her.*, XX, 33. — Apud Prop. I, X, 22, *superba loqui* est magnifice et aspere loqui.

Digitized by Google

Surdus dicitur Amor, cum hominum preces non exaudit :
Prop., II, xvi, 36 : turpis amor surdis auribus esse solet;

surdi quoque homines qui amantes respuunt[1] :
Ou., *Her.*, VII, 27: ad mea munera surdus.

Id uerbum nonnumquam ad res refertur :
Ou., *Am.*, I, viii, 77 : surda sit oranti tua ianua; — cf. Prop., IV, xi, 6 : litora surda Orci.

Surgere aliquotiens proprio ac solito sensu intellegitur :
Prop. II, xxiii, 19 : propera iam surgere; — cf. Ou., *Am.*, I, xiii, 25;

sed nonnumquam turpem habet sensum :
Ou., *Am.*, II, xv, 25; III, vii, 75.

Suspiria saepe a nostris nominantur, orta seu ex amore :
Cat., LXIV, 98 : in flauo hospite suspirantem; — cf. Tib., I, vi, 35; Ps. Tib., IV, v, 11; Ou., *Her.*, XVI, 79; *Ars Am.*, III, 675; *Fast.*, I, 417.

seu ex aliquo dolore :
Ps. Tib., III, vi, 61 : sollicitus repetam tota suspiria nocte; — cf. Prop., II, xxii, 47; III, viii, 27; Ou., *Her.*, XX, 201;

seu ex angore :
Ou., *Am.*, II, xix, 55 : per nulla traham suspiria somnos?

Sustinere aliquando amantium humilitatem significat :
Prop., II, xxv, 18 : et inmerita sustinet aure minas;

saepius autem turpem habet sensum :
Ou., *Am.*, III, vii, 26; *Ars Am.*, I, 294; II, 690; *Rem.*, 405.

Susurri blandi sunt amatoria uerba :
Prop., I, xi, 13.

Suus plerumque amorem significat :
Cat., XI, 17 : cum suis uiuat ualeatque moechis; — cf. Tib., I, x, 59 : II, iii, 31; Prop., III, viii, 30; IV, iii, 1; Ou., *Am.*, I, xv, 30; II, v, 28; III, ii, 17; III, v, 41; *Her.*, XX, 196; *Ars Am.*, II, 551;

aliquando autem fidem et constantiam :
Ou., *Rem.*, 545 : qui timet ut sua sit;

interdum possessionem uenerem :
Prop., I, iii, 30 : neue quis inuitam cogeret esse suam.

Substantiue ponitur :
Tib., I, iv, 75 : pareat ille suae; — cf. Tib., II, v, 103; Prop., III, xiv, 22.

1. Apud Prop., II, xx, 13 (de te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures), non de superbo, sed de confidenti amante agitur.

Digitized by Google

Tabellae saepe epistolas amatorias significant :

Tib., II, vi, 45-46 : tabellas occulto portans itque reditque sinu; — cf. Ou., *Am.*, I, xi, 15, 24, 25; I, xii, 1; II, v, 5; *Ars Am.*, III, 621, 630.

Tabescere est macerari et urgeri seu anxietate et dolore :

Prop., III, xii, 9 : illa quidem interea fama tabescet inani; — cf. Prop., III, vi, 23;

seu amore ipso :

Prop., I, xv, 20 : ut semel Haemonio tabuit hospitio.

Nonnumquam *tabescere* oculi fletu dicuntur :

Cat., LXVIII, 55.

Tacere est amorem non uulgare :

Prop., II, xxiv, 4 : haud reticendus amor; — cf. Prop., II, xxv, 30; Ou., *Ars Am.*, I, 354; II, 607.

Saepe *tacitus* pro arcano, secreto, ponitur :

Tib., I, vi, 6 : nescio quem tacita callida nocte fouet; — cf. Prop., I, iv, 14; II, vi, 32; III, xxi, 32; IV, vii, 21.

Tacitus interdum uocatur qui nullos questus profert :

Prop., II, xviii, 2 : frangitur in tacito femina saepe uiro.

Taedae potius ad nuptias quam ad amoris ignes referuntur :

Cat., LXVI, 79 : quas iunxit taeda; — cf. Cat., LXIV, 23, 302; Prop., III, xix, 23; Ou., *Am.*, III, vi, 75; *Her.*, II, 42; IV, 121; VI, 134; VIII, 33.

Taedia aliquotiens eundem sensum habere uidentur quem curae aut dolores :

Ps. Tib., III, ii, 8 : uitae tot mala perpessae taedia nata meae.

Sed proprie hoc uerbum eam satietatem significat quae nascitur e nimis facili aut frequenti usu :

Ou., *Am.*, II, xix, 23 : pinguis amor in taedia nobis uertitur; — cf. Ou., *Am.*, II, ix, 27; *Her.*, III, 139; *Rem.*, 539;

aut e nimis adsidua praesentia :

Ou., *Ars Am.*, I, 718 : lenius instando taedia tolle tui; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 530.

Hoc uocabulo exprimitur quoque quod iniucundum est ac sensibus repugnat :

Ou., *Ars Am.*, II, 325 : nec taedeat oscula ferre (aegrotanti feminae);

uel quod molestum est[1] :

Ou., *Ars Am.*, II, 346 : quam tu dum capias, taedia nulla fuge.

1. Apud Tib., I, iv, 15-16 (sed ne te capiant, primo si forte negabit, taedia), duo sensus intellegi possunt, seu : ne taedia sentias, — seu : ne te decipiant ficti ac simulati a puero fastus.

Digitized by Google

Tangere saepe ad corpus pertinet, ita ut nullus turpis adsit sensus :

Ou., *Her.*, XVII, 199 : flebis enim tactuque meum dignabere corpus; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 39; *Her.*, VIII, 112, 113; XVII, 179; XIX, 147; XX, 200; *Ars Am.*, I, 142.

Alias ad certas corporis partes refertur hoc uerbum[1] :

ad labra :

Ou., *Am.*, II, XV, 17; *Her.*, XVII, 17;

ad collum :

Ou., *Her.*, III, 131;

ad lacertos :

Am., I, V, 19;

ad manus :

Tib., I, VI, 26; Ou., *Ars Am.*, III, VIII, 16, 17, 22; *Am.*, I, 378;

ad papillas :

Ou., *Am.*, II, XV, 11;

ad pedes :

Prop., IV, VIII, 72; Ou., *Am.*, I, IV, 16; *Ars Am.*, I, 606.

Alias *tangere corpus* amplexus obscenos significat :

Tib., I, VIII, 25 : sed corpus tetigisse nocet; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 4, 58; II, IV, 24; III, VII, 41; *Ars Am.*, II, 713, 719, 720.

Tangere feminam est eam possidere[2] :

Cat., LXVII, 20 : non illam uir prior adtigerit; — cf. Cat., XXI, 8; Ou., *Ars Am.*, I, 677; II, 634, 692; *Rem.*, 415, 416, 783; *Fast.*, VI, 231.

Ac peculiariter *tangere* est ad tempus amare ac ludere, non diu retinere :

Ou., *Ars Am.*, I, 92 : quodque semel tangas, quodque tenere uelis.

Tangere est quoque feminam adgredi, ei captandae dare operam :

Cat., LXXXIX, 5 : qui ut nihil adtingat, nisi quod fas tangere non est; — cf. Tib., I, VI, 53; Prop., II, XXXIV, 10; Ou., *Ars Am.*, II, 630, 633, 701.

Quod uero ad animos spectat, eos *tangere* saepe dicuntur Amoris sagittae :

Prop., II, XXXIV, 60 : quem tetigit iactu certus ad ossa deus; — cf. Prop., I, IX, 29;

aut amoris affectus :

Prop., I, IX, 17 : uero nec tangeris igni; — cf. Prop., I, I, 2; III, I, 40; Ou., *Am.*, II, I, 6; *Ars Am.*, II, 684; III, 588, 682; *Rem.*, 79;

aut causae quae in amorem inducere queunt :

Ou., *Her.*, V, 81 : nec me tua regia tangit; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 31, 45; *Her.*, XV, 328.

1. Cf. Ou., *Her.*, X, 53 : et tua pro te uestigia tango.

2. Apud Prop., I, XIX, 9 (cupidus falsis adtingere gaudia palmis), propinquus quidem illi sensus inest, sed minus turpis.

Digitized by Google

Denique *tangere* est misericordia permouere :

Ou., *Her.*, VIII, 15 : cura mei si te pia tangit; — cf. Ou., *Her.*, XII, 183, 189.

Tardus modo pro sero ponitur :

Prop., I, vii, 26 : saepe uenit magno fenore tardus amor; — cf. Prop., I, xiii, 7;

modo pro lento et inerti :

Tib., I, iv, 27 : si tardus eris, errabis; — cf. Tib., I, ii, 23; Prop., I, viii, 41; Ou., *Her.*, XVI, 184;

modo pro parum ingenioso :

Prop., I, i, 17 : in me tardus amor non ullas cogitat artes.

Aliquotiens, per hypallagen, ad res transfertur hoc uocabulum :

Prop., I, x, 16 : dominae tardas possum aperire fores.

Tegere est modo corpus operire :

Prop., II, xxii, 8 : candida non tecto pectore si qua sedet; — cf. Ou., *Am.*, I, v, 14; *Rem.*, 338, 343;

modo amorem dissimulare aut consilium :

Ou., *Rem.*, 619 : manat amor tectus; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 276; II, 428, 555, 589.

Tecta superciliis uerba sunt arcana signa :

Prop., III, viii, 25.

Tela Amoris persaepe nominantur :

Tib., II, v, 107 : postquam sumpsit sibi tela Cupido; — cf. Tib., II, vi, 4, 15; Prop., II, ix, 38; II, xii, 13, 18; Ou., *Am.*, II, ix, 13, 34; *Her.*, II, 39, 40; VII, 157, 189; VIII, 38; XV, 40; *Ars Am.*, I, 169, 261; II, 397; III, 30; *Rem.*, 26, 612; *Trist.*, IV, x, 65; *Pont.*, III, iii, 80.

Tela quoque uocantur arma quibus amantes inter se pugnare dicuntur, cum non sunt concordes :

Ou., *Ars Am.*, II, 463 : illic depositis habitat Concordia telis; — cf. Ou., *Rem.* 676;

aut arma quibus amorem adquirere conantur :

Ou., *Ars Am.*, III, 590 : nec dubito telis quin petar ipse meis.

Temerare est plerumque alienos amores templare ac destruere :

Ou., *Her.*, XV, 285 : uenerem temerare maritam; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 19; II, vii, 18; III, iv, 24; *Her.*, V, 101; XVI, 3; *Ars Am.*, I, 743.

Aliquando *temerare* est uim facere :

Ou., *Her.*, IX, 49 : Partheniis temeratam uallibus Augen.

Temerarius est proprie audax :

Ou., *Her.*, XVI, 101 : non tu plus cernis, sed plus temerarius audes.

Alias autem *temerarius* dicitur qui sine ratione amat; eundem sensum habet uox *temere* :

Prop., II, viii, 13 : ergo tam multos nimium temerarius annos; — cf. Prop., II, xx, 36; II, xxi, 16.

Digitized by Google

Temptare est saepe est ad amorem sibi conciliandum eniti :

Tib., I, III, 73 : Iunonem temptare Ixionis ausi; — cf. Tib., I, II, 17; Prop., II, XXXIV, 73; Ou., *Am.*, *Ars*, I, 273, 365, 389, 394.

Temptari dicitur aliquotiens amore qui amare incipit :

Prop., II, XII, 19 : intactos isto satius temptare ueneno; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 5.

Temptare est quoque corpus amatum tangere incipere :

Prop., I, III, 15 : subiecto leuiter positam temptare lacerto;

et aliquando quidem cum turpi significatione :

Ou., *Fast.*, II, 349 : cetera temptantem.

Denique *temptare* est experiri :

Ou., *Ars Am.*, I, 437 : cera uadum temptet rasis infusa tabellis; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 456;

et hic quoque obscenus sensus nonnumquam additur :

Ou., *Am.*, I, VIII, 47 : Penelope iuuenum uires temptabat in arcu.

Tempus in amatorio sermone est hora conueniendi :

Ou., *Ars Am.*, II, 367 : dando tempusque locumque; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 392.

—

Tenere, quod ad corpus pertinet, est saepe quasi amplecti, fouere :

Cat., XLV, 2 : Acmen tenens in gremio; — cf. Cat., LXXII, 2; Tib., I, I, 46, 60; I, II, 73; Prop., II, XXXII, 37; Ou., *Am.*, I, XIII, 39; *Her.*, III, 117; XIII, 157; XVII, 104, 183; XIX, 140.

Saepe quoque obscenum sensum habet idem uerbum :

Cat., XI, 18 : quos simul conplexa tenet trecentos; — cf. Tib., I, V, 39; I, VI, 35; II, VI, 52; Ou., *Am.*, III, VII, 3; III, XI, 11; *Her.*, XV, 216, 227.

Quod uero ad animos spectat, eos amore *teneri* nonnumquam dicunt poetae :

Tib., I, II, 27 : quisquis amore tenetur; — cf. Ou., *Her.*, IX, 12; XX, 125.

Tenere amantem est modo sibi conciliare eius amorem :

Cat., LXIV, 28 : tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? — cf. Prop., II, XVI, 28; II, XXI, 12; IV, V, 38; IV, VII, 72, 93; Ou., *Am.*, II, XVII, 12; *Her.*, II, 103; XV, 94, 310; XIX, 32; *Ars Am.*, II, 483; III, 563;

modo eundem amorem sibi seruare diu :

Tib., II, IV, 3 : teneorque catenis; — cf. Ps. Tib., IV, V, 15; Prop., II, XX, 19, 20; Ou., *Am.*, II, XVII, 16; *Her.*, XV, 154; *Ars Am.*, I, 92; II, 12, 103, 111, 295; *Rem.*, 272, 457.

Tenere aut *retinere* est quoque discessionem amantis inpedire :

Cat., LV, 17 : num te lacteolae tenent puellae? — cf. Tib., I, I, 55; Ou., *Her.*, XVII, 213; *Rem.*, 213, 529.

Tenere et *teneri* quoque dicuntur de iis qui uno amore sunt contenti :

Prop., IV, XI, 68 : fac teneas unum nos imitata uirum; — cf. Prop., II, III, 45.

Digitized by Google

Detinere est aliquotiens seu morari :

Tib., I, VIII, 74 : et cupidum ficta detinuisse mora; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 650;

seu intentum tenere :

Ou., *Her.*, XIII, 20 : uela diu uultus detinuere meos.

Tener proprie est fragilis simul ac uenustus. Hoc uocabulum refertur :

ad uitem :

Cat., LXII, 51;

ad rosas :

Prop., I, XVII, 22;

ad infantes aut adulescentulos :

Cat., LXI, 211; Prop., II, VI, 10; Ou., *Am.*, I, XIII, 18; *Her.*, IV, 25; IX, 22; XV, 256.

Et, quod peculiariter ad sermonem amatorium pertinet, omnes corporis partes *tenerae* uocantur :

artus :

Ou., *Her.*, XIX, 117; *Med.*, 51;

oculi :

Ou., *Ars Am.*, I, 129;

genae :

Tib., I, I, 68; I, IV, 14; I, X, 55; Ps. Tib., III, IV, 32; Ou., *Am.*, II, V, 46; *Med.*, 100; *Ars Am.*, I, 532; II, 452; III, 568;

os :

Ou., *Am.*, III, VI, 60;

labra :

Ou., *Ars Am.*, I, 667;

collum :

Prop., II, I, 68;

sinus :

Ou., *Am.*, III, VI, 68;

papillae :

Cat., LXI, 100;

lacerti :

Tib., I, V, 43; Prop., III, VI, 13; IV, III, 23; Ou., *Am.*, I, XIII, 5; *Her.*, XVII, 213; *Ars Am.*, I, 231;

manus :

Tib., II, III, 10; Ps. Tib., IV, III, 8; IV, VI, 2; Prop., III, III, 34; III, VII, 48;

digiti :

Cat., LXIII, 10; Ou., *Am.*, I, IV, 22; II, XV, 22;

Digitized by Google

ungues :
Prop., I, xx, 39;

latus :
Tib., I, v, 62; Ou., *Am.*, II, iv, 30;

femur :
Cat., LXIX, 2;

pedes :
Tib., I, ix, 30; Prop., I, viii, 7; Ou., *Am.*, I, iv, 44; *Her.*, XV, 66; *Ars Am.*, II, 212, 534; *Fast.*, I, 410.

Tenerae puellae, *teneri* pueri saepissime uocantur, ita ut haec uox elegantem delicatumque leporem significet :
Cat., LXIII, 88 : teneram Attin; — cf., Cat., XVII, 15; Tib., I, iii, 63; I, iv, 9, 58; I, x, 64; II, i, 61; Ps. Tib., IV, iv, 1; Prop., II, xxv, 41; Ou., *Am.*, II, i, 33; II, xiv, 37; III, i, 27; III, iii, 25; III, iv, 1; III, vii, 53; *Her.*, XIV, 87; XVIII, 127; *Ars Am.*, I, 403, 405; II, 110, 745; III, 31.

Aliquotiens *tener* est quasi uirgineus :
Cat., LXI, 3 : qui rapis teneram ad uirum uirginem; — cf. Ou., *Her.*, II, 143;

aut quasi infirmus :
Tib., I, viii, 51 : parce, precor, tenero; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 7.

Alio sensu *tenerum* dicitur quodcumque facile mouetur :
Tib., I, i, 64 : neque in tenero stat tibi corde silex; — cf. Ou., *Am.*, III, x, 27.

Alias *tener* pro uoluptario ponitur :
Tib., I, viii, 36 : et teneros conserit usque sinus; — cf. Tib., I, i, 46; I, ii, 73; I, vi, 33; Ou., *Am.*, I, vi, 11; *Med.*, 17; *Trist.*, II, 537.

Hoc sensu *tenera* dicuntur carmina amatoria :
Cat., XXXV, 1 : poetae tenero; — cf. Ou., *Am.*, II, i, 4; III, viii, 2; *Ars Am.*, II, 273; III, 333; *Rem.*, 757.

Hoc quoque sensu dicuntur *teneri* amores :
Ou., *Am.*, III, i, 69; *Trist.*, II, 361; III, iii, 72; IV, x, 1; *Fast.*, IV, 196.

Dicuntur quoque *teneri* et Amor :
Tib., I, iii, 57; II, vi, 1; Ou., *Am.*, II, xviii, 4, 19; III, xv, 1; *Ars Am.*, I, 7;

et Bacchus :
Tib., II, iii, 63; Ou., *Am.*, III, ii, 53.

Denique *tener* uocatur somnus, quasi suauis et iucundus :
Ou., *Her.*, XII, 170; *Ars Am.*, II, 546.

Tenor est lenta rei uenereae peragendae ratio :
Ou., *Ars Am.*, II, 729.

Tenuis dicitur aliquando corporis statura, in deteriorem partem :
Cat., LXXXIX, 1.

Digitized by Google

Tenues dicuntur saepe uestes puellarum :
Tib., I, x, 61; II, III, 53; Prop., I, II, 2; Ou., *Am.*, III, I, 9; III, II, 36;

saepe quoque capilli :
Tib., I, IX, 68; Ou., *Am.*, I, XIV, 5; III, X, 3;

Tepidus, cum ad corpus pertinet, semper idem ualet atque calidus :
Cat., LXVIII, 29 : frigida deserto tepefactet membra cubili; — cf. Cat., LXIII, 65; Prop., I, XVI, 22; IV, VII, 20; Ou., *Her.*, III, 114; X, 54; *Ars Am.*, II, 360; III, 212, 622.

Cum uero ad amoris ignes refertur, interdum quidem eundem retinet sensum :
Ou., *Am.*, II, III, 6 : si tuus in quauis praetepuisset amor; — cf. Ou., *Her.*, XI, 26;

sed saepius amorem parum ardentem significat :
Prop., I, XIII, 26 : nam tibi non tepidas subdidit ille faces; — cf. Ou., *Am.*, II, II, 53; II, XIX, 15; *Ars Am.*, II, 445; *Rem.*, 7, 434, 629.

Terere est consumere ac delere seu corpus :
Prop., IV, VII, 10 : summaque Lethaeus triuerat ora liquor;

seu amorem :
Prop., II, XXV, 17 : nullo teritur amor.

Terere pectus amore est exercere amorem :
Prop., III, XX, 6.

Denique femina *trita* turpiter dicitur cum nimis libidini indulsit :
Prop., III, XI, 30.

Teres corporis partem significat leuem ac quasi politam :
Cat., LXI, 174 : bracchiolum teres; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 622.

Taeter pro saeuo et crudeli ponitur translatiue :
Cat., LXXVI, 25 : taetrum hunc deponere morbum; — cf. Cat., LX, 3.

Tetricus est quasi austerus :
Ou., *Am.*, III, VIII, 61 : exacquet tetricas licet illa Sabinas; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 721.

Thalamus plerumque usurpatur cum de deabus, heroinis, reginis, agitur :
Cat., LXVIII, 104 : Paris otia pacato degeret in thalamo; — cf. Cat., LXVI, 17; Prop., I, XV, 18; II, XV, 14; III, XII, 31; Ou., *Am.*, I, V, 11; III, IV, 21; *Her.*, II, 117; III, 72; V, 92; VI, 93; VII, 124; VIII, 96, 107; XI, 91; XII, 57, 86; XIV, 31; XV, 20, 136; XIX, 153; XX, 138, 172; *Ars Am.*, I, 311, 697; II, 407; *Fast.*, III, 553;

aut etiam de patriciis matronis :
Cat., LXI, 185.

Digitized by Google

Nonnumquam tamen fit ut etiam ad cotidianam amantium uitam referatur hoc uocabulum :

Prop., III, x, 31 : annua soluamus thalamo sollemnia nostro; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 19; *Ars Am.*, II, 260, 617, 704; III, 228, 560, 592, 807; *Rem.*, 670, 727.

Timere dicuntur amantes seu pericula sua :

Prop., II, XXIV, 30 : iam tibi de timidis iste proteruus erit;

seu ea quae inpendent iis quos amant :

Ou., *Her.*, IX, 42 : speque timor dubia spesque timore cadit; — cf. Ou., *Her.*, VI, 38, 73; XII, 61; XIII, 51, 124;

seu raptum :

Prop., III, VII, 13 : infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae[1];

seu amantis iram truculentam :

Ou., *Am.*, I, VII, 45 : timidae inclamasse puellae;

seu uirorum custodiam :

Tib., II, I, 77 : et pedibus praetemptat iter suspensa timore; — cf. Tib., I, II, 15, 24; Prop., II, XXIII, 14, 19; III, XII, 17; III, XIV, 23; Ou., *Am.*, III, IV, 30, 32; *Ars Am.*, II, 730; III, 606, 609, 613; *Rem.*, 33;

seu denique malam famam :

Ou., *Her.*, XVIII, 172 : uel timidus famae cedere uellet amor; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 8; *Her.*, XVI, 177.

Quae omnia proprie accipiuntur. Haec autem magis amatorie, cum amantes *timere* dicuntur ne nimiae dominationi subiciantur :

Prop., III, XI, 8 : tu nunc exemplo disce timere meo;

aut ne parum placeant et amentur :

Prop., I, XVIII, 25 : omnia consueui timidus perferre superbae iussa; — cf. Prop., I, V, 10; III, XVII, 12; III, XXV, 18; Ou., *Her.*, XIX, 13; *Ars Am.*, III, 477;

aut inprimis ne fallantur et decipiantur :

Tib., I, VI, 21 : exibit quam saepe, time; — cf. Tib., I, V, 69; IV, XIII, 18; Prop., I, XI, 18, 20; II, VI, 13; II, XXXIV, 20; III, VIII, 15; Ou., *Am.*, I, IV, 42, 45; I, X, 7, 9; *Her.*, X, 98; XVI, 174, 216, 233; XVIII, 110, 112; *Ars Am.*, II. 445; III, 455, 699, 720; *Rem.*, 545.

Denique *timidae* dicuntur puellae sine ullo certo ac proprio sensu :

Ou., *Am.*, III, XIII, 23 : qua uentura dea est, iuuenes timidaeque puellae...

Tiro dicitur qui amare incipit :

Ou., *Ars Am.*, III, 506 : multaque tironi non patienda feret.

Tollere proprie est rapere :

Ou., *Ars Am.*, I, 128 : sublatam cupido uir tulit ipse sinu.

Translatiue autem dicitur amorem *tolli* cum destruitur :

Prop., II, III, 8 : differtur, numquam tollitur ullus amor; — cf. Ou., *Rem.*, 541.

1. Ibi insuper adnotandum est *timorem* dici eum qui timetur, sicut saepissime amor dicitur is qui amatur.

Digitized by Google

Tormenta uocantur aliquando amantium dolores :

Prop., III, VIII, 17 : his ego tormentis animi sum uerus haruspex; — cf., Ou., *Am.*, III, x, 16.

Torpere eum languorem, eam infirmitatem significat, cuius causa est aut amor, aut dolor :

Cat., LI, 9 : lingua sed torpet; — cf. Ou., *Her.*, X, 44.

Torpor pro morbo ponitur :

Cat., LXXVI, 21 : subrepens imos torpor in artus.

Alias *torpere* dicitur qui amorem parum sentit :

Ou., *Ars Am.*, II, 443 : ubi pigra situ securaque pectora torpent;

aut ueneream uoluptatem :

Ou., *Ars Am.*, III, 799 : cui torpet hebes locus ille; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 35.

Torqueri dicuntur amantes cum timent pro eorum salute quos amant :

Ps. Tib., IV, IV, 11 : neu iuuenem torque, metuit qui fata puellae; — cf. Ou., *Her.*, IX, 36;

aut cum amorem suum intellegunt repelli ac despici :

Tib., I, VIII, 49 : neu Marathum torque; — cf. Tib., I, IV, 81; I, V, 5; II, VI, 17; Prop., III, XVII, 11;

aut cum metuunt ne fallantur :

Tib., IV, XIV, 4 : quid miserum torques, rumor acerbe? — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 46; II, V, 53; II, XIX, 34; *Her.*, XIX, 123.

Denique *torquere* aliquotiens est amorem inicere[1] :

Ou., *Ars Am.*, II, 124 : et tamen aequoreas torsit amore deas; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 176; II, 355.

Torreri saepe dicuntur amantes amoris ignibus :

Cat., C, 7 : cum uesana meas torreret flamma medullas; — cf. Prop., III, XXIV, 13; Ou., *Am.*, III, II, 40; *Rem.*, 491.

Torus saepissimè proprio sensu accipitur :

Cat., LXI, 165 : uir tuus Tyrio in toro; — cf. Tib., I, II, 56, 75; I, III, 26; I, VIII, 62; II, VI, 38; Prop., II, IX, 16; II, XVII, 4; II, XXVI, 24; II, XXIX, 35; III, X, 2; III, XIII, 36; III, XX, 14; III, XXI, 8; IV, III, 56; IV, V, 24; IV, VIII, 88; IV, XI, 86; Ou., *Am.*, I, IV, 15; I, V, 2; I, XIV, 20; II, IV, 14, 34; II, X, 18; II, XI, 31, 47; II, XIX, 42; III, I, 51; III, V, 42; III, VII, 4, 78; III, IX, 34; III, X, 2; III, XIV, 32; *Her.*, III, 100, 117; V, 14, 88, 106; VI, 20; VIII, 108; X, 12, 14, 51, 55; XII, 30; XIV, 38; XV, 264, 318; XVI, 194; XVIII, 158; XIX, 134; XX, 192; *Ars Am.*, I, 487; II, 370, 712; III, 264, 782; *Rem.*, 432, 770; *Pont.*, I, X, 34.

Translatiue autem *torus* ponitur modo pro coniugio :

Prop., III, XII, 6 : et quisquis fido praetulit arma toro; — cf. Prop., IV, IV, 62;

1. Apud Prop., III, VI, 39 (me quoque consimili inpositum torquerier igni), *torqueri* ad dolores amantis pertinet.

Digitized by Google

Ou., *Am.*, III, vi, 82; *Her.*, II, 41; VI, 104; VIII, 20; XII, 193; XV, 286; XVI, 20; XIX, 154; XX, 140; *Ars Am.*, I, 564; *Trist.*, II, 340; *Pont.*, I, ii, 134; II, viii, 29; III, i, 118; III, iii, 50; *Fast.*, II, 729; III, 484; IV, 602; V, 206;

modo pro amore :

Ps. Tib., III, vi, 60 : ignotum cupiens uana puella torum; — cf. Ps. Tib., IV, x, 6; Prop., II, xxiii, 22; III, xx, 10, 26; IV, v, 6; IV, viii, 28; Ou., *Am.*, II, vii, 18; II, xi, 7; *Her.*, XVIII, 100; *Ars Am.*, I, 566; *Rem.*, 456, 778; *Trist.*, II, 534;

modo pro meretricia uita :

Ou., *Am.*, I, x, 41 : turpe tori reditu census augere paternos; — cf. Ou., *Am.*, I, x, 44.

Toruus est modo seuerus :

Ou., *Her.*, XVI, 16 : nec sedeo duris torua superciliis;

modo iratus :

Ou., *Ars Am.*, II, 453 : quem toruis spectet ocellis.

Totus a nostris poetis interdum usurpatur, cum amantium animos integros captos significare uolunt :

Cat., LXIV, 93 : imis exarsit tota medullis; — cf. Cat., LXIV, 69, 70; Prop., III, xix, 14; IV, vii, 72.

Toxica translatiue uocantur amantium dolores :

Prop., I, v, 6 : bibere e tota toxica Thessalia.

Tractare uenerem est amori incumbere :

Tib., I, i, 73.

Tractabilis dicitur amans, sicut aeger, cum iam remedia ferre potest :

Ou., *Rem.*, 123.

Tradere est proprie uxorem in manus uiri dare :

Cat., LXII, 60 : pugnare, cui pater tradidit ipse; — cf. Ou., *Her.*, VIII, 32.

Alias *tradere* est uincendum et capiendum dare aliquem seu amori :

Cat., XCIX, 11 : infesto miserum me tradere amori;

seu amanti :

Ou., *Ars Am.*, III, 46 : traditur armatis uulgus inerme uiris.

Tradere corpora est uenerem non negare :

Cat., LXVI, 81.

Trahere est in amorem inducere :

Prop., I, ii, 19 : nec Phrygium falso traxit candore maritum; — cf. Prop., III, vi, 28; Ou., *Ars Am.*, I, 631; III, 422.

Alias *trahere* est sub suam dominationem rapere :

Prop., III, xi, 2 : et trahit addictum sub sua iura uirum; — cf. Ou., *Her.*, XII, 35.

Digitized by Google

Tranquillo flumini conparatur prosperi amoris cursus :
Prop., II, IV, 19.

Transferre amores est nouo amori se dare :
Prop., I, XII, 18 : sunt quoque translato gaudia seruitio; — cf. Prop., II, XV, 35.

Tremere dicuntur amantes :
seu maerore ob amorem spretum :
Prop., I, V, 15 : et tremulus maestis orietur fletibus horror;
seu quia timent ne fallantur :
Prop., II, XXXIV, 20 : stultus, quod stulto saepe timore tremo; — cf. Ou., *Her.*, V, 38, 68;
seu paenitentia :
Prop., I, XV, 38 : nec tremis admissae conscia nequitiae;
seu pauore e periculis orto :
Ou., *Her.*, X, 140 : litteraque articulo pressa tremente labat; — cf. Ou., *Her.*, XIV, 41;
seu uoluptatis ardore :
Ou., *Ars Am.*, II, 721 : oculos tremulo fulgore micantes.

Trepidare est modo amoris iugum abnuere :
Prop., II, III, 49 : sic primo iuuenes trepidant in amore feroces;
modo timere :
Ou., *Ars Am.*, III, 722 : pulsantur trepidi corde micante sinus.

Tributa petere dicitur Venus ex iis quibus amorem inponit :
Ou., *Her.*, IV, 54.

Triste dicitur quod lugubre est ac funestum :
Tib., I, I, 62 : tristibus et lacrimis oscula mixta dabis; — cf. Prop., II, VII, 12;
et quod mali ominis est :
Ps. Tib., III, IV, 42 : edidit haec dulci tristia uerba modo; — cf. Ou., *Am.*, III, XII, 1;
et quod iniucundum est ac molestum :
Ps. Tib., IV, IX, 1 : scis iter ex animo sublatum triste puellae? — cf. Ps. Tib., IV, VIII, 2; Prop., I, XI, 19; II, VI, 39; II, XXXIII, 1; Ou., *Am.*, I, XII, 1; III, VII, 72; *Her.*, VII, 180; *Ars Am.*, III, 601; *Rem.*, 233, 585;
et quod uisu parum suaue est :
Tib., II, III, 65 : haud inpune licet formosas tristibus agris abdere; — cf. Ou., *Am.*, I, VII, 67;
aut gustatu :
Cat., XCIX, 14 : sauiolum tristi tristius elleboro; — cf. Tib., II, IV, 12.

Tristes dicuntur qui aliquo amoris dolore laborant :
Cat., LXIV, 126 ; tristem conscendere montes; — cf. Cat., II, 10; LXV, 24;

Digitized by Google

LXVIII, 56; Ps. Tib., III, vi, 34, 38; Prop., I, xvi, 14; II, xx, 2; III, vi, 15; Ou., *Her.*, VII, 70; XIII, 14, 42; XVII, 29; *Ars Am.*, I, 678; *Rem.*, 583.

Tristes quoque dicuntur qui iracundi sunt ac difficiles :

Prop., I, x, 21 : tu caue ne tristi cupias pugnare puellae; — cf. Ou., Prop., I, xviii, 10; Ou., *Her.*, III, 90;

et qui seueri et amori repugnantes :

Ou., *Her.*, XVI, 15 : si non est ficto tristis mihi uultus in ore; — cf. *Am.*, III, x, 43; *Ars Am.*, I, 483.

Ideoque, cum de carminibus agitur, *tristes* dicuntur libri qui non de amore facti sunt :

Prop., I, ix, 13 : tristes istos conpone libellos; — cf. Ou., *Trist.*, II, 493.

Tristes etiam dicuntur qui erga amantes sunt crudeles :

Tib., I, viii, 28 : persequitur poenis tristia facta Venus; — cf. Tib., II, iv, 3; Ps. Tib., IV, iv, 22; Prop., I, vi, 10; II, xxxiv, 6; Ou., *Her.*, XVII, 46; II, xviii, 33.

Denique *tristes* sunt aut Venus aut Amor cum amantibus non fauent :

Tib., II, iii, 33 : cui tristi fronte Cupido imperitat; — cf. Tib., I, vi, 2; Prop., I, xiv, 16.

Triumphus est plerumque uictoria Amoris de hominibus parta :

Prop., II, viii, 40 : mirum, si de me iure triumphat Amor? — cf. Ou., *Am.*, I, ii, 25, 28, 39, 49; II, ix, 16; II, xviii, 18.

Dicitur quoque *triumphare* aut puella quae uiris placet :

Prop., IV, viii, 17 : Appia, dic, quaeso, quantum te teste triumphum egerit;

aut amans qui puellam deuicit :

Ou., *Am.*, II, xii, 16 : o cura parte triumphe mea; — cf. Ou., *Am.*, II, xii, 1.

Tropaea ponere dicuntur uiri qui puellarum amores sibi peperunt :

Ou., *Her.*, IV, 66 : ponite de nostra bina tropaea domo;

aut qui amoris dominationem effugerunt :

Ou., *Rem.*, 158 : refer ad patrios bina tropaea deos.

Trux aliquando pro barbaro ponitur :

Ou., *Ars Am.*, II, 477 : blanda truces animos fertur mollisse uoluptas.

Saepius *truces* dicuntur qui amori repugnant :

Prop., II, xxxiv, 50 : trux tamen a nobis ante domandus eris; — cf. Ou., *Her.*, IV, 73; *Ars Am.*, II, 186.

Tumere dicuntur animi affectu aliquo nimio et uiolento, amore, dolore, odio, superbia :

Prop., III, vi, 3 : num me laetitia tumefactum fallis inani? — cf. Ou., *Her.*, VIII, 57; XV, 136; *Ars Am.*, I, 715;

Digitized by Google

oculi autem lacrimis[1] :

Ou., *Am.*, III, vi, 79 : uestem tumidis praetendit ocellis.

Tumultus dicuntur amantium timores :

Prop., III, xv, 1 : sic ego non ullos iam norim in amore tumultus.

Turba est magnus numerus seu puellarum aut puerorum :

Tib., I, iv, 9 : o fuge te tenerae puerorum credere turbae; — cf. Ou., *Am.*, II, ix, 53;

seu amantium :

Ps. Tib., IV, iv, 18 : frustra credula turba sedet; — cf. Prop., II, vi, 3; III, xiv, 29.

Turbati dicuntur proprie capilli :

Tib., I, iii, 91 : longos turbata capillos; — cf. Ou., *Am.*, III, xiv, 33;

translatiue autem animi qui uehementer conmouentur seu dolore :

Ou., *Ars Am.*, III, 683 : te moderate iniuria turbet; — cf. Ou., *Her.*, XVII, 172;

seu amore :

Ou., *Ars Am.*, II, 563 : insano Veneris turbatus amore.

Eundem sensum habet *turbo*.

Ou., *Am.*, II, ix, 28 : nescio quo miserae turbine mentis agor.

Turgidus modo ad oculos pertinet :

Cat., III, 18 : turgidoli rubent ocelli;

modo ad corporis staturam :

Ou., *Ars Am.*, II, 661 : dic, quae turgida, plenam; — cf. Ou., *Rem.*, 327.

Turpis saepe ad corpus pertinet et contrarius est pulchro :

Cat., XLI, 3 : ista turpiculo puella naso; — cf. Prop., I, xviii, 16; II, xviii, 26; II, xxx, 18; III, xxii, 36; IV, v, 4; Ou., *Her.*, IV, 34; *Ars Am.*, I, 534, 723, 728; III, 218, 249, 255, 290, 753; 783; *Rem.*, 412, 708; *Fast.*, II, 179.

Quod ad animos et mores spectat, *turpis* est saepe idem atque indignus :

Cat., LXI, 99 : probra turpia persequens; — cf. Cat., XCI, 4; Ps. Tib., III, vi, 37; IV, ii, 4; Prop., I, xvi, 7, 22; II, iii, 4; II, v, 23; II, xvi, 36; III, xi, 3; III, xv, 21; III, xxi, 33; IV, vi, 22; IV, viii, 19; Ou., *Am.*, I, vii, 47; II, viii, 14; II, xvii, 1; III, viii, 8; III, xi, 2, 21; *Her.*, II, 57; V, 97, 144; VI, 133; VIII, 25; IX, 134; XV, 174; XVI, 114; XIX, 145; *Ars Am.*, I, 733; II, 404, 534, 630; III, 80, 379, 765; *Rem.*, 64, 200, 314, 639.

Hoc sensu personae quoque *turpes* dicuntur :

Cat., XLII, 3 : iocum me putat esse moecha turpis; — cf. Prop., I, iv, 10; I, xvi, 12; IV, xi, 50; Ou., *Am.*, I, vi, 72; I, xiii, 36; II, x, 4; II, xvii, 2; III, vi, 76; *Her.*, V, 70; XIII, 133.

1. Hoc uerbum obscene intelligi debet, si tamen textus certus est, apud Tib., I, viii, 36.

Digitized by Google

Turpe est quoque quod uirtuti pudorique contrarium est :
Prop., II, VI, 28 : et posuit casta turpia uisa domo; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 749; *Trist.*, II, 211, 444; *Pont.*, I, I, 7; *Fast.*, III, 488.

Turpe est etiam quasi ridendum :
Tib., I, IV, 83 : ne turpis fabula fiam; — cf. Ou., *Am.*, I, IX, 4; *Ars Am.*, III, 367.

Denique *turpis* dicitur in re uenerea infirmitas :
Ou., *Am.*, III, VII, 45, 66; *Rem.*, 780.

Tutela, tueri, proprie dicuntur de custodia puellarum :
Prop., III, XIV, 23 : nec timor aut ulla est clausae tutela puellae; — cf. Prop., II, VI, 40; II, XIX, 16; Ou., *Am.*, III, IV, 2.

Aliquando *tutela* dicitur de armis quibus uincere conantur feminae :
Ou., *Med.*, 43 : prima sit in uobis morum tutela.

Tuti dicuntur qui perfidiam iniuriamue non metuunt :
Cat., XXX, 8 : inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent; — cf. Tib., IV, XIII, 6; Prop., I, I, 32; II, IV, 19;

et qui ab Amoris ictibus nihil formidant :
Prop., II, XII, 11 : ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem; — cf. Ou., *Rem.*, 144, 347, 580, 650, 669, 763;

et ii qui nulla in amore pericula timenda habent :
Ou., *Ars Am.*, I, 33 : nos uenerem tutam concessaque furta canemus; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 603.

Tuus, tua, significant uel animi subiectionem :
Tib., IV, XIII, 21 : tuus usque manebo; — cf. Tib., I, IX, 80; Ps. Tib., IV, IV, 17; Prop., II, IX, 46; Ou., *Her.*, I, 83; VI, 60; XII, 82;

uel corporis possessionem :
Prop., I, IX, 26 : aerius illa subit, Pontice, si qua tua est; — cf. Ou., *Her.*, XX, 186.

Nec solum qui amant hac uoce significantur, sed etiam qui amantur fideliter :
Ou., *Her.*, VII, 168 : dum tua sit, Dido quidlibet esse feret; — cf. Ou., *Her.*, V, 6, 157, 158; VI, 18.

Eisdem uocabulis poetae utuntur ut animi affectum ostendant[1] :
Prop., III, XII, 4 : ne faceres Galla multa rogante tua; — cf. Prop., II, XXIV, 2 : Ou., *Her.*, I, 1; II, 1, 98; *Ars Am.*, II, 356;

peculiariter cum uerbis *puella*, *femina*, *puer*, etc. :
Tib., I, IV, 39 : puero quodcumque tuo temptare libebit; — cf. Ps. Tib., IV, XI, 1; Prop., III, XV, 21; Ou., *Ars Am.*, II, 249; *Rem.*, 331, 537, 774.

1. Adde Ou., *Am.*, I, VIII, 57 (iste tuus uates), ubi *tuus* ironice ponitur.

Digitized by Google

Denique *tua* aliquotiens substantiue ponitur pro *tua puella* :
Prop., I, IX, 22 : et nihil iratae posse negare tuae; — cf. Ou., *Rem.*, 492, 573.

Vacuus saepe proprio sensu accipitur :
Prop., II, II, 1 : uacuo meditabar uiuere lecto; — cf. Prop., I, XV, 18; III, VI, 23, 33; Ou., *Am.*, II, XIX, 42; III, IX, 34; III, X, 2; *Ars Am.*, II, 370.

Translatiue *uacui* dicuntur qui sine amore uiuunt :
Prop., III, XVII, 11 : uacuos nox sobria torquet amantes; — cf. Prop., I, I, 34; I, IX, 27; I, X, 30; I, XIII, 2; I, XIX, 6; II, IX, 19; II, XXXIII, 22; Ou., *Am.*, I, I, 26; *Rem.*, 752;

aut qui a curis et laboribus sunt inmunes :
Prop., III, XVII, 41 : seruitio uacuum me siste superbo; — cf. Ou., *Rem.*, 150.

Vafer pro callido et astuto ponitur :
Ou., *Her.*, XIX, 30 : consultoque fui iuris Amore uafer; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 332, 611.

Vagi crines dicuntur qui non uincti sunt :
Prop., II, XXII, 9.

Vagae puellae uocantur quae liberrime uiuunt :
Prop., I, V, 7.

Peruagus puer dicitur Amor :
Ou., *Ars Am.*, II, 18.

Valere proprie ad uim corporis spectat :
Cat., LXI, 227 : ualentem exercete iuuentam; — cf. Cat., LXXXIX, 2;

et nonnumquam turpem habet significationem :
Prop., II, XXII, 24; Ou., *Am.*, III, VII, 67.

Translatiue autem dicuntur *ualere*, id est sani esse, qui ab amore sunt liberi :
Cat., LXXVI, 25 : ipse ualere opto; — cf. Ou., *Rem.*, 226, 231.

Alias hoc uerbum ad potentiam Amoris refertur :
Ps. Tib., III, VI, 17 : haec Amor et maiora ualet; — cf. Ps. Tib., IV, V, 15; Ou., *Ars Am.*, III, 543;

aut ad momentum cuius sunt in amore conciliando uariae causae :
Tib., II, IV, 20 : ite procul, Musae, si nihil ista ualent; — cf. Prop. I, I, 16; I, IX, 11; II, VII, 6;

ac peculiariter ad corporis dotes :
Prop., II, XXIX, 30 : quantum per se candida forma ualet! — cf. Ou., *Am.*, III, XI, 44.

Vana puella est inconstans ac leuis :
Ps. Tib., III, VI, 60 : ignotum cupiens uana puella torum.

Digitized by Google

Vanescere ad amorem refertur qui minor fit :
Ou., *Ars Am.*, II, 358.

Vapulare dicuntur qui ab Amore feriuntur :
Prop., II, XII, 20 : non ego, sed tenuis uapulat umbra mea.

Vdi dicuntur oculi quasi lacrimis umidi :
Prop., II, VII, 10.

Vecors dicitur amantium furor cum nimius est ac prope insanus :
Cat., XV, 14.

Velle est plerumque cupere :
Ou., *Rem.*, 298 : nec potes et uelles posse; — cf. Ou., *Rem.*, III, 217, 238;

praecipue quod ad amatorias cupiditates pertinet :
Cat., VIII, 7 : quae tu uolebas nec puella nolebat; — cf. Ps Tib., IV, 80; Prop., I, XIII, 36; Ou., *Am.*, II, XIX, 2; III, IV, 6; *Ars Am.*, I, 110; III, 586.

Alias *uelle* est pati libenter, amantis uoluntati consentire :
Ou., *Ars Am.*, I, 666 : uinci se tamen illa uolet; — cf. Ou., *Am.*, II, IV, 16; III, XI, 50, 52; *Ars Am.*, I, 274; II, 529.

Velle est quoque firmum habere consilium :
Ou., *Ars Am.*, III, 617 : adsit modo certa uoluntas; — cf. Ou., *Am.*, II, III, 16.

Denique *nolle* est amorem denegare :
Cat., VIII, 9 : nunc iam illa non uult; tu quoque, inpotens, noli; — cf. Cat., VIII, 7; Ou., *Am.*, III, XI, 52; *Her.*, XVI, 24; *Ars Am.*, I, 274.

Velis maioribus uti dicuntur qui nimium in uoluptate properant :
Ou., *Ars Am.*, II, 725.

Venari est quaerere amores :
Ou., *Med.*, 27 : quo uenentur amores, refert; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 253.

Vendere est interdum commendare :
Prop., I, II, 4 : teque peregrinis uendere muneribus; — cf. Ou., *Am.*, III, XII, 10;

saepius pro muneribus gaudia Veneris dare[1] :
Cat., CVI, 2 : se uendere discupere; — cf. Tib., I, IV, 59, 67; I, IX, 32, 51, 77; Prop., II, XVI, 21; Ou., *Am.*, I, X, 31, 34.

Venenum uitae uocatur perfidus saeuusque amicus :
Cat., LXXVII, 5.

Venenum dicitur quoque amor, cum hominibus nocet :
Prop., II, XII, 19 : intactos isto satius temptare ueneno.

1. Apud Prop., III, XIX, 21 (tuque o Minoa uenumdata, Scylla, figura), uenumdari est quasi seruire.

Digitized by Google

Venerari est proprie amantem humiliter colere et rogare :

Prop., II, xx, 33 : nec tu supplicibus me sis uenerata tabellis; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 307.

Alias *uenerari* nihil amplius esse uidetur quam *mirari* :

Ps. Tib., IV, ii, 10 : comptis est ueneranda comis.

Venia est Amoris erga uictos indulgentia :

Ou., *Am.*, I, ii, 21 : ueniam pacemque rogamus;

aut persona amatae erga amantem :

Ou., *Her.*, IV, 156 : da ueniam fassae.

Venire proprie est cum amante in certum locum certa hora conuenire :

Tib., II, i, 76 ; ad iuuenem tenebris sola puella uenit; — cf. Tib., I, viii, 65; Prop., II, xiv, 20; II, xviii, 30; II, xxii, 43, 46; II, xxv, 2; II, xxxi, 1; III, xxi, 8; III, xxiii, 15; Ou., *Am.*, I, xi, 5, 24; II, i, 34; III, vii, 80; *Her.*, III, 154; XVIII, 2, 24, 58, 115, 120; *Ars Am.*, II, 534, 579; *Rem.*, 505, 520.

Interdum *uenire* est amantis precibus dare consensum :

Prop., I, v, 32 : non inpune illa rogata uenit; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 11.

Venire dicitur amor cum incipit :

Prop., I, vii, 26 : saepe uenit magno fenore tardus amor; — cf. Ou., *Rem.*, 168.

Venter planus ac rugis carens laudatur :

Ou., *Am.*, I, v, 21; II, xiv, 7.

Venter grauidus nominatur aliquando :

Ou., *Am.*, II, xiii, 1; *Her.*, XI, 37.

Ventis saepe conparatur cursus amoris :

Ou., *Ars Am.*, III, 584; *Rem.*, 14, 531.

Ventosus dicitur Amor, quasi inconstans :

Ou., *Am.*, II, ix, 49.

Venus (dea) et **uenus** (amor, uoluptas) quomodo distinguantur iam diximus. Sed, ubi *uenus* scribi debet, non semper eundem sensum habet hoc uerbum.

Est enim *uenus* modo coniugale foedus :

Ou., *Her.*, XV, 285 : uenerem temerare maritam;

modo amor :

Cat., XLV, 20 : quis (uidit) uenerem auspicatiorem? — cf. Cat., LV, 20; Tib., I, iv, 21, 70; I, viii, 35; I, x, 66; II, iii, 35, 50; II, vi, 9; IV, xiii, 2; Prop., I, i, 33; III, xvii, 3; Ou., *Ars Am.*, I, 33, 244, 362; III, 564; *Rem.*, 143;

interdum uitae genus in libidine occupatum :

Prop., III, xiii, 2 : uenere exhaustae opes; — Ou., *Am.*, I, ix, 3; *Trist.*, II, 440;

Digitized by Google

saepius amatoria uoluptas :

Cat., LXVI, 15 : estne nouis nuptis odio uenus? — cf. Tib., I, I, 73; I, IV, 59; I, V, 8; I, VI, 14; I, VIII, 57; Prop., II, XV, 11; III, V, 23; III, X, 30; IV, V, 5, 33; IV, VIII, 34; Ou., *Am.*, I, IV, 21, 66; I, X, 33; II, IV, 40; II, VIII, 8; III, X, 47; *Her.*, III, 116; IV, 102; *Ars Am.*, I, 275, 386, 719; II, 414, 701; III, 466, 609, 793, 797; *Rem.*, 357, 800, 802, 805; *Trist.*, II, 310, 363; *Fast.*, I, 301, 307.

Hoc sensu parum honeste accipitur interdum id uerbum[1] :

Prop., II, XXII, 22 : haud umquam est culta labore uenus; — cf. Ou., *Am.*, III, XIV, 24; *Her.*, XV, 160; *Ars Am.*, III, 787; *Rem.*, 405; *Fast.*, IV, 228, 657.

Adde usitatissimum dicendi genus *uenerem iungere* aut *conmittere* :

Tib., I, IX, 76; Prop., IV, VII, 19; Ou., *Ars Am.*, II, 679; *Rem.*, 407; *Ibid.*, 331.

Plurali numero *ueneres* sunt modo puellarum uenustarum dotes :

Cat., LXXXVI, 6 : omnes subripuit ueneres.

modo amores :

Prop., II, X, 7 : aetas prima canat ueneres;

Venustus aliquando ad feminarum pulchritudinem refertur :

Cat., LXXXIX, 2 : tam uenusta soror; — cf. Cat., LXXXVI, 3;

sed potius ad mores et habitum :

Cat., XCVII, 9 : se facit esse uenustum; — cf. Cat., III, 2;

aut ad ingenii acumen :

Cat., XXII, 2 : homo est uenustus et dicax et urbanus; — cf. Cat., X, 4; XII, 5; XIII, 6; XXXV, 17; XXXVI, 17.

Veri nonnumquam conparatur iuuentus :

Cat., LXVIII, 16 : iucundum cum aetas florida uer ageret; — cf. Prop., IV, V, 57.

Verberare aliquando proprio sensu accipitur[2] :

Tib., I, X, 59-60 : suam quicumque puellam uerberat; — cf. Tib., II, III, 80.

***Verberare* dicitur Amor quos urget :**

Prop., III, X, 28 : quem graulbus pennis uerberet ille puer.

Verba sunt modo preces amantium :

Tib., I, V, 67 : nec uerbis uicta patescit ianua; — cf. Tib., II, I, 74; Prop., I, VI, 5; I, XIII, 32; II, IV, 21; II, V, 13; II, XXIII, 4; II, XXXIII, 23; II, XXXIV, 22; III, XIV, 31; III, XXIII, 6; III, XXV, 9; Ou., *Am.*, I, VI, 42; II, I, 22; III, XI, 31; *Her.*, III, 98; IV, 175; VII, 6; XII, 184; XV, 10; XVI, 111; XIX, 33, 76; *Ars Am.*, I, 83, 440, 453, 611, 709; III, 469, 471; *Rem.*, 286;

1. *Venus* uidetur dici amata puella apud Ou., *Am.*, II, VII, 21 (Ueneris famulae conubia).

2. Apud Ps. Tib., III, IV, 66 (saeuus Amor docuit uerbera posse pati) uerbera uidentur esse contumeliae.

Digitized by Google

modo blandi amatoriique sermones :

Tib., I, VIII, 2 : quidue ferant miti lenia uerba sono; — cf. Prop., III, XV, 8; Ou., *Her.*, XIII, 13; XVII, 4; *Ars Am.*, II, 152, 159; *Rem.*, 509;

aut uoluptaria uocabula :

Prop., III, X, 24 : et sint nequitiae libera uerba tuae; — cf. Prop., I, X, 6; I, XIII, 17; II, XV, 3; Ou., *Am.*, II, XIX, 17; III, VII, 12; III, XIV, 25; *Her.*, XIII, 153; *Ars Am.*, II, 460, 705, 724; III, 524, 706.

Alias *uerba* sunt amantium contemptorum infeliciumque questus :

Cat., LXVI, 29 : maesta uirum mittens quae uerba locuta es! — cf. Ps. Tib., III, V, 38, 52; Prop., I, XVIII, 21; II, XVII, 16; Ou., *Her.*, X, 38; XIII, 158; *Rem.*, 598.

Sunt quoque *uerba* eae notae quas amantes clam inter se conponunt :

Tib., I, II, 22 : blandaque conpositis abdere uerba notis; — cf. Prop., III, VIII, 25; Ou., *Am.*, I, IV, 19, 20; II, V, 20; III, XI, 24; *Ars Am.*, I, 574.

Verba ferocia nominantur eorum qui amare nolunt :

Tib., II, VI, 12 : excutiunt clausae fortia uerba fores; — cf. Prop., III, XI, 7; Ou., *Her.*, IV, 150.

Saepissime *uerba* pro promissis aut iureiurando ponuntur :

Tib., I, IX, 35 : illis eriperes uerbis mihi sidera caeli lucere; — cf. Ps. Tib., III, VI, 51; Prop., II, V, 28; II, XXII, 44; III, XX, 5; Ou., *Am.*, II, XVI, 45; III, XIV, 46; *Her.*, II, 25, 26, 49, 65; VI, 110; XII, 92; XV, 322; XVI, 40; XX, 143; *Ars Am.*, II, 166; III, 461; *Rem.*, 678, 722.

Et quia haec promissa saepissime falsa sunt, *uerbum* idem ualet ac mendacium :

Prop., II, IX, 31 : sed uobis facile est uerba et conponere fraudes;

ac praecipue in illo usitatissimo dicendi genere *dare uerba*, id est fallere, decipere :

Ou., *Am.*, II, XIX, 50; III, XIV, 29; *Her.*, XX, 121; *Ars Am.*, I, 721; II, 558; III, 618; *Rem.*, 34, 95.

Interdum *uerba* sunt maligni dicacesque sermones :

Prop., II, IX, 22 : forsitan et de me uerba fuere mala.

Nonnunquam hoc uocabulum nimiam parumque fidam loquacitatem significat :

Prop., II, XXV, 32 : nescio quo pacto uerba nocere solent.

Denique *uerba* sunt quasi erotici uersus :

Prop., III, II, 8 : turba puellarum si mea uerba colit.

Verecundus idem ualet ac pudicus, infamiam metuens :

Cat., LXVIII, 136 : rara uerecundae furta feremus erae; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 7; *Her.*, IV, 72; *Ars Am.*, II, 572.

Vereri est perfidiam amantis formidare :

Ou., *Her.*, XVIII, 109 : omnia sed vereor.

Digitized by Google

Versari aliquotiens proprium habet sensum, et est huc illuc uerti :
Cat., L, 11-12 : toto lecto uersarer; — cf. Prop., I, xiv, 12; II, xxii, 47.

Translatiue autem *uersari* amantes dicuntur, seu inter duos contrarios affectus animum habent diuisum :
Prop., III, xvii, 12 : spesque timorque animum uersat utroque modo; — cf. Ou., *Her.*, XII, 211; *Ars Am.*, III, 718;

seu nimio amore turbantur :
Prop., III, xi, 1 : quid mirare, meam si uersat femina uitam; — cf. Ou., *Am.*, I, ii, 8.

Denique *versare* animum est nonnumquam sollicitare, temptare :
Prop., IV, v, 61 : his animum nostrae dum uersat Acanthis amicae.

Versus simpliciter ponitur pro amatorio carmine :
Cat., VI, 17 : lepido uersu; — cf. Prop., IV, vii, 77.

Sic quoque *uersiculi* :
Cat., XVI, 3, 6; L, 4.

Versutus est quasi astutus, capiendi retinendique amoris peritus :
Ou., *Am.*, II, xix, 9 : uiderat hoc in me uitium uersuta Corinna.

Vertici conparatur rapidus uiolentusque amor :
Cat., LXVIII, 107.

Vertere idem ualet ac mutare :
Prop., II, viii, 7 : certe uertuntur amores; — cf. Prop., II, xxiv, 22; Ou., *Rem.* 270.

Verus saepe pro sincero ponitur :
Prop., III, vi, 35 : quae tibi si ueris animis est questa puella; — cf. Prop., II, xxix, 34; III, viii, 9.

Veri anni uidentur esse purae integraeque iuuentutis tempora :
Ou., *Ars Am.*, III, 61.

Vesani dicuntur qui suae mentis iam non sunt compotes, seu ob amorem nimium :
Cat., C, 7 : cum uesana meas torreret flamma medullas; — cf. Ou., Cat., VII, 10; Prop., II, xv, 29.

seu ob maerorem :
Prop., II, ix, 10 : candida uesana uerberat ora manu;

seu ob iram :
Ou., *Am.*, I, vii, 4 : uesana laesa manu; — cf. Ou., *Am.*, I, vii, 25.

Vesanus dicitur quoque, quasi inprudens et minus recti iudicii, qui ab amante, lucri causa, discedit :
Prop., III, xii, 7.

Digitized by Google

Vester amatoriam possessionem significat :
Ou., *Rem.*, 709 : formosis uestras conferte puellas; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 484, 522.

Aliquando hoc uocabulum substantiue ponitur :
Ou., *Ars Am.*, II, 557 : deprendere parcite uestras.

Vestigia amantium toris inpressa nonnumquam nominantur :
Tib., I, IX, 57 : semper sint externa tuo uestigia lecto; — cf. Prop., II, XXIX, 35; Ou., *Am.*, I, VIII, 97; *Her.*, X, 53.

Vetus aliquando est quasi seuerus aut durus :
Prop., II, XXXII, 47 : qui quaerit Tatios ueteres durosque Sabinos.

Vetus amor dicitur qui iampridem durat :
Ps. Tib., IV, VI, 20 : hic idem uotis iam uetus adsit amor; — cf. Ou., *Rem.*, 108.

Vexare est inquietum sollicitumque facere amantem :
Ou., *Am.*, II, XIX, 15 : sic ubi uexarat tepidosque refouerat ignes.

Via est ratio sese in amore gerendi :
Prop., II, XXV, 38 : unusquisque sua nouerit ire uia; — cf. Prop., I, I, 18.

Vices sunt saepe poena quam amans pro culpa rependere debet :
Prop., I, XIII, 10 : multarum miseras exiget una uices; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 370.

Alias id uocabulum ad amatorium officium refertur :
Ou., *Ars Am.*, III, 666 : saepe uicem dominae praebuit illa mihi.

Alias quoque *uices* sunt uenereae rei genera ac figurae :
Tib., I, IX, 64 : aut operum uarias disposuisse uices.

Videre est saepe quasi cupide et amanter uidere :
Tib., II, III, 77 : si copia rara uidendi; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 156, 388; III, 421.

Videre quoque refertur ad animi affectum qui uultu exprimitur :
Tib., II, IV, 59 : si modo me placido uideat Nemesis mea uultu.

Denique *uidere* translatiue ponitur pro sapere :
Prop., II, XIV, 18 : insano nemo in amore uidet.

Viduus saepe occurrit apud nostros poetas cum amantes sine amore uiuentes depingere uolunt, Id uerbum ad domos pertinet :
Ou., *Her.*, VIII, 21; IX, 35;

aut ad lectos :
Prop., II, IX, 16; Ou., *Am.*, II, X, 17; III, V, 42; *Her.*, I, 81; V, 106; X, 14; XV, 317, 318;

aut ad noctes :
Cat., VI, 6; Ou., *Her.*, XVIII, 69;

Digitized by Google

aut ad ipsas personas :

Prop., II, xxxiii, 17 : quidue tibi prodest uiduas dormire puellas? — cf. Ou., *Her.*, VIII, 86; *Ars Am.*, I, 102.

Viduum pectus amoris dicitur cum amore caret :

Ou., *Am.*, III, x, 18.

Vigere turpiter accipitur :

Ou., *Am.*, III, vii, 67.

Vigilare saepe dicuntur contempti desertiue amantes :

Tib., I, ii, 76 : cum fletu nox uigilanda uenit; — cf. Tib., I, viii, 64; Prop., I, ix, 28; I, xvi, 40; III, xv, 2; III, xx, 22; Ou., *Am.*, I, ix, 7; *Her.*, XII, 169; *Ars Am.*, I, 735.

Vilis aliquando proprie accipitur, quasi parui pretii :

Prop., IV, vii, 39 : quae modo per uiles inspecta est publica noctes; — cf. Prop., II, xxiv, 9; II, xxxiv, 71;

aut ad dignitatem refertur :

Ou., *Ars.*, I, 770 : uilis in amplexus inferioris eat;

sed saepius hoc uerbum pro neglegendo, contemnendo, ponitur :

Cat., LXXII, 6 : multo mi tamen es uilior et leuior; — cf. Prop., I, ii, 25; I, viii, 2; II, xiv, 12; Ou.. *Her.*, III, 41; XII, 187.

Vincere est aliquotiens inuitae puellae uim facere :

Ou., *Am.*, I, v, 15, 16 : quae, cum ita pugnaret, tamquam quae uincere nollet, uicta est non aegre proditione sua; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 666, 690, 700.

Saepius hoc uerbum ad animos refertur, et sic *uincere* est amorem alicuius capere, inpetrare[1] :

Tib., I, iv, 40 : obsequio plurima uincit amor; — cf. Tib., I, viii, 49; Ps. Tib., III, iv, 76; Prop., I, viii, 28; I, xvii, 15; II, xiv, 23; III, xi, 16; III, xii, 19; IV, iii, 12; Ou., *Am.*, I, ix, 29; I, xi, 25; II, xii, 2; II, xviii, 11; III, ii, 18, 46, 67; *Her.*, IV, 14; IX, 114; XIII, 61; XVI, 260; XX, 240; *Ars Am.*, I, 278, 394, 462, 477; II, 197, 512, 742; III, 3, 6, 563; *Fast.*, III, 688.

Amor quoque amantes *uincere* frequenter dicitur :

Tib., II, iii, 14 : quidquid erat medicae uicerat artis amor; — cf. Ps. Tib., III, vi, 16; Ou., *Am.*, I, ii, 20, 22, 50; II, ix, 6; *Her.*, IV, 153; IX, 26.

E contrario amorem *uincere* est amare desistere :

Ps. Tib., III, vi, 4 : saepe tuo cecidit munere uictus amor; — cf. Prop., II, xxx, 31; Ou., *Am.*, III, vi, 42; III, xi, 5; *Rem.*, 200, 260, 450, 462, 676.

Eadem uox usurpatur quotienscumque inter duos affectus pugna oritur :

Prop., III, xxv, 7 : fletum iniuria uincet; — cf. Ou., *Am.*, III, x, 29; III, xi, 1, 34; — cf. quoque Tib., I, vi, 58; iras aurea uincit anus.

1. Sic ianua precibus *uinci*, id est moueri, saepe dicitur : Tib., I, ii, 9; I, v, 67; Prop., I, xvi, 36.

Digitized by Google

Vinci est aliquando inferiorem esse ob aliquam causam :

Prop., II, xxv, 36 : tempore uincor ego.

Idem uerbum non raro ad rixas refertur inter amantes ortas :

Tib., I, x, 53 : uictor et ipse flet; — cf. Prop., IV, viii, 63; Ou., *Am.*, I, vii, 38;

aut ad contentiones litesque :

Ou., *Am.*, II, v, 7 : o utinam arguerem sic, ut non uincere possem! — cf. Ou., *Am.*, II, v, 12; II, vii, 2; III, xiv, 47, 50; *Rem.*, 668.

Alias *uincere* est uehementius ceteris amare :

Cat., LXVIII, 120 : sed tu horum magnos uicisti sola furores; — cf. Prop., III, xii, 38; Ou., *Her.*, XII, 180;

alias riuales superare :

Tib., II, iv, 30 : quae pretio uictos excludis amantes; — cf. Tib., I, v, 60; Prop., III, vi, 23, Ou., *Ars Am.*, I, 302; II, 539, 540; *Rem.*, 434;

alias praemium tenere pulchritudinis :

Ou., *Rem.*, 712 : uicit utramque Venus; — cf. Ou., *Her.*, XV, 70, 75, 76, 79; *Ars Am.*, I, 248, 684.

Victus uoluptate est quasi lassus :

Ou., *Ars Am.*, II, 691 : adspiciam dominae uictos amentis ocellos; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 728.

Vincire aliquotiens proprium habet sensum, nam *uincire* collum est amplecti :

Prop., III, xv, 9-10 : nec femina post te ulla dedit collo dulcia uincla meo; — cf. Prop., I, xiii, 15.

Translatiue autem *uinclis* significantur et Amoris aut Veneris dominatio :

Tib., II, iv, 4 : et numquam misero uincla remittit Amor; — cf. Tib., I, ii, 90; Ps. Tib., IV, v, 14; Prop., II, xxix, 6; III, xxiv, 14; Ou., *Am.*, I, ii, 30; *Rem.*, 213, 294, 520;

et amantium erga quos amant humilis subiectio :

Tib., I, ix, 79 : cum me uinctum puer alter habebit; — cf. Tib., I, i, 55[1]; II, iii, 80; Prop., III, xi, 4; Ou., *Her.*, XIX, 86; *Fast.*, IV, 224;

et mutui amoris consensus[2] :

Tib., II, ii, 18 : flauaque coniugio uincula portet Amor; — cf. Ps. Tib., IV, vi, 8; Prop., II, xv, 23; III, xx, 23;

aut promissi iurisiurandique fides :

Prop., III, xx, 21 : ubi non certo uincitur foedere lectus; — cf. Ou., *Her.*, XIX, 212; *Fast.*, IV, 602.

Vindicta dicitur recuperata libertas eorum qui amorem deponere potuerunt :

Ou., *Rem.*, 74 : uindictae quisque faucte suae; — cf. Ou., *Rem.*, 96, 293.

1. Optimi enim Mss. *uinctum* habent, non *uictum*.
2. Cf. Cat., LXI, 33 (mentem amore reuinciens), ubi de Hymenaeo agitur.

Digitized by Google

Violare nonnumquam est fidem promissaque abrumpere[1] :

Cat., LXXVI, 3 : nec sanctam uiolasse fidem ; — cf. Tib., I, IX, 2, 19; Ou., *Ars Am.*, II, 381.

Violare deos est eos profano more lacessere :

Tib., II, IV, 24 : sed Venus ante alios est uiolanda mihi ; — cf. Prop., I, VII, 16.

Violare est saepe quasi adgredi aut temptare :

Tib., I, VI, 51 : parcite, quam custodit Amor, uiolare puellam ; — cf. Tib., I, III, 81; Ou., *Her.*, XVI, 1; *Ars Am.*, I, 375.

Aliquando *uiolare* est uim adferre :

Ou., *Ars Am.*, I, 675 : quaecumque est Veneris subita uiolata rapina.

Violenti dicuntur qui erga amantes superbi sunt ac difficiles :

Ou., *Am.*, II, XVII, 7 : facie uiolenta Corinna est; — cf. Ou., *Her.*, III, 61; *Ars Am.*, II, 309.

Violentus quoque dicitur Amor :

Ou., *Ars Am.*, I, 23 : quo me uiolentius ussit.

Vir saepissime occurrit cum nostri poetae sexum sexui opponere uolunt :

Cat., LXIV, 143 : nulla uiro iuranti femina credat; — cf. Cat., LXIV, 144, 192; LXXX, 6; Tib., I, II, 33; II, II, 2; Prop., III, XIV, 4; IV, II, 24; IV, IX, 26, 34, 55; Ou., *Am.*, I, X, 29, 36; I, XIII, 9; II, III, 1, 9; II, IX, 15; III, III, 34; *Her.*, IV, 76; VI, 53, 55; IX, 72, 104, 106; X, 97, 98; XII, 124; XV, 152, 195, 310; XVIII, 6; *Med.*, 24; *Ars Am.*, I, 275, 276, 482, 509, 524, 709; II, 478, 682, 728; III, 6, 30, 31, 46, 108, 382, 433, 437, 438, 637, 660, 782, 800; *Rem.*, 39, 554, 608, 659, 814.

Alias ad aetatem refertur hoc uocabulum :

Ou., *Her.*, IX, 24 : dissimiles hic uir et ille puer;

alias ad morum fortitudinem :

Tib., II, I, 72 : audaces perdomuisse uiros ; — cf. Prop., III, III, 50; III, XI, 2; Ou., *Am.*, I, VII, 38; *Her.*, XX, 116;

alias ad corporis uenereum uigorem :

Cat., LXIII, 69 : uir sterilis; — cf. Cat., LXIII, 6; Ou., *Am.*, II, XV, 26; III, VII, 19, 20, 43, 59, 60; *Her.*, XIX, 50; *Ars Am.*, I, 690, 698.

Saepe, ut in heroico dicendi genere, uox *uiri* pro militibus aut heroibus ponitur :

Cat., LXVIII, 87-88 : primores Argiuorum uiros; — cf. Prop., I, XIX, 14; Ou, *Her.*, IV, 2; XII, 14; XIII, 2, 82; XV, 150; XVI, 248; *Ars Am.*, I, 54, 102, 119, 128, 682.

Vir saepe maritus dicitur[2] :

Cat., LXI, 3 : qui rapis teneram ad uirum uirginem ; — cf. Cat., LXI, 98, 150, 165, 176, 179; LXII, 58; LXVI, 20, 29; LXVII, 1, 20; LXVII, 80, 130, 146;

1. Huc pertinet exemplum Cat., LXVII, 23 ; gnati uiolasse cubile.
2. De exemplis sumptis ex *Amoribus* Ouidii, I, IV, et II, II, potest quidem dubitari.

Digitized by Google

LXXXIII, 1; CXI, 1; Tib., I, II, 21; I, VI, 8; Ps. Tib., III, I, 23; III, II, 14; III, IV, 52, 58, 62, 80; Prop., I, XV, 8; II, VI, 24; II, XXIV, 46; II, XXXIV, 8; III, XIII, 22; III, XIV, 24; IV, III, 72; IV, XI, 68; Ou., *Am.*, II, IV, 1, 2, 13, 28, 51, 61; I, XIII, 41; II, II, 11, 33, 48, 50; II, XII, 3; II, XIV, 32; II, XVIII, 38; III, IV, 1, 29, 44; *Her.*, I, 24, 30, 50; III, 50, 52, 97, 103, 143; IV, 35, 96; V, 78, 98; VI, 22, 60, 108, 111, 133, 138, 157, 160; VII, 84, 108, 115, 128, 166; VIII, 1, 28, 29, 86, IX, 33, 36; XII, 83, 164, 210; XIII, 7, 17, 40, 50, 76, 90, 95, 143; XIV, 12, 58, 63; XV, 129, 274, 302, 316, 370; XVI, 83, 106, 142, 165, 176; XX, 50, 144; *Ars Am.*, I, 310; II, 153, 369, 372, 400, 408, 597, 598; III, 16, 20, 431, 465, 522, 586; 613, 732, 746; *Rem.*, 60, 772.

Vir dicitur quoque, sine coniugali foedere, solitus ac prope iustus puellae amans:

Prop., IV, V, 45 : in mores te uerte uiri; — cf. Prop., I, VI, 10, 18; II, IX, 48; II, XXIII, 20; II, XXXIII, 34, 44; III, III, 20; Ps. Tib., III, VI, 42; IV, VI, 10; Ou., *Am.*, I, IX, 6; II, V, 26; III, V, 38; III, XI, 18; *Her.*, III, 5, 6, 38; X, 76; *Ars Am.*, I, 579, 602; II, 551, 554; III, XIII, 484, 602; *Rem.*, 34.

Denique *uir* saepe nihil amplius ualet quam amans :

Tib., I, VIII, 40 : nulli sit cupienda uiro; — cf. Tib., I, IX, 60; Prop., II, VI, 6, 14: II, IX, 24; II, XIII, 52; II, XVI, 24; II, XVIII, 2; II, XIX, 1, 16; II, XXXIV, 8; III, XIII, 34; IV, V, 29; Ou., *Am.* I, V, 12; I, VIII, 40, 97; II, IV, 24; II, XVII, 16; *Her.*, VIII, 110; XIX, 70; *Ars Am.*, I, 328; II, 186, 234, 386; III, 88, 195, 229, 234, 278, 300, 380, 456, 524.

Virginitas saepe proprio sensu accipitur :

Cat., LXVII, 19 : uirgo quod fertur tradita nobis, falsum est; — cf. Cat., LXII, 45, 62; LXVI, 77; LXVIII, 116; Tib., II, V, 64; Prop., IV, VIII, 6, 11, 12; Ou., *Am.*, III, IV, 22; III, VI, 74; *Her.*, II, 115; V, 129; VI, 133; XII, 111; XV, 61, 162; XVI; 104; XX, 11, 192; *Ars Am.*, I, 261.

Virgo aliquando ad aetatem refertur :

Cat., LXVI, 26 : cognoram a parua uirgine magnanimam; — cf. Ou., *Her.*, XIV, 55; *Ars Am.*, III, 75.

Saepe *uirgines* uocantur innuptae et iuuenes puellae :

Cat., LXIV, 86 : hunc simulac cupido conspexit lumine uirgo; — cf. Cat., LXI, 37, 224; LXIV, 364; LXV, 20; Tib., I, I, 66; Prop., III, XIX, 23; IV, IV, 92; Ou., *Am.*, II, I, 5; III, VI, 30; III, VIII, 30; III, XII, 28, 31, 34; *Her.*, XII, 81; V XI, 193; XIX, 12, 170; XX, 116, 243; *Med.*, 32; *Ars Am.*, I, 116, 624, 697;

aut eae quae hoc ipso die nubunt :

Cat., LXII, 59 : ne pugna cum tali coniuge, uirgo; — cf. Cat., LXI, 4, 20, 52, 77; LXII, 4; Ps. Tib., III, IV, 31.

Virgineus modo ad uirginitatis integritatem refertur :

Cat., LXVII, 28 : zonam soluere uirgineam; — cf. Cat., LXVI, 14; Prop., IV, IV, 44; Ou., *Ars Am.*, III, 168;

modo ad aetatem :

Ou., *Her.*, XII, 130 : caesaque uirginea membra paterna manu.

Virgineum quoque dicitur quod ad uirgines aut puellas pertinet :

Prop., III, XIII, 29-30 : mixta referre lilia uirgineos lucida per calathos; — cf. Prop., II, II, 12; III, XIV, 2, 12; Ou., *Am.*, I, III, 24; II, XVI, 23; III, XIII, 25;

Digitized by Google

aut quod puellis dignum est :
Tib., I, IV, 14 : uirgineus teneras stat pudor ante genas.

Viridis translatiue pro iuueni ponitur :
Cat., XVII, 14 : uiridissimo nupta flore puella; — cf. Ou., *Ars Am.*, III, 537.

Virtus dicitur omnis laus seu animi seu corporis :
Ou., *Rem.*, 324 : pro uitio uirtus crimina saepe tulit.

Vis est saepe uiolentia ab ardente amatore puellae inlata :
Ou., *Her.*, V, 131 : uim licet adpelles et culpam nomine ueles; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 21, 186; *Ars Am.*, I, 673, 679, 690, 703; *Fast.*, II, 613; V, 205.

Alias *uis* est uigor corporis ad uenerea certamina aptus :
Prop., II, XXII, 28 : nullus amor uires eripit ipse suas; — cf. Ou., *Am.*, I, VIII, 47; II, X, 23, 25; *Ars Am.*, II, 673.

Vis amoris est eiusdem potestas in capiendis hominum animis :
Ou., *Her.*, XVIII, 139 : totiens uires expertus amoris; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 339; *Rem.*, 244, 444.

Denique *uis* est animi humani fortitudo ad amorem regendum aut repellendum idonea :
Prop., I, XIV, 17 : illa potest magnas heroum infringere uires; — cf. Ou., *Her.*, XVIII, 5.

Viscera translatiue pro animo intimo dicuntur :
Ou., *Rem.*, 105 : tacitae serpunt in uiscera flammae; — cf. Ou., *Her.*, I, 90.

Vita est saepe genus uitae, seuerum aut uoluptarium :
Prop., II, XXXIV, 23 : sed numquam uitae fallet me ruga seuerae; — cf. Ou., *Am.*, II, X, 38; *Her.*, IX, 8; XVI, 172, 173.

Hoc uerbum saepe quoque usurpant poetae in quibusdam consuetis dicendi generibus quibus magnitudinem amoris ostendere uolunt :
Prop., III, XI, 1 : meam si uersat femina uitam; — cf. Prop., I, II, 31; I, XI, 22.

Frequentissime occurrit amatoria appellatio *mea uita* :
Cat., CIV, I : credis me potuisse meae male dicere uitae? — cf. Cat.. XLV, 13; LXVIII, 155; CIX, 1; Prop., II, III, 23; II, XX, 11; II, XXVI, 1; Ou., *Am.*, II, XV, 21;

aut simpliciter *uita* :
Prop., I, II, 1 : quid iuuat ornato procedere, uita, capillo? — cf. Prop., I, VIII, 22; II, V, 18; II, XIX, 27; II, XX, 17; II, XXIV, 29; II, XXX, 14; Ou., *Am.*, III, VIII, 11, 12.

Vitiare est pulchritudinem corporis inminuere :
Ou., *Trist.*, III, VII, 33 : ista decens facies longis uitiabitur annis;

Digitized by Google

aut pudicitiam corrumpere :

Ou., *Trist.*, II, 277 : at quasdam uitio; — cf. Ou., *Her.*, XI, 37 : uitiati pondera uentris.

Vitium dicitur amor cum est contrarius officio fideiue promissae :

Tib., I, IX, 73 : nec facit hoc uitio; — cf. Prop., I, XVI, 47; II, XVI, 32; Ou., *Am.*, II, IV, 2; III, IV, 11, III, XI, 44; *Her.*, XVI, 49; *Ars Am.*, II, 641; *Trist.*, II, 238;

aut etiam cum nimius est et parum dignus firma uirilique mente :

Prop., III, XVII, 6 : tu uitium ex animo dilue, Bacche, meo; — cf. Prop., II, I, 65; II, VI, 13; Ou., *Rem.*, 34, 133.

Vitia quoque dicuntur, seu mentis, seu potius corporis, mendae quibus amantes fugari ac deterreri queunt :

Ou., *Ars Am.*, I, 249 : nocte latent mendae, uitioque ignoscitur omni; — cf. Ou., *Am.*, I, X, 14; III, I, 10; *Her.*, XII, 178; *Ars Am.*, II, 654, 662; III, 262, 295, 734; *Rem.*, 315, 324, 338, 348, 418; *Fast.*, III, 493; IV, 148.

Vitia quoque dicuntur quae in moribus ridenda sunt aut uituperanda :

Prop., II, XXII, 17 : unicuique dedit uitium natura creato; — cf. Ou., *Am.*, II, XIV, 9, 38; *Ars Am.*, II, 553.

Denique *uitium* est infirmitas in rebus uenereis :

Ou., *Am.*, III, VII, 38.

Viuere est uita frui :

Cat., V, 1 : uiuamus, mea Lesbia;

aut uigorem uenereum habere :

Ou., *Am.*, III, VII, 60 : neque tum uixi nec uir fui.

Viuere dicitur amor, quasi diu permanere :

Ou., *Ars Am.*, II, 101 : non facient, ut uiuat amor, Medeides herbae.

Vlnae pro bracchiis raro ponuntur :

Prop., II, XVIII, 9 : illum saepe suis decedens fouit in ulnis.

Vltores deos amoris contempti saepe dicunt poetae :

Tib., I, VIII, 72 : nescius ultorem post caput esse deum; — cf. Prop., III, XX, 22.

Vlcisci est infidiae poenas repetere :

Ou., *Ars Am.*, I, 366 : tum facies opera, ne sit inulta, tua; — cf. Ou., *Am.*, II, XIV, 32; *Rem.*, 60, 645.

Vmeri non raro nominantur :

Ou., *Ars Am.*, III : 310, oscula ferre umero; — cf. Ou., *Am.*, I, V, 19; *Her.*, XVIII, 60, 190; *Ars Am.*, II, 307.

Vmida dicuntur ora uel lumina fletibus madentia :

Prop., III, VI, 17 : umidaque inpressa siccabat lumina lana.

Digitized by Google

Dicuntur quoque *umida* oscula[1] :
Tib., I, VIII, 37.

Vnanimi dicuntur coniuges qui cum uxoribus consentiunt :
Cat., LXVI, 80.

Vndarum fluctibus saepe comparantur amoris motus et curae :
Cat., LXIV, 62 : magnis curarum fluctuat undis; — cf. Prop., II, IV, 20; II, XII, 7.

Vocare est ad amoris gaudia inuitare :
Prop., IV, VIII, 33 : his ego constitui noctem lenire uocatis; — cf. Prop., II, XXV, 33.

Volare, uolitare, uolucer esse saepe dicitur Amor :
Tib., II, V, 39 : uolitantis frater Amoris; — cf. Prop., II, XII, 6, 15; Ou., *Am.*, II, VII, 27; *Her.*, XV, 203; *Ars Am.*, II, 10, 98; III, 4; *Pont.*, III, III, 65.

Voluptas uocatur quidquid animum iuuat :
Ou., *Her.*, XII, 21 : est aliqua ingrato meritum exprobrare uoluptas; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 131; *Rem.*, 197;

ac peculiariter quod ad amorem pertinet :
Prop,, I, X, 3 : o noctem meminisse mihi iucunda uoluptas; — cf. Ou., *Am.*, III, IV, 31; *Her.*, XVIII, 55; *Ars Am.*, I, 347, 749; III, 603.

Hoc uerbum saepe accipitur turpiter :
Prop., II, XXIX, 36 : signa uoluptatis; — cf. Ou., *Am.*, I, IV, 47; I, X, 35; II, X, 25; *Her.*, XVIII, 65; *Ars Am.*, II, 477, 623, 681, 717, 727; *Rem.*, 403, 413; *Fast.*, II, 503.

***Voluptas* interdum uocatur persona quae uoluptatem adfert** :
Ou., *Her.*, XVIII, 17 : o mea sola uoluptas.

Vota sunt saepe ab amantibus effusae ad deos preces :
Ps. Tib., III, VI, 27 : uenti temeraria uota ferant; — cf. Prop., II, XXVI, 49; Ou., *Her.*., VI, 73, 75; IX, 35; XVII, 204;

aut munera oblata numinibus :
Prop., II, XIX, 18; IV, III, 17;

aut puellarum ianuis :
Prop., I, XVI, 44.

Alias *uota* sunt cupiditates omnes :
Tib., II, V, 102 : quae uotis inrita facta uelit; — cf. Tib., I, V, 36; Ps. Tib., III, IV, 83; Ou., *Am.*, II, XI, 54; II, XV, 27; *Her.*, V, 5; XV, 282; XVI, 204; *Ars Am.*, I, 579, III, 674.

Saepius *uota* sunt amatoriae cupiditates :
Prop., I, V, 9 : quodsi forte tuis non est contraria uotis; — cf. Prop., I, X, 4; I, XVII, 4; Ou., *Am.*, I, XIII, 46; II, IV, 36; II, XII, 13; II, XIX, 6, 16; III, II, 80, 81;

1. Cf. Ou., *Am.*, II, XV, 17 : umida tangam ora puellae (de anulo).

Digitized by Google

III, VII, 2; *Her.*, IV, 16; XV, 26; XVII, 5; XVIII, 95; XX, 40, 236, 240; *Ars Am.*, I, 90, 486, 671, 712, 737; *Rem.*, 278, 553; *Fast.*, I, 431.

Alias *uotum* est consilium et quasi uoluntas :

Ou., *Am.*, III, XI, 40 : et uideor uoti nescius esse mei; — cf. Ou., *Her.*, XV, 119, 170; *Ars Am.*, I, 64.

Votum aliquotiens dicitur quod cupitur :

Ou., *Her.*, XV, 94 : multarum uotum sola tenere potes; — cf. Ou., *Her.*, XV, 106.

Voces saepe uocantur uerba amatoria :

Prop., I, x, 10 : tantus in alternis uocibus ardor erat; — cf. Prop., I, XVI, 27; Ou., *Am.*, II, IX, 43; III, XIV, 25; *Ars Am.*, III, 705, 803 (apud Ou., *Rem.*, 687, *uoces* sunt promissa).

Vrbanum dicitur quod a priscis rusticisque moribus abhorret :

Cat., XXXIX, 8 : morbum neque elegantem neque urbanum; — cf. Cat., XXII, 2, 9.

Vrere dicuntur Amor et Venus eos quibus ardentem cupidinem iniciunt :

Tib., II, VI, 5 : ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit; — cf. Tib., I, VIII, 7; II, IV, 5; Ps. Tib., IV, II, 5; Ou., *Am.*, I, I, 26; I, II, 43; II, IX, 5; II, XVII, 3; III, I, 20; *Her.*, IV, 52; *Ars Am.*, I, 23.

Vrere quoque dicuntur seu uiri seu feminae quos amantes sui efficiunt :

Ps. Tib., IV, II, 11, 12 : urit, seu... seu... — cf. Prop., II, III, 44; II, XXX, 29; Ou. *Ars Am.*, II, 353; *Fast.*, I, 413; — cf. Prop., III, IX, 45 : haec urant scripta puellas;

uel quos uexant ac torquent :

Cat., LXXVII, 3 : intestina perurens; — cf. Tib., IV, XIII, 19; Ou., *Am.*, I, VIII, 70; *Her.*, III, 138; VII, 86; *Fast.*, III, 489.

Itaque *uri* saepe pro amare aut dolere ponitur :

Cat., LXXII, 5 : etsi inpensius uror; — cf. Cat., LXI, 170; LXXXIII, 6; Tib., II, IV, 6; Ps. Tib., IV, V, 5; IV, VI, 17; Prop., II, XXIV, 8; Ou., *Am.*, II, IV, 12; *Her.*, IV, 19, 20, 33; VII, 23; VIII, 58; XV, 10; XVII, 167; XVIII, 5, 15; *Ars Am.*, III, 448, 543, 573; *Rem.*, 267; *Fast.*, III, 682.

Vrere aliquando idem ualet ac stimulare, incitare :

Ou., *Am.*, II, XIX, 3 : quod non licet, acrius urit.

Vrgere plerumque ad Amoris dominationem refertur :

Tib., II, I, 79 : miseri, quos hic grauiter deus urget; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 17;

alias autem ad amantium instantes preces :

Prop., IV, III, 12 : cum rudis urgenti bracchia uicta dedi;

aut ad uirorum custodiam :

Ou., *Ars Am.*, II, 730 : furtiuum nec timor urget opus.

Digitized by Google

Vsus est rei amatoriae experientia et consuetudo :

Ou., *Her.*, XVI, 145 : felices, quibus usus adest; — cf. Ou., *Ars Am.*, I, 29; II, 339, 676; III, 791; *Rem.*, 503.

Turpior est huius uocabuli nonnumquam significatio :

Tib., I, IX, 55 : cum furtiuo iuuenem lassauerit usu; — cf. Ou., *Am.*, III, VII, 3, 49; *Rem.*, 357.

Vtile dicitur quod amantibus prodest aut ad amorem feliciter exercendum :

Ou., *Ars Am.*, III, 417 : utilis et uobis, formosae, turba, puellae; — cf. Ou., *Her.*, XVI, 187;

aut ad amorem deponendum :

Ou., *Rem.*, 626 : utile finitimis abstinuisse locis; — cf. Ou., *Rem.*, 490.

Haec uox uenereum uigorem interdum significat :

Ou., *Am.*, II, X, 28 : utilis et forti corpore mane fui; — cf. Ou., *Ars Am.*, II, 710.

Vti est data amandi occasione frui :

Tib., I, V, 75-76 : utere, quaeso, dum licet; — cf. Prop., I, XIII, 34; Ou., *Am.*, I, IX, 25; *Her.*, XV, 316; XVI, 176, 258; *Ars Am.*, II, 368, 372;

uel aetate ad amorem apta :

Tib., I, VIII, 47-48 : dum primi floret tibi temporis aetas, utere; — cf. Prop., IV, V, 58; Ou., *Ars Am.*, III, 65.

Vuidi dicuntur qui lacrimis madent :

Cat., LXVI, 63.

Vulgares sunt puellae quae omnibus se praebent faciles :

Prop., I, XIII, 11 : haec tibi uulgares istos conpescet amores; — cf. Ou., *Fast.*, IV, 865.

Vulnera, proprio sensu, aliquando intellegenda sunt de amantium morsibus :

Prop., III, VIII, 21 : inmorso aequales uideant mea uulnera collo.

Multo saepius *uulnera* sunt Amoris ictus :

Prop., II, XII, 12 : nec quisquam ex illo uulnere sanus abit; — cf. Ou., *Am.*, I, II, 29, 44; II, IX, 4; *Her.*, XV, 278; *Ars Am.*, I, 21, 24, 166; III, 738.

Itaque *uulnus* dicitur frequentissime amor ipse :

Prop., II, XXII, 7 : nostri quaerunt sibi uulnus ocelli; — cf. Prop., II, XXV, 46; III, XI, 6; IV, IV, 30; Ou., *Her.*, IV, 20; XV, 239; *Ars Am.*, I, 257, 262, 611; III, 572; *Rem.*, 44, 101, 123, 147, 283, 623, 729; *Fast.*, III, 682; IV, 4, 5.

Peculiariter *uulnera* dicuntur amantium curae et dolores :

Prop., III, XXI, 32 : spatia annorum... lenibunt uulnera nostra; — cf. Prop., II, XXXIV, 92; III, XXIV, 18; Ou., *Her.*, VII, 190; XX, 210.

Vulnera sunt quoque amantium perfidiae et riualium simultates :

Ou., *Her.*, VI, 82 : non exspectata uulnus ab hoste tuli; — cf. Ou., *Her.*, II, 48; VI, 40; XVIII, 105; *Fast.*, III, 633.

Digitized by Google

Vultus proprie oculos significat :

Ou., *Am.*, III, vi, 28 : cum rapuit uultus, Xanthe, Neaera tuos; — cf. Ou., *Her.*, X, 134; XIII, 20; XIX, 75.

Ac praesertim *uultus* refertur ad animi affectus qui oculis exprimuntur :

Tib., II, iv, 59 : si modo me placido uideat Nemesis mea uultu; — cf. Prop., II, xxii, 11; Ou., *Am.*, I, iv, 17; I, xi, 18; II, v, 44; II, vii, 5; III, i, 9; III, iv, 43; III, xiv, 27; *Her.*, IV, 73; XV, 11, 244; XVI, 13; *Ars Am.*, I, 313, 574, 678; II, 312, 378; III, 309, 312, 606; *Rem.*, 510.

Vultus aliquando superbiam oculis expressam uidetur significare :

Ou., *Her.*, IX, 129 : dat uultum populo sublime sub Hercule uicto.

Vultus interdum pro facie ponitur :

Ou., *Med.*, 46 : placitus rugis uultus aratus erit; — cf. Ou., *Am.*, I, viii, 24; III, ii, 16; *Her.*, XV, 37, 137; XIX, 119; *Med.*, 67, 97; *Ars Am.*, II, 348; *Rem.*, 352; *Fast.*, VI, 579.

Vxor est legitima coniunx :

Cat., LXI, 183 : uxor in thalamo tibi est; — cf. Cat., LIX, 2; LXXIV, 4; Tib., I, ix, 54; I, x, 52; II, ii, 11; Prop., II, vi, 41, 42; II, xxi, 4; II, xxviii, 22; II, xxxii, 57; III, xii, 37; III, xiii, 18; Ou., *Am.*, I, ix, 36; II, xix, 46; III, iv, 45; *Her.*, I, 97; III, 77; V, 80, 108; VI, 100; VII, 22, 167; VIII, 29, 122; IX, 27, 132 149; XI, 62; XV, 174, 304; XX, 189; *Ars Am.*, I, 556, 686; II, 155, 362, 545, III, 20, 110, 585, 732; *Rem.*, 566, 775.

Zona, uirginitatis signum, aliquando a nostris poetis nominatur :

Cat., II, 13 : quod zonam soluit diu ligatam; — cf. Cat., LXI, 53; LXVII, 28.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
die xiv Aprilis ann. MCMII.
Facultatis litterarum in Vniuersitate Parisiensi
Decanus,
A. Croiset.

Typis mandetur,
Academiae Parisiensis Rector,
Gréard.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABVLA ANALYTICA

PROOEMIVM VII

PARS PRIOR

QVAESTIONES AD SERMONEM AMATORIVM PERTINENTES

CAPVT I. — De sermonis amatorii natura et origine 3
I. Qualis sit amatorii sermonis natura 3
II. Quid in amatorio sermone tractando latini elegiarum scriptores prioribus poetis debuerint 13
III. Quae similitudines et figurae in amatorio sermone saepissime usurpentur 18
— II. — Quomodo sermone amatorio singuli elegiarum scriptores usi sint 27
— III. — Numquid sermonis amatorii notitia edendorum librorum rationi conferre possit 51
I. De quorumdam dubiorum carminum origine 51
II. De locorum aliquot textu constituendo 52
III. De uocabulorum *Amor*, *Cupido*, *Venus*, recta orthographia 61

PARS ALTERA

INDEX AMATORIORVM VERBORVM 75

Digitized by Google

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA

Pag.	Lin.				
—	—				
IX	27	*pro*:	et quam	*lege*:	est mihi quam
5	28	—	effinxerunt	—	secuti sunt
18	10	—	νές	—	ἐς
40	11	—	saonus	—	saouus
»	»	—	obnexius	—	obnoxius
51	15	—	II, VI, VI	—	II, IV, VI
58	13	*dele*:	carmen		
59	3	*pro*:	quaemaritus	*lege*:	quae maritus
63	43	—	miserea mori	—	misero amori
66	33	—	III, XXIII, 15	—	III, XXIII, 16
67	2	—	IX, 25	—	IX, 26
67	36	—	XV, 26	—	XV, 126
79	24	—	*Her.*, XI, 118	—	*Her*, XI, 110
82	2	—	II, XXXIII, 47	—	II, XXXIII, 43
82	9	—	L, 667	—	II, 667
83	21	—	II, 289	—	III, 289
83	29	—	II, XXVII, 17	—	II, XXVII, 11
83	35	—	II, 69	—	III, 69
83	40	—	XXVI, 32	—	XXVI, 33
84	21	—	II, XXXIV, 34	—	II, XXXIV, 24
84	25	—	211, 502	—	211, 501
88	35	*dele*:	*Fast*, III, 545, 546		
89	9	*pro*:	exardere significat	*lege*:	exarsisse dicuntur qui senserunt
89	19	—	XV, 309	—	XV, 311
97	39	—	abde notas	—	abdo notis
101	8	—	LVII, 23	—	LXII, 23
103	23	—	II, 25	—	I. I, 25
104	25	—	III, XIX, 23	—	III, XIV, 23
104	29	—	etiam	—	et iam
106	5	—	II, IV, 32	—	II, IV, 37
106	26	—	I, II, 21	—	I, II, 22
108	17	*dele*:	Cat., LXVIII, 139		
108	28	*pro*:	si certo puer hic te	*lege*:	te si certo puer hic
109	35	—	Theseum	—	Thesea
109	39	—	100, 106, 173	—	100, 173
110	2	—	IX, 18	—	IX, 118
114	18	—	LXIV, 15	—	LXIV, 17
114	19	—	X, 135	—	X, 139
114	24	—	633, 624	—	633, 634
114	26	—	I, VII, 26	—	I, VIII, 26
115	6	—	XII, 159	—	XIII, 159
115	14	—	II, XV, 71	—	II, XV, 11
115	16	—	II, XIX, 50	—	II, XIX, 58
116	13	—	XV, 296; XVI, 4, 8	—	XVI, 48
117	7	—	II, XXX, 40	—	II, XXV, 40
118	26	—	389, 582	—	389, 572
119	7	—	III, IV, 21	—	II, IV, 21
119	24	—	sunt iam	—	sint iam
123	37	—	III, VIII, 33	—	III, VII, 33
123	41	—	IV, II, 44	—	IV, II, 45
126	8	—	LXIX, 4	—	Cat., LXIX, 4
131	38	*ante*:	Ou., *Am.*	*adde*:	Ps. Tib., IV, XII, 6
—	—				
132	14	*pro*:	in amore cauendum	*lege*:	in amore faciendum aut cauendum
132	23	—	V, 55	—	II, V, 55
133	2	—	*dedolere*	—	*dedolsit*
133	23	—	*Med.*, 18	—	*Med.*, 48
134	26	—	IX, 71	—	IX, 74
135	15	—	II, XVIII, 1	—	II, XVII, 1
138	3	—	III, IX, 49	—	III, XI, 49
138	15 et 16	*dele*:	I, II, 71		
144	20	*pro*:	I, XVI, 28	*lege*:	II, XVI, 28
144	42	—	IV; III, 43	—	IV, III, 43
146	19	—	*Rem.*, 392	—	*Rem.*, 522
150	14	—	III, X, 26	—	III, V, 27
151	5	—	191; XVIII	—	199; XVIII
151	8	—	I, XV, 9	—	I, XV, 10
152	29	—	581, 687	—	581, 587
152	36	—	63; I, XIII	—	53; I, XIII
155	26	*dele*:	cf. Ps. Tib., III, I, 52		
156	37	*pro*:	*Rem.*, 858	*lege*:	*Rem.*, 358
157	14	—	*Her.*, 22	—	*Her.*, III, 42
161	4	—	I, VIII, 30	—	IV, VIII, 30
172	17	—	*Her.*, XV, 75	—	*Her.*, XVI, 75
175	27	—	I, 503	—	III, 503
178	15	—	LXIV, 144	—	LXIV, 143
178	23	*post*:	iurata negat	*adde*:	(si sic legendum)
179	6	*pro*:	VIII, 6	*lege*:	VIII, 16

Digitized by Google

Pag.	Lin.				
180	8	—	LXIV, 228	—	LXI, 228
180	11	—	I, VIII, 3	—	I, VIII, 31
181	22	—	II, XV, 29	—	II, XVI, 29
181	37	—	II, 677	—	III, 677
184	16	—	I, X, 61	—	I, X, 57
186	24	—	I, 4	—	I, 44
187	12	—	LXV, 332	—	LXIV, 332
187	28	—	I, IX, 31	—	I, IX, 32
188	7	—	durae sint	—	sint durae
189	16	—	28, 341	—	281, 341
192	11	—	II, XV, 22	—	II, XV, 21
193	39	—	Corinnam	—	puellam
196	6	—	II, II	—	II, II, 19
196	30	—	XIV, 227	—	XIX, 227
196	39	—	LXVII, 7	—	LXVII, 6
200	36	—	II. IV, 6	—	II, IV, 7
201	11	—	XLV, 2, 13	—	XLV, 2
203	28	—	XV, 55	—	XIV, 55
203	34 et 35 *dele* : (si *miti* uero legendum est)				
206	6 et 7 *dele* : II, XXVIII, 13				
207	23	*pro*: II, I, 38		*lege*: II, I, 58	
209	16	—	II, 2	—	II, II, 2
210	37	—	I, XV, 11	—	I, XV, 31
214	19	—	nc	—	ne
215	37	—	I, VI, 14	—	I, VI, 16
218	28	—	deturretur	—	deterretur
218	30	—	VII, 11	—	VIII, 11
223	23	—	X, 117	—	XI, 117
224	8	—	XV, 136	—	136
224	13	—	35	—	XV, 35
225	20	—	I, 32	—	I, I, 32
226	4	—	II, 281	—	I, 281
229	16	—	III, V, 38	—	III, V, 3, 8
230	2	—	mens tua	—	mens
232	33	—	XIX, 69	—	XIV, 69

Pag.	Lin.				
240	14	—	XVII, 24	—	XLII, 24
240	21	—	dedecorusque	—	indignusque
244	12	—	*Fast.*, 392	—	*Fast.*, I, 392
244	42	—	531, 682	—	551, 682
245	10	—	VI, 1	—	III, VI, 1
245	45	—	10, 71, 57	—	10, 51, 57
246	4	—	VI, 1	—	CVI, 1
250	9	—	4, 139	—	II, 139
254	30	—	II, XIV, 31	—	III, XIV, 31
255	9	—	III, XII, 5, 6	—	III, III, 5, 6
256	11	—	teste rumpere	—	rumpere teste
256	36	—	XX, 59	—	XIX, 59
257	10	—	Venus	—	uenus
257	25	—	XVII, 9	—	I, XVII, 9
258	36	—	Tib.	—	Ps. Tib.
263	10	—	*Her.*, XIV	—	*Her.*, XVI
263	14	—	II, XII, 29	—	II, XII, 28
270	*pone lineas* 13-15 *post* 16-17				
270	23	*dele* itidem			
270	33	*pro*: *dominus*		*lege*: *dominis*	
270	35	—	subrepti	—	subrepsti
271	6	—	*Rem.*, 99	—	*Rem.*, 90
278	29	—	III, III, 72	—	III, III, 73
279	13	—	ille faces	—	illa faces
284	14	—	XVII, 46; II	—	XVII, 46 *Am.*, II
290	38	—	Ueneris	—	ueneris
291	10	—	III, V, 38	—	III, VI, 38
292	2	—	I, XIV, 12	—	I, XIV, 21
295	10	*dele*: Ou., *Her.*, XII, 100			
296	22	*pro*: 276, 482		*lege*: 276, 232	
297	3	—	II, IV, 1	—	I, IV, 1
297	21	—	88, 195	—	88, 95
299	37	—	II, 307	—	III 307

Coulommiers. — Imp. PAUL BRODARD. — 488-1902.

Digitized by Google

1 393

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 012 992 160

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK DUE
CANCELLED
FEB 11 1999

CANCELLED
WIDENER
BOOK DUE
FEB 13 1989

WIDENER
NOV 18 1999
CANCELLED

WIDENER
DEC 08 1999
BOOK DUE

WIDENER
SEP 01 2006
CANCELLED

WIDENER
FEB 10 2002
BOOK DUE

Digitized by Google

Digitized by Google